Smithsonian
Institution
Libraries

Gift of

an Anonymous Friend

of the Smithsonian

COMMENTARII
DE REBVS
IN
SCIENTIA NATVRALI
ET
MEDICINA
GESTIS.



VOLVMINIS IX. PARS I.

LIPSIAE MDCCLX.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.
Venduntur etiam
Amſtelodami apud I. Schreuder et P. Mortier iun. Londini apud C. G. Seyffert, Pa-
riſiis apud Briaſſon, Pataui apud I. Manfré, Venetiis in B. Albrizzi et S. Coleti
officinis, Romae apud Venant. Monaldini.

QH
7
C66
v.9
SCNHRB

I.

Verhandelingen uitgegeeven door de Hollandſe Maatſchappy der Weetenſchappen te Harlem. Derde Deel. Te Haarlem by I. Boſch 1757. 8. Alph. 2. Tab. aen. 11.

h. e.

Commentarii Societatis ſcientiarum Harlemenſis. Pars III. Accedunt plagulae 72 obſeruationum meteorologicarum.

Deſcriptio globi coeleſtis, cuius poli mutari poſſunt Auct. IOH. NETTIS M. D. p. 1.

Experimenta ſuper colorum ſeparationibus inſtituta a beato LAMB. *ten* KATE. p. 17. NEWTONVS mathematicorum facile princeps in libro, quo de optica exponit, primum docuit, in coloribus etiam muſicam ineſſe. Sed quas tradidit rationes Cl. KATE, dum viueret, paullo correctiores exhibuit. Deinde p. 21. monet, priſmata triangularia, vel alia adhuc cognita adminicula, quibus colores in iride conſpicuos aemulari ſolemus, tantum ſufficere ad producendum

 vnum

vnum arcum vel ſeriem colorum, quae poſſit in declaranda inter colores et tonos vnius Octaui ſimilitudine adhiberi. Quam ob rem de nouo plurium arcuum producendorum adminiculo cogitauit, quod ſic comparatum eſt: Si ſaponem in aqua ſolutum in calicem ex vitro paratum infundas, vt orificium tenui aliqua, viſcida tamen lamella obtegatur; ſi porro calicem hunc aduerſum feneſtram inclinatum ſtatuas: ſenſim paulatimque in hac lamella tenui varii arcus colorati in conſpectum venient, vnus poſt alterum, diuerſae latitudinis. Qui primum conſpicuus eſt, anguſtus apparet, qui ſequitur paulo latior; et ſic reliqui in latitudine creſcunt, donec alii latiores quidem, ſed ſine colore adſpectabiles fiunt. In fine monet, tantum tres eſſe colores principes, nimirum rubrum, flauum et coeruleum, ex quorum miſtione reliqui omnes deduci poſſent.

p. 31. *De curatione morbi in mammis feminae ex terrore exorti Auct.* B. FVVN. Femina quaedam 40 annorum ex inopinato incendio terrore ita percellebatur, vt vehementes dolores inde in mammis ſentiret. Adhibitis multis remediis nullum aptius ad leniendos doloris cruciatus reperiebatur, quam carbonum candentium calor, quo vitioſae mammae manibus lente fricatae paululum recreabantur. Perdurante hac frictione mammarum papillae materiam quandam glutinoſam ſtillabant, manifeſto indicio, cauſam morbi in mammarum humoribus nimis craſſis et glutinoſis latere. Mammae vix turgidae et tumidae erant. Tandem Cl. Auctor, vt huic malo mederetur, eſt rogatus; quod hoc modo praeſtitit: In vnciam vnam ſp. matricalis ſtillauit 50 vel 70 guttulas ol. caieputi, hoc mixto iuſſit mammas per aliquot dies fricare. Poſthac aliud remedium ex vna vncia ſp. vini rectificati et 60 guttulis ol. culicaban parauit eo conſilio, vt mammae hoc remedio fricarentur. Atque cum haec omnia brumali tem-

pore

pore contingerent, arbitrabatur, non inutile fore ſi mammae obtegerentur empl. baſilico ex reſinis variis parato. Quibus rite adhibitis femina liberata eſt doloribus omnibus. Tandem vt morbi cauſam penitus tolleret, pilulas ex aethiope minerali et reſina guaiac. confectas vſurpauit. Sic femina conualuit. Anno ſequente, iterum perterrita ſimili morbo laborauit, ſed iisdem, quae modo indicauimus, remediis adhibitis optimam recuperauit valetudinem.

De aëre tanquam cauſa multorum morborum eorum- p. 37.
que remediis Auctore IOB. BASTER. Tanta eſt vis et poteſtas aëris in humanum corpus reliquaque animantia, vt quocunque ſtatu eum eſſe ponas, aut maximum vitae ſuſtentandae emolumentum aut pernicioſiſſimum morborum vel mortis etiam periculum afferre valeat. Multae et variae ſunt admirandi huius fluidi qualitates, quarum principes huc pertinentes ſunt, aërem ſemper eſſe in motu conſtitutum, in numero eſſe corporum grauium, ex partibus diuerſi generis conſtare, in vario ſtatu vel, ſiccitatis et caloris vel, humiditatis et frigoris etc. comprehendi. Hae qualitates omnes diverſa quidem ratione maxime tamen in humanum corpus influunt. Aerem inſpiramus, quo fit, vt eius particulae ſanguini noſtro immiſceantur. In aëre innatat vehiculum fluidi electrici, quod magnam affinitatem, cum nerueo fluido habet. Calidus aër euaporationem et tranſpirationem promouet, atque aperit poros et corporis interſtitia, contra frigus poros conſtringendo claudit ac perſpirationem moratur. Haec generatim de aëris qualitatibus, ſequuntur de vento, aëris grauitate, ſiccitate, calore, humi- p. 48.
ditate, de calido et humido, de frigido et ſicco, de frigido et humido, de impuro aëre ſpeciales diſputationes. Ventorum plures cauſae a phyſicis traduntur, quarum nullae tam vulgares tamque per-

ſpectae ſunt, quam quae a frigore et calore pendent. Calore enim rareſit aër et diſpellitur, frigore autem conſtringitur et grauior redditur, atque tum calore, tum frigore aëris aequilibrium tollitur. Ad qualitates ventorum, quod attinet, plures ſunt et ſeparatae. Septentrio in terra, quam Belgae colunt,
p. 52. per 42 prope dies quotannis ſpirat, ſiccus eſt et frigidus atque aëris grauitatem auget. Solanus vt plurimum frigidus coelum ſudum et ſerenum ſaepe efficit. Haec ventorum genera brumali tempore frigidam tempeſtatem annunciant, corpusque humanum validum et agile reddunt. Sed non omnibus mortalibus eſt proficuus Septentrio, affert enim incommoda paralyſi et podagra laborantibus, porro haemoptoicis, aliisque; exaſperat fauces, ventrem adſtringit. cet. Fauonius ex maribus veniens multos vapores et nubes aduehit. Auſter humidus et calidus aëris grauitatem minuit. Vterque ventus ingratus eſt hypochondriacis, hyſtericis, obnoxius neruorum morbis, morbis cutaneis, leprae, ſcabiei;
p. 55. caput grauant, corpus languidum faciunt. Cum immenſa ventorum vtilitas ſit, tum vel maxime corpus humanum recreant leniendo, promouendoque perſpirationem. Eſt vero recreationis refrigerationisque, quae corpori humano ab aëre moto contingit, ratio haec: cum calor in corpore naturalis 92 vel 94 grad. thermometri Fahrenheytiani cernatur, ſequitur, calorem in homine eum, qui in aëre inſit, longe ſuperare; quare in illam aëris portionem, quae hominis ſuperficiei proxima eſt, ſi in quiete ſit conſtituta, caloris copia ingreditur, et ſic humanum corpus circumdatum eſt atmoſphaera aliqua calida, cuius calorem ipſo homo percipit. Iam ſpirante vento diſpergitur haec atmoſphaera, atque homo hanc caloris priuationem ſentiens, frigoris gradum percipit. Ex quo, planum eſſe, intelligitur, cur ventus proprie nullum frigus

producat atque omnis refrigeratio a percepta caloris priuatione proficiſcatur. Ratio quoque in promptu eſt, cur cauendum ſit, ne quis tum, cum ob feruentiſſimum aeſtum corpus ſudore quaſi perfunditur, nimis feſtinanter ſe veſtibus exoneret. Inſignis, p. 61. eſt preſſio, quam exercet aër in corpus humanum, nam ſi ponamus integram adulti hominis cutem continere 20 pedes quadratos, pedemque cubicum aquae pondere 42 libr. premere pondus, vt quo aër humanum corpus premit, non minus ſit, quam 42240 libr. Sed, qui fit, vt tantam aëris preſſionem nullo modo ſentiamus? fit hoc ex eo, quod aër, vt fluida quaeque, verſus omnes partes aequabiliter premit. Sic, ne vrinatores quidem, ſi modo machina, qua immerguntur, lente aquae immittitur, incumbentis ſibi ponderis ſub aquis profundis quidquam percipiunt; quamquam incumbentis aëris preſſio atque aquae, quando vrinator ad 300 pedes aquae immiſſus eſt, ter ſuperat eam, quam ſolus aër exercet, hoc eſt pondere $9 + 42000 = 378000$. libr. vrinatoris corpus premit. Haec inſignis aëris preſſio, quam in corpus quodcunque exercet a tribus pendet rebus, primo atmoſphaerae altitudine, ſecundo eius denſitate, denique a corporis preſſi ſuperficie. Iam ſi vna harum rerum, quod ſaepe quidem accidit, mutetur, varia exiſtit preſſio. In Belgio maxi- p. 65. mae et minimae preſſionis differentia 4000 libr. reperta eſt, quae variatio, cum magna ſit, non eſt, quod mireris immenſam aëris in humanum corpus vim et virtutem. In grauiori aëre corpus viget valetque, quod aëer extrinſecus partes magis comprimit atque efficit, vt ſanguis verſus cor aliasque internas partes vehementer protrudatur. Sed, ſi diu in hoc ſtatu aër permanet, humores condenſantur, globulique ſanguinei maiores ac duriores euadunt, vaſa nimis conſtringuntur, attritus particularum et cum eo coniunctus calor augetur; hinc

obſtructiones, morbique inflammantes exiſtunt.
Si vero externa aëris preſſio remittitur atque immi-
nuitur, aër in ſanguine aliisque corporis partibus
quaquauerſum ſe euoluit et vaſa ampliora reddit,
ex quo, dici non poteſt, quanta articulorum laſ-
p. 68. ſitudo, pulſuſque retardatio oriatur. Mathema-
tici docent, minorum corporum ſuperficies in ma-
iori eſſe ratione ad magnitudinem et ſoliditatem,
quam maiorum ſuperficies ad ſuam magnitudinem.
Hoc in cauſa eſt, cur infantis corpus ab atmoſphae-
ra vehementius quam adulti hominis prematur. In-
fantis magnitudo duorum annorum ad magnitudi-
nem adulti hominis vix eſt in tripla ratione. Qua
tamen poſita, erit infantis ſuperficies ad ſuperfi-
ciem adulti hominis vt 3 ad 9, eorumque ſoliditates
vt 3 ad 27. Ex quo conficitur, infantis corpus ter
vehementius corpore adulti hominis ab atmoſphae-
p. 71. ra premi. In ſicco aëre aquoſae partes magno nu-
mero e corpore euolant, quo fit, vt vaſorum ampli-
tudo coarctetur, et ſanguinis motus per orbem in
vaſis inprimis capillaribus imminuatur, quae cum
magnum intrinſecus calorem excitent, multorum
morborum genera inde oriuntur; paulo plura ta-
men, ſi praeter ſiccitatem aër quoque calidus ſit.
Sanguis animantium iis regionibus, vbi ſolis aeſtus
feruentior eſt, craſſior apparet et nigricat. Calor
48 graduum aptus eſt ad ſeruandum ſanguinem di-
lutum, quodſi 80 vel 90 grad. ſit, quae mutatio
humorum inde eueniet? Calor centum graduum et
ſupra oui albumen coagulat. Si nimis magnus eſt
aeſtus, multae oleoſae humorum partes e corpore
egrediuntur et rotunda particularum ſanguinis for-
ma in acutam anguloſamque mutatur, hinc acrimo-
nia ſolidarum particularum agilitatem impediens.
Quam infeſtus magnus calor ſit animantibus, expe-
p. 77. rimenta docent a Cl. BOERHAAVIO cum cane et fele
in hypocauſto inſtituta. Tempeſtatem ſiccam et cali-
dam

dam diu perſiſtentem comitantur febres malignae, cholerae, colicae bilioſae etc. Si quis in feruentiſſima tempeſtate propter nimium ſudorem et de via faſſus ac defatigatus ſit, nullum ad impediendum ſudorem adminiculum aptius eſt, quam ſi eiusmodi laſſus et viribus quaſi exhauſtus vini aduſti, quantum buccae capiant, portionem ſumat. Vinum quidem aduſtum, ſi in aquam frigidam infundas, thermometrum ad adſcenſum cogit, itaque maſſam calidiorem eſſe oſtendit, at hic caloris gradus cito tranſit, quod ſimiliter in ſanguine ex aſſumpto vino aduſto fieri valde probabile eſt. Humidus aër ob vaſa abſorbentia per vniuerſum corpus humanum diffuſa, quae aqueas in aëre natantes particulas continuo ſugent, obnoxius et damnoſus eſt, nam partium validarum cohaerentia imminuitur, fibrae et vaſa ipſa remiſſiora euadunt, tonus vaſorum eorumque virtus debilis fit, ſanguinis celeritas per orbem moti retardatur, ſanguis craſſior et tenacior redditus impeditur, quo minus poſſit in vaſa capillaria ingredi, ſecretio humorum ex ſanguine perficiendorum inepte circumſcribitur, abſorptae a vaſis abſorbentibus et recurrentibus aqueae particulae ſanguini immiſcentur, interſtitia et pori clauduntur atque oppilantur, vaſa abſorbentia dum nimis turgent, efficiunt premendo dimetientes vaſorum exhalantium minores atque exhalationem ipſam imminuunt. Calidi aëris eſt etiam atque humidi laxare fibras, quid coniuncti facient? profecto viribus debilitas et remiſſio multo maior timenda erit. Vt, qui ex eiusmodi aëris ſtatu proueniant, morbi initio ſtatim euitari poſſint, ſolidarum partium corroborandarum cura gerenda eſt et globulorum ſanguineorum vis elaſtica ſeruanda. Carnibus tenuibus et delicatioribus veſcendum eſt, et potiones refrigerantes vſurpandae. Cauendum modo eſt, ne eiusmodi cibis, qui humidae ſint naturae,

p. 80. p. 82. p. 92.

nimia copia vtamur v. c. iuſculis ex compreſſis
carnibus confectis. Porro euitandae et hae res
ſunt, quae exhalationem minuunt v. c. Lardum,
argillae, oſtreae, potio ex Coffea et Thea parata,
aliaque potionum aquoſarum genera. Vtilia ſunt
balneae frigidae, alui purgationes, eccoproticum;
damnoſa eſt larga venae ſectio in febre a calida hu-
midaque tempeſtate effecta. Omnium tamen maxi-
ma vitae ſeruandae vis ineſt in ventis, Septentrione
et Aquilone, quippe qui aëris limpiditatem, ſicci-
p. 98. tatem grauitatemque reſtituunt. Aer frigidus et
ſiccus ad corpus noſtrum magis accommodatum eſſe
videtur, quam calidus. Sed omni periculo liber
non eſt, ſi vehemens ſit et per longum temporis
interuallum perduret. Frigus corpora quaeque
conſtringit, ex quo efficitur, vt motus ſanguinis
per externas corporis partes, frigori maxime expo-
ſitas, lentior fiat, in interioribus vero partibus
celerior euadat; deinde, vt ſolidae partes ex frigore
obrepant minusque volumen occupantes maiorem
vim elaſticam acquirant; Denique vt globuli ſan-
guinei nimis compreſſi impediantur, quo minus
oualem formam tantopere neceſſariam induant.
Aer frigidus innumeras partes nitroſas complecti-
tur, quae exhalationi impedimento ſunt. Frigidae
tempeſtatis affectiones valde moleſtae ſunt hypo-
chondriacis; notatu enim dignum eſt, quod in An-
glia brumali tempore autochiria ſit frequentiſſima.
Qua tempeſtate frigida proficuum eſt, ſi prandium
iuſculo gallica ratione confecto, aperiamus. Vtiles
quoque ſunt potiones calidae et diluentes. Ne mane
ieiuni exeamus, euitandum eſt. Laudantur venae
ſectiones. Aer frigidus et humidus anginae, fe-
p. 106. brium intermittentium et lentarum continuarum,
ſcorbuti etc. cauſa eſt. Hac perdurante tempeſtate
plus, quam ſoliti ſumus, corpus motu corrigen-
dum eſt, vt exhalatio iam impedita iterum reſtituatur.
Veſtibus calidis vtendum eſt, et vinis corroboran-

tibus;

tibus; pedes ante cubitum in aqua calida lauandi; lucubrationes maxime brumali tempore evitandae. Aer impurus et venenatis particulis infectus corrumpit ſanguinem reliquosque humani corporis humores. Cum enim ſubtiliſſimae illae partes admodum graciles ſint, facile accidere poteſt, vt ab inhalantibus vaſis abſorbeantur, quo ſanguinis globuli ad aſſumendam pungentem acutamque figuram cogantur, vnde multi morbi acuti originem ducunt. Interdum aer eiusmodi vaporibus exitialibus corruptus cauſa peſtis fuit. Huius corruptionis plus vnica ſit cauſa neceſſe eſt, quamquam certe definiri non ſemper poſſint. Saepe effluuia ſanorum hominum moleſta et periculoſa ſunt, vt, qui concioni interſint, vbi magna hominum multitudo adſit v. c. in aedibus ſacris, nauibus, cauponis, ſaepe experti ſunt. In fine quaeſtio ſoluitur, vtrum aer in Zeelandia, an in Hollandia ad valetudinem ſeruandam accommodatior. Non tam obnoxium eſſe aërem in Zeelandia, veluti ſibi perſuadent multi, Cl. Auctor colligit ex eo, quod terreſtres fructus longe praeſtantiores, effoſſae aquae dulciores atque cuncta animantia validiora, quam in Hollandia, reperiantur. p. 110. p. 124.

Solutio problematis de optima muniendi polygonii ratione Auct. N. YPEY. p. 134.

De ratione inter dimetientem et ambitum circuli diſputat D. KLINKENBERG. p. 147.

De male curata oſſis femoris fractura eiusque in priſtinum ſtatum reſtitutione Auct. G. TEN HAAFF. p. 158. Puer 14 annorum decidens de ſublimi aliquo loco os femoris fregerat. Chirurgus, cui ſanandi cura demandata fuerat, haud felici ſucceſſu curationem abſoluerat. Pes male reſtitutus multo breuior altero extitit et de die in diem tabuit. Iam 16 hebdomades et quod excurrit, praeterlapſae erant, priusquam Cl. Auctor in auxilium vocabatur. Initio haeſi-

haeſitans ob veteranum malum nolebat tam intricatae rei curam in ſe ſuſcipere, perſuaſu tamen matris aegrotantis filii tandem commouebatur, vt
p. 167. inſtaurandae valetudinis initium faceret. Primum, quod adhibuit, remedium, eius erat indolis, vt callus, ſi poſſet, molliretur, quare adplicuit femori vnguentum reſoluens ex mercurio viuo cum therebint. trito, addito vnguento populeo. Hoc vnguento bis ſingulo die vſus eſt, atque id eo loco, vbi opus fuit, vehementer infricauit et poſtea eundem locum illiniuit alio vnguento, ex farina lini et althaeae compoſito, cum aqua coctis et vnguento alth. ſimpl. Continuatis his remediis per 14 dies arbitrabatur callum forſitan ita emollitum eſſe, vt artificioſa fractio inſtitui poſſit. Pueri in ſcamno ad longitudinem exporrecti pedem duo viri robuſti et validi hoc modo apprehendunt, vt alter ſupra genu, ſupra fracturam alter pedem teneat et paulatim primo, deinde ſumma vi eum extendant. Repetita hac maximum dolorem efficiente extenſione tandem fractura contigit. Pes ea, qua opus erat arte et induſtria ligatur. Tertia die aſciae ſoluuntur ob vehementes dolores, quos aegrotans ſentiebat. Explorata cauſa patet dolorem a faſcia tortili eſſe ortum. Pes iterum ligatur hac tamen cautione, ne faſcia tortilis vllum in poſterum eiusmodi incommodum afferret. Poſt loco faſciae tortilis adhibetur corium craſſum aqua emollitum et malleando ita excauatum, vt laeſae pedis parti accurate poſſit applicari. Femoris os confirmatur. Impediendae tabis cauſa pes ſingulo die ſemel vel bis aqua ſpirituoſa lauatur et fricatur.

p. 183. *De ventis conſtantibus et generalibus vulgo-Paſſaat-Winden Auct.* M. SEMEYNS. Cauſae ventorum generalium variae a naturae indagatoribus in medium proferuntur. Quidam ſtatuunt, hos ventos ex eo prouenire, quod, dum tellus rotatur, atque, aër

aër cum eo, hic aliquantum tardior ad motum minus ſequatur telluris motum. Alii vero exiſtimant, ſolem huius venti, ab oriente ad occidentem ſpirantis, eſſe cauſam, quoniam is ob feruentiſſimum aeſtum aërem in zona torrida ab oriente in occidentem protruderet. Sed ſi quis ad rem animo attendere velit, ſufficere ad explicanda haec ventorum genera. Nam ſi calorem ſolis cauſam eſſe ſolam ponamus, tantum abeſt, vt venti generales ab oriente in occidentem ſpirare poſſint, vt potius aër contraria directione moueri debeat. Quae p. 190.
cum ita, ſint Cl. Auctor has nominatas cauſas coniungit atque aliam ventorum generalium explicationem tradit. Dum terra ſpatio 24 hor. ab occidente in orientem circumrotatur, accidit, vt aër tanquam fluidum corpus prope tertiam partem remaneat, adeoque motum ab oriente in occidentem adquirat. Solis vero calor motum priori contrarium ab occidente in orientem producit. Iam ſi aëris moti vis ab oriente in occidentem maior ſit ea a ſolis calore effecta, vel minor vel aequalis alteri varii ventorum generalium motus prouenient. Ad quod accedit, quod a partibus maris terrae vicinis aliisque terrae continentis locis a radiis ſolaribus calefactis horum ventorum directio valde impediatur multumque mutetur. Quibus conceſſis cauſis tanquam primis facile mutationes generalium et anniuerſariorum ventorum explicari atque illae quaeſtiones ab Auctore propoſitas ac ſolutas maximam partem enodari poterunt. Sunt autem quaeſtiones hae: 1) cur ventus conſtans et generalis per p. 198.
totum annum ab oriente in occidentem ſpiret in mari athlantico, aethiopico, ſimiliter in mari pacifico ad latitudinem bor. et auſtr. 28 vsque ad 30 grad.? 2) cur tales venti ſe vlterius non extendant aequabiliter et conſtantia aliqua praeter dictos gradus? In cauſa eſt terrae rotatio et calor ſolis, quatenus

tenus non a circumiectis et proximis terrae partibus impediuntur. 3) Cur circa litora *Guineae* in *Africa* ventus generalis, qui aquilo ad ſolanum accedens eſſe deberet, ſemper africus ſit? Sine omni dubitatione hoc proficiſcitur a ſolo admodum arenoſo ex calore ſolis vehementer aeſtuante, et diu
p. 200. aeſtum conſeruante. 4) Cur in haemiſphaerio boreali plerumque perpetuus aquilo ſpiret; et in locis latitudinis auſtralis conſtans eurus obſeruetur?
p. 204. Hoc intelligitur partim ex terrae rotatione partim ex motu ſolis in ecliptica. 5) Cur in parte boreali maris indici venti in vno ſemeſtri cum eis in reliquis maribus conſpirent, in altero tamen ſemeſtri mutentur et e regione priori contraria progrediantur, ſpirante tamen vento in auſtrali huius maris parte eodem tempore ſolano ſeu euro? Haec inopinata venti mutatio quaerenda eſt in ampliſſimis illis regionibus, huic mari e ſeptentrione oppoſitis. 6)
p. 209. Cur in mari chinenſi tantopere venti ab oriente verſus ſeptentrionem et ab occidente verſus auſtrum declinent? Mutatio haec a ſitu terrae continentis pendet, quippe quae maximam partem ad ſepten-
p. 211. trionem et auſtrum vergit, 7) Cur eurus a medio aprilis vsque ad medium nouembris in mari indico vsque ad latitudinem auſtralem 2 grad. ſpiret, cum contra a medio nouembris ad medium aprilis intra *Timorem* et *Hollandiam* nouam fauonius vehemens ſit, et a 2 ad 3 grad. et a 10 ad 11 grad. latitud. auſtralis fauonius et caurus vela inflet. Huius quaeſtionis ſolutio ab iisdem, quas ſupra diximus, pendet cauſis.

p. 223. *De vtilitate numerorum triangularium in definiendis ſpatiis vel. temporibus corporum grauium et labentium Auct.* N. ENGELHARD.

p. 231. *De doliorum menſura ope calculi fluxionis inſtituta et correcta Auct.* D. KLINKENBERG.

De

De aequationibus cubicis exponit WILH. OTTO REITZ. p. 239.

Deſcriptionem turbonis aquei eiusque explicationem tradit Mr. I. F. DRYFHOVT. Turbo aqueus, quem belgice *Hoos* et gallice *Trombe de Mer* appellant prope *Hagam comitum* a Cl. Auctore et aliis an. 1751 media aeſtate obſeruatus fuit. Hunc primum ſatis copioſe deſcribit, deinde generatim in cauſam huius aliorumque turbonum inquirit. Nolumus iam in tradenda huius turbonis deſcriptione cuiquam eſſe moleſti, inprimis cum multa, quae cum eo coniuncta fuerunt atque ab eo effecta, cum aliis eiusdem generis turbonibus conueniant. Sed ad cauſas quod attinet, quas Cl. Auctor in declarandis turbonibus indicauit, non poſſumus non, quin paucis de eis mentionem iniiciamus. Nautae plerumque ſibi perſuadent, turbones, quam profunderent, aquam ex mari ſugere; ſed falſam eſſe hanc ſententiam, nulloque niti fundamento facile perſpicitur. Alii turbonum cauſam hanc eſſe credunt, vt nubes in ſublimi pendens deorſum in aliam nubium copiam laberetur, quo efficeretur, vt aër, velut in aëlipola comprimeretur et compreſſus per inferiorem nubem magno impetu deorſum prorumperet. Sunt, qui contendant, turbones oriri, ſi duo venti contrariis directionibus nubem intermediam comprimerent et ſimul ita contorquerent, vt vortex quidam aqueus ſuo pondere ex nube deſcenderet. At neutram harum ſententiarum ſufficientem eſſe, colligit ex eo, quod neque lapſus ſublimioris nubis in alias ſubiectas, neque motus in orbem vllus in turbone illo, quam obſeruauerat, poterat animaduerti; miſſis aliis etiam difficultatibus, quibus iam dictae ſententiae premerentur. Aliam itaque docet explicandorum turbonum rationem, quam principem et proximam eſſe quaerit in vario caloris et frigoris diſcrimine. p. 321. p. 343

Tunc

Tunc temporis, cum turbo aqueus conſpiceretur,
ventus e regione auſtrali ſpirabat; quod genus ven-
torum in Belgio plerumque calidum eſt. Iam fin-
gas aliud aëris flumen particulare priori aduerſum,
quod e regione ſeptemtrionali ideoque frigida ver-
ſus nubem aliquam a priori vento aduectam pro-
rumpat. Hoc alterum aëris flumen impediet, quo
minus nubes progredi poſſit, eamque, ſi fieri poſſit,
in alias minores diuidet, quae ob rariorem aërem
in ſuperiore atmoſphaerae parte in ſublime prope-
p. 349. rabunt. Ex quo patet, cur nubes, vnde turbo ori-
ginem capit, paululum immobilis perſiſtat; cur
flumen aëris ſeptemtrionale, reſiſtente nube et flu-
mine aëris auſtrali cogatur ad motum in orbem in-
primis circa nubem; nam eiusmodi motu poſito,
cum ventus frigidus ſit, accidat, neceſſe eſt, vt
vapores aquei ſuperiores conſtringantur et ad nubem
ſubiectam delabantur; cur nubium congeries cir-
cumquaque compreſſa ſenſim paulatimque rotun-
diori forma et denſior obſcuriorque appareat; cur
denique aqua e nube deorſum deſcendat, nam cum
ventus ille frigidus ſupra nubem et ad latera potiſſi-
mum ob rariorem ibi aërem in orbe ſpirare cogatur,
efficitur, vt nubes ex frigore compreſſa in inferiore
parte, vbi calidior aër ſit, vapores aqueos con-
p. 352. ſtrictos emittere debeat. Hac tradita turbonum
cauſa ſequuntur explicationes effectuum, quos
eiusmodi columnae aqueae producere ſolent.

p. 378. *Deſcriptio microſcopii ad minutiſſimas res contem-
plandas accommodati Auct.* PETR. LYONET. In
exordio impellens cauſa corrigendorum microſco-
piorum indicatur a Cl. Auct. qui, cum inſectorum
contemplatione valde delectarétur atque animad-
uerteret, microſcopia non omnibus numeris eſſe
abſoluta, de adminiculis cogitauit, vt, quantum
fieri poſſit, minutae et oculorum aciem effugientes
res commodius cernerentur. Primum itaque
machinam

machinam ipſam vna cum aliis rebus, ad eam pertinentibus, deſcribit atque oſtendit, quo pacto eo ſit vtendum in contemplandis ſubtilibus rebus aliisque paulo maioribus. Deinde docet modum, quo poſſis accurate quidem rei, quae per microſcopium contemplaris, augmentum definire. Praeſtantiſſimi rerum opticarum periti plerumque contendunt, rem aliquam minutam nudo oculo valenti ſolere diſtinctam apparere in diſtantia 8 poll. anglic. ſeu $7\frac{1}{4}$ poll. rhen. Sed monet Auctor, hanc diſtantiam in vniuerſum non valere, neque pro norma in definienda magnitudine, per microſcopium aucta, poſſe aſſumi. Itaque loco $7\frac{3}{4}$ poll. rhen. diſtantiam $6\frac{1}{2}$ poll. rhen. ſumendam commendat, eamque applicat ad lentes ſui microſcopii et, quanta ſit magnitudo aucta per regulas ab opticis praeſcriptas, explorat. P. 393. P. 401.

Solutio problematis ad rem naualem pertinentis Auct. D. KLINKENBERG. P. 414.

Experimenta ſuper longitudine penduli ſimplicis Lugdunenſis inſtituta a IOH. LVLOF. Praemittit Cl. Auctor quaedam generalia de ſimplicibus pendulis, deinde ſtructuram deſcribit et apparatum illius penduli, quo ad definiendam longitudinem ſimplicis penduli vnius minuti ſecundi oſcillationem abſoluentis vſus eſt. Oſcillationum numerus a ſimplici pendulo in definito aliquo tempore abſollutarum dupliciter detegi poteſt, primo ſi oſcillationes ſimpliciter numerentur, quod quidem iterum duplici modo fit, vel numerando v. c. 3600 oſcillationes annotandoque minuta ſecunda, quibus accidunt, vel attendendo ad oſcillationum numerum, quae interuallo v. c. 3600 minutorum ſecund. abſoluuntur. Alter modus definiendi oſcillationum numeri ille eſt, quem Cl. MAIRAN docuit. Sumantur duo pendula variae longitudinis, quorum alterum interuallo vnius minuti ſecundi ſingulam oſcillationem peragit. Haec pendula initio quidem P. 419. P. 451.

oſcillationes aequabiliter perficiunt, paulo poſt tamen vnum altero celerius oſcillabit; praeterlapſo tandem tempore quodam iterum oſcillationes pares et aequales abſoluent. Iam hoc definito temporis interuallo ſimplicis penduli longitudo
p. 463. quodammodo erui poteſt. Simili ratione definiuit Cl. Auctor veram penduli ſimplicis longitudinem et cum hanc, tum reliquas, quas modo indicauimus normas inueniendae longitudinis adhibens quatuordecim experimenta inſtituit, atque ea, qua ſolet, perſpicuitate et accuratione cum lectore communicauit. Ex quibus, adhibita correctione, quam fili pondus et centrum oſcillationis requirebat, concludit, veram penduli ſimplicis longitudinem Lugduni Batauorum vnius minuti ſecundi tempore oſcillationem deſcribentis eſſe 440, 71183 lin. pariſ. ſeu
p. 501. 455, 963 lin. rhen. In fine de pendulorum ſimplicium definitae longitudinis vtilitate exponit, quae profecto magna eſt; nam hac perſpecta, ſpatium, per quod corpus graue, ſi nullus aër reſiſtat, tempore vnius minuti ſecundi labitur, commode definire poſſumus. Sic Lugduni Batauorum eiusmodi corpus primo minuto ſecundo per 2175, 14 lin. pariſ. ſeu 2250, 412 lin. rhen. = 15' 7'' 6, 412''' rhen. labitur. Secundo a definita horum pendulorum longitudine pendet determinatio rationis inter axem terreſtrem et diametrum telluris. Nam ſi penduli ſimplicis longitudo ſub aequatore = 439, 07 lin. et Lugduni Batauorum = 440, 71183 lin., erit eiusmodi penduli longitudo ſub polis = 441, 70325 lin. Ergo axis terreſtris ad diametrum terrae, vt 439, 07 ad 441, 70325 h. e. vt 168 ad 169, 006. Tenendum tamen eſt, hanc rationem non niſi hac lege eſſe largiendam, ſi meridiani terreſtres ad ellipſin apollonianam pertineant. Denique ex penduli ſimplicis longitudine, ſi ſemel eruta ſit,

poſteri,

poſteri, amiſſam veram longitudinem menſurae alicuius populi accurate reſtituere poſſunt.

Tractatio aliqua mathematica Auct. D. KLINKENBERG. p. 509.

Continuatio experimentorum explicandae electricitatis cauſa inſtitutorum a I. ENGELMAN. p. 518.

Proiectio eclipſium noua methodo propoſita a D. KLINKENBERG. p. 540.

Obſeruationes in Pſalmos, qui Hammaaloth inſcribuntur a CORNEL. CLEYN V. D. Min. p. 548.

Curatio vulneris in regione temporali dextri lateris Auct. I. H. SCHVTTE. p. 566. Vir quidam acceperat vulnus a milite, qui ſtricto gladio tempora dextra eius percuſſerat. Praeter muſculum temporalem, laeſum quoque erat os temporum et vulnerata dura ac pia mater ita, vt arteriarum pulſus in cerebri ſuperficie manifeſte conſpici potuerint. Ob magnam ſanguinis copiam, quam laeſae arteria carotides et vena iugularis externa atque interna profunderent, aegrotus vehementer, debilitabatur. Chirurgus tantum vulneris periculum animaduertens, aegrotanti nihil niſi linteorum ramenta tradiderat, vt ipſe ſanguinis profuſioni quodammodo inhiberet. Sequente die Cl. Auctor vna cum alio chirurgo ad vulneratum accedit, quem viribus quaſi exhauſtum nec ad commedendum, nec loquendum aptum inueniunt. Vulnus hoc modo obligatur: Sicca linteorum ramenta, cum fomentatione ex herbis diſcutientibus vino coctis adhibentur; poſthac turundae imbutae eſſentia ſuccini et agrimoniae vulneri imponuntur matutino et veſpertino tempore. Quinto die graui febre aegrotans afficitur et delirio corripitur. In eo fatali ſtatu manet ad diem vſque nonum, ex quo tempore vtrumque malum ſenſim recedit. Die ſeptimo fragmentum portionis ſquamoſae oſſis temporum e vulnere trahitur, die duodecimo tria alia minora et ſic ſummatim tredecim, oſſicula

oſſicula ſunt extracta. Nunc, qui vulneratus olim erat, nec in ſumendis, neque manducandis cibis vllum incommodum ſentit.

p. 575. *Curatio duarum arteriarum contuſarum ab Auct.* PET. SANNIE. Operarii manus eo loco, vbi in pulſuum celeritatem inquirere ſolemus, a labente cuneo ita contundebatur, vt ſanguis magno impetu proſiliret. Vulnus, quantum valet, pollice operit et chirurgi auxilium ex inſtanti petit. Hic, vulnus valde eſſe periculoſum cognoſcens, Cl. Auctorem adit, vt coniunctim huius rei curam gereret. Faſcia tortilis adhibetur partim explorandi vulneris, partim impediendi fluxus ſanguinis cauſa. Arteria laeſa clauditur omni, qua opus eſt, cautione. Cochlea iam dicti inſtrumenti paululum retro voluitur, vt, num recte clauſa ſit arteria, cognoſceretur. Vulnus obligatur. Compreſſiones ab inſtrumento factae iterum minuuntur. Altero die vnguentum leniens vulneri immittitur; Faſcia tortilis vt ante. Sic indies continuatur, donec operarii manus ab inſtrumento, quod comprimendi cauſa adhi-
p. 581. bebatur et a vulneris periculo liberatur. Alter caſus, quem commemorat, paulo difficilior eſt. Arteria dextrae manus viri cuiusdam eodem loco, vbi pulſuum celeritates tactu percipiuntur, ex nimia contuſione laeſa fuerat. Vulnus ex parte, ſed male, curatur. Haud ita poſt dolores intolerabiles exiſtunt. Cl. Auctor, qui curam eius ſuſcipere rogatur, ſimili modo, vt ſupra diximus, faſcia tortili vtitur. Res primum ex voto ſuccedit. Sed praeterlapſis octo diebus, cum aegrotus putaret, non amplius opus eſſe hac faſcia incommoda, cochleam eius retro voluit. En nouam ſanguinis profuſionem! Accedente deinde Cl. Auctore faſcia iterum adplicatur, arteria clauditur et vulnus omni induſtria obligatur. Tandem poſt aliquot dies manus bene confirmata eſt.

Noua

Noua varii generis ad ſocietatem miſſa.

NICOL. ENGELHART Prof. Groening. refert hanc rem valde notabilem: An. 1755 vidua, cuius maritus ante vndecim annos mortuus fuerat, vita functa eſt. Cadauer mariti reconditum erat in monimento conſtructo in aede ſacra, cui nomen a S. Martino eſt. Iam decretum erat ibidem ſepelire mortuam viduam. Monimentum aperitur. Libitinarius cupidine ductus aperit loculum, eo conſilio, vt de mariti cadauere cognoſceret. Adſtant duo verbi diuini miniſtri. En, repente prorumpit flamma in libitinarium, manu candelam tenentem, tanta vi, vt crines et veſtis capillamenta adurat. p. 601.

I. D. GAVBIVS Prof. Lugd. Bat. mentionem facit *de calculis ex vtero virginis 28 annorum eiectis.* Virgo haec caſu quodam in eum morbum, quem prolapſum vteri appellant, incidit. Poſtquam hoc morbo iam quatuor annos laborauerat, demum medicae artis periti auxilium implorat. Dolores indies vehementiores exiſtunt. Tandem calculus ex vtero egreditur, aegrotans femina paululum recreatur. Aliquot dies poſt dolores acerbiſſimi eam vexant, nec prius deſinunt, donec duo alii calculi ex vtero proueniunt. Dolores quidem ceſſant, ſed paulo poſt cruciatus redeunt. Miſſis aliis duobus calculis vna cum magna copia materiae ſanguini ſimilis coniuncta, demum conualuit. p. 603.

SERVAAS VAN DE COPPELLO M. D. *quae de liene et renibus obſeruauerat,* retulit. Puella quinque annorum et 6 menſ. aſcitide functa eſt vita. Vulgus, vt ſaepe fit, eam faſcinatam fuiſſe, firmiter ſibi perſuaſerat. Cadauer ſecatur. Omentum putredine corruptum et ſeparatum in pelue poſitum reperiebatur. Ventriculus et inteſtina illaeſa, aëre tamen ad craſſa vſque inflata. Hepar colore plumbeo, veſicula fellis praeter naturam repleta bile, atro colore tincto. Lien inconſueto modo paruus, extrin- p. 610.

extrinſecus nigricans, atque eius vaſa omnia cartilaginoſa. Meſenterium hic illic obſtructionibus conſpicuum, renes quidem rite poſiti, dexter tamen ſiniſtrum longe ſuperabat. Succenturiati renes obturati et vt lienis vaſa cartilaginoſi. Haec in abdomine. In pectoris cauitate magna aquae pellucidae copia, non tanti odoris, quam in abdomine. Lobus pulmonum dexter ſuperiori parte putredine affectus. Pulmo exciſſus aquam ſtillabat. Cor in ſano ſtatu.

p. 618. I. F. SYBEL V. D. Miniſtri *obſeruationes quaedam de terrae motu* an. 1756 d. 18 Febr.

p. 621. EIVSDEM *deſcriptio terrae lapſus cuiusdam.*
Obſeruationes meteorologicae Suaneburgenſes annorum 1747. 1748. 1755.

II.

Dictionaire raiſonné et uniuerſel des Animaux ou le Regne Animal, conſiſtant en Quadrupedes, Cétacées, Oiſeaux, Reptiles, Poiſſons, Inſectes, Vers, Zoophytes ou Plantes animales; leurs propriétés en Médicine; la claſſe, la famille, ou l'ordre, le genre, l'eſpece avec ſes variétés, ou chaque animal eſt rangé, ſuivant les differentes methodes ou nouveaux ſyſtêmes de Meſſieurs LINNAEVS, KLEIN et BRISSON: par M. D. L. C. D. B. Ouvrage composé d'après ce qu'ont écrit les Naturaliſtes anciens et modernes, les Hiſtoiriens et les Voyageurs. Maior rerum mihi naſcitur ordo; maius opus moueo. Aeneid. Virg. L. VII. à Paris chez *Claude-Jean-Bauche,* Libraire, 1759. 4. Tome I. Alph. 4. pl. 14. Tome II. Alph. 4. Tome III. Alph. 4. Tom. IV. Alph. 3. plag. 11.

h. e.

Lexicon vniuerſi regni animalis etc.

Tam foecundum eſt ſeculum noſtrum lexicis, vt vix doctrinam vel artem vllam appellaueris, in qua non poſſis vnum atque alterum horum librorum genus, quamquam non ſemper commendare, tamen, ſi opus ſit, in medium proferre. Eſt enim illis non vna eademque laus et fortuna, ſaepe etiam illa, quod inter omnes ſatis conſtat, magis damnum, quam vtilitatem afferre videntur. Sed noſtrum iam non eſt, vt, vtrum eis libris carere poſſimus, nec ne, doceamus, hoc tamen, vt opinamur, largiendum eſt, ſi rite in ea doctrina atque arte, quae magna rerum nominumque copia abundant, perficiantur, ſaepe, etſi non ſemper vtilitatis, tamen commoditatis eſſe eiusmodi libros. Talis eſt amplus ille liber, cuius ſummam nunc indicare decreuimus, quem quodammodo vtilem futurum, et commoda quaedam eſſe allaturum, ſi curatius eum volueris, nullus negabis. Complectitur quatuor tomos, in quibus varia nomina animantium recenſentur ac interdum explicantur, quidque de animali quoque ſit perſpectum, atque ab aliis litteris conſignatum traduntur. In primo tomo praefaminis loco inſtituta eſt breuis, manca et ſine ordine de regno animali generalis diſputatio, cuius partes ſunt: de animantibus cunctis, in hominis vtilitatem conditis; de animantium generatione et propagatione, multiplicatione, cura ſobolis, nutritione; de varia eorum diſtributione, a regione, eis conſentanea, ſumta; de guſtu, quo ad vitam ſeruandam praedita ſunt; de prouidente Dei cura in conſeruandis brumali tempore beſtiis; de auium migratione; de rapacitate et ferocitate, qua aliis beſtiis noxam inferunt; de adminiculis, quibus tanquam

armis ſe aduerſus hoſtes defendunt; de rapacium et crudelium animantium vtilitate in impedienda aliarum ſpecierum nimia multiplicatione; de beſtiarum carniuorarum neceſſitate; ſequitur deinde totius libri ratio et animantium diuiſio. Hanc de animantibus diſputationem generalem excipit catalogus principum auctorum, tam veterum, quam recentiorum, qui de animantibus ſcripſerunt, quorumque mentio in hoc lexico iniecta eſt. In fine vltimi tomi adiecta eſt materia medica regni animalis ex Cl. LINNAEI Syſt. nat. edit. VI et amoenitatibus T. II deſcripta; porro materia medica ex libris Cl. GEOFFROY. Denique exhibentur generales regni animalis diuiſiones a LINNAEO, KLEINIO et BRISONIO excogitatae, vna cum Cl. D'ARGENVILLI et ADANSONII conchiliorum diſtributionibus. Hic eſt totius libri adſpectus generalis. Sed videamus nunc paucis, quaenam ſit eius indoles. Continet fere vniuerſa illa, quae de animantibus a doctis viris tradita ſunt. In eo reperitur de animalibus quadrupedibus, auibus, piſcibus, inſectis, vermibus etc. non quidem abſoluta, tamen ampla et iucunda narratio. Deſignantur animantium nomina varia Sed tantum abeſt, vt nomina iſta, quae in ſeparatis articulis inueniuntur, omnia franco-gallico idiomate proponantur, vt potius ſaepe alia, italica ſcilicet, germanica vocabula articulo nomen praebeant, talis eſt ille articulus, qui inſcribitur *Stockfiſch*, multi alii. Miramur itaque hanc inopinatam lexici gallico idiomate ſcripti conſtitutionem; nam ſi ſemel, quod tamen ſaepe factum eſt, aliarum nationum nomine animantibus impoſito articulus inſcribendus erat, cur potius haec et non reliqua omnia proponenda ſint, non videmus. In hoc lexico porro deſcribuntur corporis animantium externae et internae partes, vita, mores, morbi, propagatio, educatio, qualis ſit anima-

animalium vſus in nutriendo ſanandoque corpore humano, qualis in artibus humanis, oeconomia aliisque vitae neceſſitatibus et oblectamentis. In deſcribendis et diſtribuendis animantibus, quod ipſi monent Auctores, ſecuti ſunt Linnaeanam, Kleinianam et Briſſonianam diſponendorum animantium rationem. Saepe tamen et aliorum deſcriptiones atque explicationes ſubiiciuntur. Laudantur praeſtantiſſimorum ſcriptorum libri, vbi pinguior et vberior traditarum rerum deſignatio et deſcriptio reperitur. Cum ſaepe vnum idemque vocabulum variis rebus reſpondeat, non mirum eſt, ſi in eiusmodi articulis v. c. de libellis, canibus etc. omnia iſta animantia, ſiue ad quadrupedia, ſiue ad aues, piſces, inſecta pertineant, quia illis commune nomen eſt, coniuncta inueniuntur; ratio enim et ordo rerum alphabeticus hanc, vt facile quisque perſpiciet, animantium copulationem poſtulabat. In laude quoque eſt, quod, quae certa et probatis auctoribus confirmata ab eis narrationibus et fabulis, quae ſaepe commentitia et vix anili lucubratione digna ſint, curate et diligenter ſeparentur. Age nunc, quae diximus, exemplo illuſtremus. Sumamus articulum illum, qui eſt de apibus excellente et ſatis cognito inſectorum genere. Quae commemorant Conditores huius lexici de his inſectis maximam partem ſumpta ſunt ex egregiis illis REAVMVRI libris, qui ſunt de inſectis et apibus, vbi copioſe et docte omnia, quae poterant dici de his beſtiolis, diſputantur. In hac larga dicendi materia initium factum eſt de apibus proprie ſic dictis, de aluearium variis formis, de tribus illis apium ſpeciebus, quae aluiare ſingulum inhabitant. His poſitis deſcribuntur partes omnes, cum externae, tum internae in apibus diſcernendae; deinde quantum diſtant apes operariae ab apibus maribus et ape regina dicta narratur; ſequuntur vberiores

 narra-

narrationes de alueolis apum, quibus mel recondunt, de propagatione, cera, melle, vita, hoſtibus et morbis apum, de fauo et admiranda eius conſtructione, de foenore, quod ex colendis apibus lucrari poſſumus. Abſoluto hoc de apibus proprie ſic dictis articulo in ſcenam prodeunt, alia apum genera, fuci ſcilicet, apes ſolitariae, ſyluaticae, bombyli, ſubterraneae, parietum lutariarum incolae et id genus aliae; porro de apibus peregrinis tantum, quantum ab aliis memoriae proditum eſt, proponitur; in fine quaenam ſit vtilitas apum, cerae, mellis etc. in re medica paucis indicatur. Haec de apibus. Subiiciamus nunc alterum exemplum ex numero animantium quadrupedum ſumtum. In articulo iſto, qui eſt de canibus, primum nomina, deinde definitiones et diſtributiones canum traduntur. Sequitur deſcriptio omnium partium, quae in corporibus caninis diſcernuntur. Mentio fit nutritionis, excrementorum, curſuum, quietis, propagationis et vocis; laudantur indoles peculiares, olfactus horum animantium; narrantur morbi et quinam ſit vſus canum in medicina. His declaratis canibus domeſticis, ſequuntur articuli de canibus ſylueſtribus et feris, de canibus volantibus ſeu veſpertilionibus LINNAEI; denique canes marini piſcium genus eorumque ſpecies traduntur et deſcribuntur. Sed ſufficiant haec, quae eo animo attulimus, vt, quale pretium huic libro ſit ſtatuendum, quodammodo poſſit intelligi.

III.

III.

D. CHRISTIAN GOTTLIEB LVDWIGII Ord. Med. in Acad. Lipſ. Decani, definitiones generum plantarum, olim in vſum auditorum collectas, nunc auctas et emendatas edidit D. GEORG. RVDOLPH. BOEHMER Med. Prof. Acad. Witteb. Lipſiae, apud Io. Fr. Gleditſch, 1760. 8 mai. Alph. I. pl. 16.

Quas anno trigeſimo ſeptimo huius ſeculi prima vice ad methodum RIVINI, elapſoque decennio ſecundum propriam, Riuino Linnaeanam methodum longe perfectiores ediderat generum plantarum definitiones Cel. LVDWIGIVS, nunc, cum ipſe Cl. Auctor aliis negotioſis actionibus fere obrutus, et a deliciis Florae remotus, ea, quae addenda et corrigenda eſſent, perficere haud potuerit, eius amici, et olim auditoris ſui Cl. BOEHMERI opera tertia vice euulgatas accepimus. Vt enim ipſe LVDWIGIVS in addita praefatione monuit, hunc libellum BOEHMERO ſuo integrum tradidit, permiſitque, vt mutanda, emendanda et augenda pro ſuo ingenio mutaret, emendaret, atque adderet; quae et omnia ita perfecit praeſtititque, vt vel ab ipſo LVDWIGIO applauſum reportauerit, nosque ipſi conſentientes, huic auctiori, et ad modernam huius ſtudii indolem accommodatae editioni Lectorum fauorem non defuturum eſſe, certo ſperemus. Vt vero de praeſtantia huius editionis aliquam exhibeamus ideam, notemus; in delineatione methodi nihil mutaſſe, characteres non modo eſſentiales, ex flore et fructu petitos, ſed et quandoque accidentales, ex reliquis plantae partibus collectos, retinuiſſe, in generibus vero inferioribus ordinandis, conſtituendis et denominandis paſſim receſſiſſe, immo

immo nonnulla noua genera condidiſſe; et proprias obſeruationes hinc inde adduxiſſe; in primis vero introductionem quaſi in plurima et praecipua botanicorum ſcripta perfeciſſe, auctorum citatorum libros, horumque paginas vbique ſollicite adduxiſſe, et in ſynonymiis colligendis, nouiſque a clariſſimis botanicis ſtabilitis generibus, genuinis aeque ac ſpuriis, ordinandis et diſponendis laudabileem operam adhibuiſſe. Praemiſit etiam operi, praeter diſpoſitionem methodi generalem, ſpecialem quoque generum ſciagraphiam, et auctorum citatorum catalogum, annotatis librorum plenis titulis.

His in genere notatis, et quaedam adducere liceat, quae botanici noſtri ſtudium huiusque editionis a priori diuerſitatem plenius declarant. Genera varia, a Cl. LVDWIGIO reiecta, et ad alia relata, denuo reſtituit; vt ſunt: *Bulbocodium Tourn. Antholyza* Linn. *Iaſione*, *Lycopſis*, *Atractylis* Vaill. *Helminthoteca*, *Crepis*, *Faba*, *Mariſcus* et ſ. p. Propter calicem etiam, defectumque ſquamularum corollae *Borraginoidem* a *Borragine* ſeparauit, prout et *Myoſotidem* ac *Heliotropium* pro diſtinctis adſumſit generibus, cum in priori tubus corollae non ſquamulis ſed plicis, in poſteriori vero praeter plicas ſquamulis ſimul claudatur. *Lauendulam, Origanum* et *Maioranam* denuo cum HALLERO propter calicem diuerſiſſimum ſeparauit; *Scabioſam* ZINNIO auctore, in *Scabioſam* et *Aſterocephalum* diuiſit, et *Abſinthium* cum *Artemiſia* non coniunxit.

E contrario autem nonnulla, antea ſeorſim propoſita genera combinauit, vel ad alia reduxit: Ita *Melothria* ad *Bryoniam*, *Aparine* et *Valantia ad Gallium*, *Cameraria* ad *Tabernaemontanam*, *Calamintha* ad *Meliſſam*, *Volkameria* ad *Clerodendrum*, *Celſia* ad *Digitalem*, *Agrimonoides* ad *Agrimoniam*, *Ficaria* ad *Ranunculum*, *Iſopyrum* et *Trollius* ad *Helleborum*, *Luteola* et *Seſamoides* ad *Reſedam*, *Pulſatilla* ad *Anemo-*

Amemonem, *Aphanes* ad *Alchimillam*, *Blitum* ad *Amaranthum* referuntur. *Quamoclit* porro cum *Conuoluulo* coniungitur, corollae enim figura ſtigmatumque numerus nimis variare ſolet. *Tinus* cum *Viburno* confluit, *Opulo* et *Sambuco* ſeorſim conſeruatis. In *Pruni* genere LINNAEVM ſecutus fuit, *Perſicam* vero ab *Amygdalo* ſeparauit; *Crataegum*, *Sorbum* et *Meſpilum* HALLERO duce, nec non *Caprifolium*, *Chamaeceraſum*, *Periclymenum* et *Xyloſteum* combinauit, *Aſcyrum* et *Hypericum* TOVRN. quoque vnit, ob fructum autem baccatum *Androſaemum* ſeparauit, et vt Cl. Auctor ſcribit; niſi ex hoc fundamento locum habeat diuiſio, non modo tria haec genera coniungenda, ſed et *Aſcyrum* LINN. addendum eſſe, cum ſtylorum numerus in variis ſpeciebus variet. *Rhodiolam Sedum* et *Semperuiuum* LINN. vnum conſtituunt genus, immo et *Penthorum*, nectariorum enim praeſentia in ſedo minus conſtans exiſtit, vix ab eodem ſeparari debere monuit. *Spiraeae* genus retinuit, *Vlmariam* vero, *Filipendulam* et *Aruncum* vnit, *Comarum* ac *Sibbaldiam* ad *Potentillam*, *Dryadem* ad *Caryophyllatam* retulit, *Fragaria* ſeparatim conſeruata. *Polygonum*, *Biſtortam* et *Perſicariam* combinauit, *Fagopyrum* autem retinuit, idemque genus glandulis octo ad baſin ſegmentorum calicis poſitis a prioribus differre, tradidit. *Abietem* quoque et *Laricem* coniunxit, *Pinum* autem, cum non, vt priores, duplicatam, ſed ſimplicem modo ſquamam, duobus ſeminum ouulis annexam, gerat, cum TREWIO diſtinctim retinuit. *Dracocephalum* quidem a *Moldauica* ſeparauit, aſt ſimul monuit, niſi a calice diuiſionis differentia aſſumatur, ſimillima eſſe genera, hinc ex ea ratione *Camphoroſmam* MORIS. et *Ruyſchianam* BOERH. *Dracocephalo*, *Pſeudo-Meliſſam* RIVINI *Moldauicae* adpoſuit. *Rhagadiolum* et *Hyoſerin* ad *Lampſanam* amandauit, *Hedypnoin* et *Zazintham* conſer-

conſeruauit, *Taraxaconaſtrum* VAILL. vero nomine *Hyoſeris* propoſuit. In *Alſines* genere LVDWIGIVM ſecutus, *Alſinem*, *Stellariam*, *Arenariam*, *Spergulam*, *Holoſteum*, *Polycarpon* et *Saginam* LINNAEI combinauit, *Moehringiam* vero et *Bufoniam* ſeparauit; Ita et *Lychnidem*, *Agroſtemma*, *Coronariam*, *Silenem*, *Cucubalum*, et *Veleziam* coniunxit, et cum TOVRNEFORTIO *Lychnidis* modo et *Cucubali* genus adſumſit, huicque ſtylos tres et capſulam trilocularem, *Lychnidi* ſtylos quinque et capſulam vnilocularem attribuit.

Plantas praeter ea quasdam ad alias reduxit claſſes. *Iridem* a monopetalis regularibus ad irregulares, *Diodiam* a monopetalis irregularibus ad regulares, *Pancratium* ab hexapetalis ad monopetalas repoſuit; *Senecionem* etiam a floribus compoſitis tubuloſis ad mixtos amandauit, et *Iacobaeae* ſpecies, radiatae vel ſint, vel non, modo calice conueniant, ad hoc genus referri debere affirmauit, prout et *Bidentem* ac *Verbeſinam* ex cl. III ad V et a latere *Siegesbeckiae* ac *Coreopſidis* poſuit, cum etiam in illis quandoque quaedam radii veſtigia inueniantur. *Eryngium*, *Phyllidemque* non pentapetalis regularibus, ſed vmbelliferis, et *Ceratoniam*, cum in culta planta ſemper omnes fere flores hermaphroditos eſſe cognouerit, non relatiuis, ſed perfectis apetalis floribus adpoſuit. *Frangula*, *Ziziphus*, *Rhamnus*, *Alaternus* et *Paliurus* plantae ſunt a Cl. LVDWIGIO ad monopetalas relatae, dum calicem pro corolla, petala vero pro ſquamis acceſſoriis adſumſerit, Cl. Auctor vero *Alaterno* tantum corollam monopetalam, reliquis pentapetalam conceſſit, monuitque *Frangulam*, *Ziziphum*, et *Rhamnum*, cum quo et *Cerui ſpinam* coniunxit, niſi ad ſeminum numerum reſpicere vellemus, coniungi poſſe, *Alaternum* vero propter corollam, et *Paliurum* propter fructum diuerſa omnino eſſe genera. In tetrapetalis irregulari-

gularibus carina vngue interdum diuiſa, quandoque vero duplex eſt; illas itaque, quarum carina dipetala eſt, LVDWIGIVS ex ſua methodo ad pentapetalas amandauit, quo autem hoc genus naturale coniunctim maneat, omnes combinauit BOEHMERVS, et ſic dictas pentapetalas ad tetrapetalas quoque repoſuit; inprimis cum dubium ſaepe ſit, an carina naturaliter diuiſa exiſtat, an potius arte et aliqua vi ſeparetur in duo petala.

Nonnullis etiam generibus noua impoſuit nomina, et licet horum mutatio fere ſemper difficiliorem reddere ſoleat rem herbariam, tamen Cl. Auctori id minime vitio vertendum eſſe exiſtimamus, cum, nonniſi coactus quaſi hactenus adſumpta negligere, inque eorum locum alia ſubſtituere voluerit. *Bulbocodium* LINN. e. gr. *Celſiam* dixit, cum *Celſia* LINN. vera ſit *Verbaſci* ſpecies, *Bulbocodium* TOVRN. vero pro diſtincto genere conſeruauerit. *Ehretiam* TREW. *Schmideliam* dixit, dum genus *Ehretia* BROWNIO dictum aſſumſerit, vtrumque autem genus non, vt de LINNAEO dubie aſſerit, coniungere voluerit. Duo etiam ſunt, et vt Auctori videtur, diuerſa genera, BÜTTNERIAE nomine inſignita, ideoque BROWNII genus, cuius corolla monopetala eſt, et pomum globoſum vniloculare gerit, retinuit, alterum vero, a LINNAEO ita nominatum, petalis quinque et capſula quinqueloculari praeditum, WATSONII memoriae dicauit. *Lilio-aſphodelum Camerariam* dixit, *Cameraria* LINN. ad *Tubernaemontanam* relata, et *Liliaſtro Hemerocallis* dicto. *Haleſiam* LINN. adpellauit *Hilliam*, eſt enim aliud genus *Haleſiae* nomine a BROWNIO inſignitum, a LINNAEO nondum commemoratum. *Diantherae* nomen, cum ordines in methodo ab antherarum numero deſumantur, minus aptum, cum *Iungia* commutauit; Cel. enim IVNGIVS in cognitione partium genitalium floris multum induſtriae

adhibuit,

adhibuit, *Iungia* vero HEIST. Saluiae cenſetur ſpecies. *Lycopodium* a *Selagine* cum DILLENIO ſeparauit, hinc *Selaginem* LINN. *Manettiam* vocauit, et in ſic dicta *camphorata vmbellata*, quae huc pertinet, et calicem, a Linnaeana deſcriptione diuerſum, et corollam ſaepe octofidam, octoque ſtamina obſeruauit. *Ptelaeam* LINN. *Dodonaeam* adpellauit, genus enim *Dodonaeae*, antea ſtabilitum, cum *Ptelaea* conuenit, et hinc, cum duo genera vnum efficiant, botanici illius memoriam potius retinendam eſſe putauit. Tandem etiam monemus, quaedam noua genera conſtituiſſe Cl. Auctorem. *Alkekengi flore violaceo*, FEVILL: quam ad *Atropam* reduxit Ill. LINNAEVS, pro diſtincto genere aſſumſit, et PHYSALODEM dixit. *Hieracium calice barbato* COL. cum nec commode ad *Rhagadiolum*, nec ad *Hieracium*, vel ad *Crepidis* aut *Hyoſiridis* genus referri poſſit, diſtinctim propoſuit *Swertiae* nomine, *Swertia* LINN. ad *Gentianam* relata. In tetrapetalis irregularibus *Meliloti* genus conſtituit, cuius characteres praecipui ſunt: carina breuiſſima, vexillo alisque corollam quaſi tripetalam referentibus, fructusque latus, et orbicularis; huc itaque et *Trifolii* et *Trigonellae* ſpecies conuenientes repoſuit. *Foenugraecum Tourn.* vero, licet flore cum *Meliloto* conueniat, propter fructum diuerſum, pro diſtincto genere retinuit. In graminum familia nouum genus *Achyrodis* nomine propoſitum, ſiſtit ſic dictum *Gramen barcinonenſe panicula aurea.*

Poſſemus etiam commemorare varias obſeruationes ſuis locis inſperſas, quibus characteres genericos quandoque perfectiores reddidit Cl. Auctor; Ita in familia dicarparum plantarum de ſtyli numero dubium mouet. In *Periplocae* flore ſimplicem modo inuenit, et in *Nerio*, vbi Ill. LINNAEVS nullum ſtylum, ſtigmata modo ſimplicia adeſſe ſcribit, ſtylum verum, longum, ſimplicem, longitudinali

linea

linea diuiſum, duplicique circulari eminentia coronatum obſeruauit; hinc *Nerium* forte, vt et reliquas cum *Echite* BROWN. ad monoſtylas potius referendas eſſe, monuit. *Paronychiam* cum *Herniaria* potius quam *Illecebro* conuenire, accurata floris perluſtratio Auctorem docuit; In *Phaſeolo*, *Caracalla* dicto; vexillum in cochleam flexum et reliqua petala continens obſeruauit, hinc cum carina in *Dolicho* genus conſtituat, idem forte et de vexillo aſſumendum eſſe, affirmauit. Verum adducta ſufficiant, plura L. B. in perluſtratione libri ipſius inueniet.

IV.

Quaeſtiones medicae Pariſinae ex Bibliotheca GEORGII FRIDERICI SIGWART, Phil. Med. et Chir. Doct. huiuſque et Anatomes in Acad. Tubing. P. P. O. Med. Aul. Wirtenb. Facult. Med. Sen. Tubingae, impenſis Ioh. Georgii Cotta, 1759. 4 mai. Alph. 1. pl. 15½. Tab. aen. 1.

Quaeſtionum medicarum Pariſienſium hiſtoriam quandam dedit HYACINTHVS THEODORVS BARON, quam ſuo tempore delineauimus et aliquam earundem collectionem typis expreſſam exoptauimus *, duas etiam earundem decades Groeningae cura Cl. HEERKENS editas indicauimus **, nunc ſimilem collectionem a Cl. SIGWART ſuſceptam proponimus. Cum enim Cl. Vir per aliquod temporis ſpatium ad rem medicam et chirurgicam excolendam Pariſiis commoraretur, non tantum quaeſtiones plurimas collegit, ſed etiam paulo poſt edendi conſilium cepit. In hac

* vid. Comment. noſtr. Vol. III. P. II. p. 344.
** l. c. Vol. IV. P. II. p. 329.

hac re expedienda conſultius eidem viſum fuit, neque a recentiſſimis, quae facile comparari poſſunt, neque a vetuſtioribus temporibus initium facere, ſed quaeſtiones, quae anno quadrageſimo ſecundo huius ſeculi prodierunt, primum exhibuit, quo ea ſpecimina, quae a recentiſſimis quam proxime abſunt temporibus, traderet. Ne tamen fragmenta tantum ederet, omnes collegit, et nihil quidem mutauit, ſed curam habuit, vt correctius exprimerentur, quam ob cauſam quoque interdum diuerſas editiones comparauit. Noſtrum nunc eſt inſtitutum laudare, continuationem commendare et ſummam quaeſtionum, in hoc volumine contentarum, indicare.

p. 3. 1. An calculo renum et veſicae pro natura in calculi, aetate et temperamento aegrotantis remedium alcalino ſaponaceum anglicum? Praeſ. M. IACOBO ALBERTO HAZON proponit *Petrus Io-*
p. 27. *ſephus Macquer* affirmando. 2. An a vomitoriis febrium intermittentium auſpicanda curatio? Praeſ. M. CLAVDIO CAROLO DE IEAN proponit *Syl-*
p. 33. *veſter Antonius le Moine* affirmando. 3. An in acutis aliquando cunctandum? Praeſ. M. FRANCISCO FELICITATE COCHV. proponit *Carolus Franciſcus*
p. 39. *Boutigny des Preaux* affirmando. 4. An in diuturnioribus euacuationibus raro adſtringentia? Praeſ. M. LVDOVICO FLORENTIO BELLOT proponit
p. 43. *Vrbanus de Vandeneſſe* affirmando. 5. An raro haemorrhagiis adſtringentia? Praeſ. IOHANNE DE DIEST proponit *Theodorus Baron d'Henouville*
p. 58. affirmando. 6. An vulnerum curatio quo ſimplicior eo melior? Praeſ. M. IOSEPHO DE IVSSIEV proponit *Ioſephus Maria Franciſcus de la Sone* affir-
p. 65. mando. 7. An in pectoris hydrope quo maturior eo felicior thoracis paracentheſis? Praeſ. M. HENRICO FRANCISCO BOVRDELIN proponit *Io-*
p. 78. *hannes Franciſcus Iſez* affirmando. 8. An in abſceſſu

media-

mediaſtini celebranda ſterni terebratio? Praeſ. M. ROBERTO HVBERTO LINGVET proponit *Carolus Ludouicus Liger* affirmando. 9. An in omni partu operatio chirurgica? Praeſ. M. ANTONIO IOHANNE DAVAL proponit *Franciſcus David Heriſſant* affirmando. 10. An in herniis inteſtinalibus, etiam cognita inteſtini prolapſi laeſione, operatio celebranda? Praeſ. M. PETRO ROVSSIN DE MONTABOVRG proponit *Carolus Franciſcus Boutigny des Preaux* affirmando. 11. An ſuendi tendines? Praeſ. M. ACHILLE FRANCISCO FONTAINE proponit *Iacobus Franciſcus le Chat de la Sourdiere*, negando, 12) An praegnanti, ſuperueniente vteri haemorrhagia partus manu promouendus? Praeſ. IOH. BAPTISTA LVDOVICO CHOMEL proponit *Petrus Bercher* affirmando. 13. An fracto cranio ſemper admouenda terebra? Praeſ. M. HYACINTHO THEODORO BARON proponit *Theodorus Baron d'Henouville* negando. 14. An calculo veſicae ſcalpellum ſemper neceſſarium? Praeſ. M. LVDOVICO MARIA POVSSE proponit *Andreas Cantwell*, negando. 15. An cereoli in plerisque vrethae fiſtulis ſectione praeſtantiores? Praeſ. M. ANTONIO CASAMAIOR proponit *Petrus Lalouette* affirmando. 16. An inflammationi, pro varia ſede, reſolutio vel ſuppuratio potior? Praeſ. M. RAYMVNDO DE LA RIVIERE, proponit *Petrus Ioſephus Macquer* affirmando. 17. An oculi punctio cataractam praecaueat? Praeſ. M. LVDOVICO PETRO LE HOC proponit *Abrahamus Franciſcus Leo Col de Vilars* affirmando. 18. An, vulnerata crurali arteria, ab amputatione auſpicandum? Praeſ. M. ANTONIO NICOLAO GVENAVLT proponit *Antonius Bergier (Vrbanus de Vandeneſſe)* negando. 19. An ab ictu, lapſu, niſuue quandoque vertebrarum caries? Praeſ. M. FRANCISCO IOSEPHO HVNAVLD proponit

p. 84. p. 93. p. 105. p. 113. p. 122. p. 128. p. 154. p. 164. p. 171. p. 180. p. 189.

p. 199. *Iulianus Bouſſon*, affirmando. 20. An in omni tumore vt plurimum ſit tentanda reſolutio? Praeſ. M. IOHANNE BAPTISTA BOYER proponit *Ludouicus Renatus de Bois*, Monſpel. affirman-
p. 206. do. 21. An a ligatura polypi narium tutior curatio? Praeſ. M. BERNHARDO DE IVSSIEV proponit *Ioſephus Stephanus Guettard* affirmando.
p. 216. 22. An tenuium inteſtinorum vulnus letale? Praeſ. M. FRANCISCO MERY proponit *Syluester Anto-*
p. 225. *nius le Moyne* negando. 23. An herniae inguinali cum adhaeſione ſubligaculum nocet? Praeſ. M. PAVLLO IACOBO MALOVIN proponit *Natalis*
p. 230. *Maria de Geuigland* affirmando. 24. An curtae nares ex brachio reficiendae? Praeſ M. IOHANNE BAPTISTA DV BOIS. proponit *Vrbanus de Van-*
p. 251. *deneſſe* affirmando. 25. An ſanitatem inter et morbum detur ſtatus medius? Praeſ. M. ELIA COL DE VILARS proponit, M. *Diamantes Vlaſtus* affir-
p. 266. mando. 26. An ſanitas a debito partium tono? Praeſ. M. ANDREA CANTWEL proponit *Fran-*
p. 277. *ciſcus Saleſius Daniel Poullin* affirmando. 27. An humor perſpiratorius ſit excrementitius? Praeſ. M. THEODORO BARON proponit *Franciſcus Nicolaus*
p. 289. *Gautier du Rocher* negando. 28. An a vorticoſo motu ſanguinis calor? Praeſ. M. ABRAHAMO FRANCISCO LEONE COL DE VILARS proponit *Wil-*
p. 293. *helmus Ruellan* affirmando. 29. An a globuloſa ſanguinis ad cutim appellentis parte aethiopum color? Praeſ. VRBANO DE VANDENESSE proponit *Iacobus Verdelhan des Moles* affirmando. 30.
p. 301. An a valuulis inteſtinorum chymi progreſſionis determinatio? Praeſ. M. PETRO BERCHER proponit *Dionyſius Ponchon* negando.

V. Quae-

V.

Quaeſtiones chemicae duodecim ab illuſtriſſimis Viris Regis Conſiliariis, Medicis et Profeſſoribus meritiſſimis R. R. D. D. IOANNE FRANCISCO CHICOYNEAV, Cancellario ampliſſimo ac iudice, ANTONIO MAGNOL, Decano venerando, HENRICO HAVGVENOT, ANTONIO FIZES, FRANCISCO DE SAVVAGES, FRANCISCO DE LA MVRE, FRANCISCO IMBERT propoſitae, in aula epiſcopali Monſpelienſi coram illuſtriſſimo ac venerabili D. D. FRANCISCO GABRIELE DE POMIERS DE ST. BONNET, Doctore Sorbonico Abbate Sti. Polycarpii et Vicario generali; pro regia cathedra vacante in Vniuerſitate medicinae Monſpelienſi, per obitum R. D. CAROLI SERANE Regis Conſiliarii medici et Profeſſoris meritiſſimi: quas fauente Deo et auſpice Dei-para propugnabit in auguſtiſſimo Monſpelienſis Apollinis fano, triduo integro mane et ſero diebus 5. 6. 7. menſis aprilis anni 1759. GABRIEL FRANCISCVS VENEL. D. M. M. Monſpelii apud Auguſtinum Franciſcum Rochard. 4. pag. 36.

Quinque ad nos peruenerunt eiusmodi titulo ornati libelli, quos varii auctores, vacantem ex obitu Cl. SERANE locum in academia Monſpelienſi ambientes elaborarunt, quorum quiuis duodecim quaeſtiones continet. Gratum omnino fore putamus chemiae deditis lectoribus, ſi omnes has ſexaginta quaeſtiones cum iis communicauerimus. Ita enim illas inuenimus comparatas, vt ob argumenti grauitatem attendendae omnino videantur.

Summo nimirum ſtudio omnique data opera conquiſitae ſtrenuis forſan chemiae indagatoribus anſam ſuppeditare poterunt, vnam alteramue earum vlterius perueſtigandi. Negari quidem non poteſt, commentariolos et ſubiectas reſponſiones non ſemper exhauſiſſe propoſitas quaeſtiones, quod tamen inſtituto potius, quam auctoribus erit vertendum vitio, quippe cum ii coacti fuerint, diſſertatiunculas ſuas vndecim dierum ſpatio elaborare, quos quidem nimis anguſtos temporis cancellos quilibet perſpiciet haud ſufficere ad rite penſitandas, vel et experimentis illuſtrandas, duodecim ex chemia depromtas quaeſtiones easque momenti grauiſſimi. Nec tamen omnem hac noſtra epicriſi laudem detrahere Cll. Viris nobis eſt animus, ſed lubentes profitemur, ineſſe etiam his multa, quae ingenii abundantiam artisque peritiam ſatis ſuperque declarant.

Quaeſtio prima: *an ſalia lixiuialia, e quocunque cinere elicita ſint, quid vnum idemque et vtrum praeſtantiora ſint, quae Tacheniano more parantur?* Ad vtrumque quaeſtionis membrum negando reſpondet, variisque experientiis ſuam ſententiam commonſtrat.

Quaeſtio ſecunda: *an ex ſulphure cum calce et ſalibus alcalicis fixis elici poſſit aliquid, quod aquarum thermalium vim referat, aut ei lucem aliquam adfundat?* Cum ſulphur aquis thermalibus tantummodo accidentali ratione inſit, hepar vero ſulphuris in naturae penu nuſquam obſeruetur, artificiale autem aquae tantum imperfecte immiſceri queat, negando reſoluit hanc quaeſtionem.

Quaeſtio tertia: *Lotii examen chemicum*: Recenſet hic varia ſalia, quae detexit in lotio chemicorum induſtria: ſal marinum, ſal mirabile perlatum, et, quod Cl. MARGGRAFIVS demonſtrauit, ſal fuſile ſ. microcoſmicum ipſi dictum, alcali volatile cet.

Quaeſtio

Quaeſtio quarta: *quomodo paretur oleum* DIPPELII, *quid praeparatione contingat, an vires anodynas poſſideat; aut aduerſus quendam morbum ſpecificas?* Optima illud parandi methodus Noſtro videtur illa, quam Cl. MODEL praeſcribit, plus tamen quater erit deſtillandum. Vires medicas ipſi tribuit ſumme anodynas, diaphoreticas, antifebriles, antiſpaſmodicas, diſcutientes; tam interne a viginti ad quadraginta guttas adhibendum, quam externe ad dorſi ſpinam illiniendum ſuadet.

Quaeſtio quinta: *quae ſit in alimentis pars reuera nutriens?* Non quoduis corpus naturale alendo corpori aptum eſt, nec omne, quod aſſumitur, totum in nutrimentum cedit, ſed multa ex iis, quae ingeruntur, ex eiusmodi corporum genere eſſe Noſter declarat, quae eſſentialiter non alimentoſa vocat. Ipſam vero ſubſtantiam, quae verum nutrimentum praebet, eſſe partem mucoſo-gelatinoſam, quae in omnibus vegetalibus et animalibus reperitur, et a priori et a poſteriori demonſtrat.

Quaeſtio ſexta: *quaenam encheireſis adhibenda in praecipitati rubri praeparatione, et quaenam ſint eius vires?* Praeparationis ratio, quam adiecit, nihil noui continet. Adhibitus fuit mercurius praecipitatus ruber a veteribus, teſte Cl. ASTRVC, interne contra peſtem, doloresque colicos, ſiphillitidem, quartanam cet. A noſtri aeui medicis vero omnis internus eius vſus prorſus reiicitur, quanquam vt problema therapeuticum eius vſus diſquirendus videatur, ad ductum *Switeniani* remedii. Externe variis vſibus inſeruit et vt eſcharoticum et mundificans agit.

Quaeſtio ſeptima: *an nitrum contineant humores animales?* Reiicit, quam varii auctores propugnarunt ſententiam de praeſentia nitri in noſtris humoribus, cum nec experientia illud demonſtrari, nec ratiociniis coniici poſſe contendat.

Quaeſtio octaua: *an corpora naturalia, tum igne tum variis menſtruis varie vexando, virtutes medicas immutet chemia, et an easdem exſuſcitet, augeat, euehat?* Affirmat eam et multis exemplis ſuam hypotheſin corroborat.

Quaeſtio nona: *bilis examen chemicum.* Adfert quidem Cl. Auctor quaedam de bilis natura; aſſerit tamen, omnem, quae hucusque tentata fuerit, bilis diſquiſitionem mancam et fallacem eſſe, tum quia inſufficientia putat cognita nobis menſtrua, tum quia ne haec quidem accurate ſatis applicari ipſi videntur.

Quaeſtio decima: *an veſicae calculus tuto in ipſa veſica per menſtrua chemica ſolui poſſit?* Impoſſibile illud iam ab HELMONTIO habitum fuit, nec felicioris ſucceſſus noſtri aeui fuerunt experientiae. Conſtant veſicae calculi ex terra calcarea ſeroſo glutine coadunata, abundantiſſimoque aere: alii albicantes cretacei, alii ex craſſioribus moleculis compoſiti; ſi duriores ac firmi, *ſilicei* dicuntur, ſi laxi ac rari, *arenoſi* appellantur. Duplici modo agunt remedia in calculos eiusmodi, vel enim ipſam lapilluli mixtionem deſtruunt, et vt menſtrua eum ſoluunt; aut gluten, quo firmantur, eluunt, et hinc calculum in puluerem dehiſcere faciunt. Vnum hucusque vere calculos ſoluens menſtruum cognitum eſt acidum ſcilicet nitroſum. Cui tamen cum ad calculum perueniendi nulla, nec per humorum circulum nec per vrethram via apta ac idonea ſit, negando ad hanc quaeſtionem Cl. Auctor reſpondet.

Quaeſtio vndecima: *quid ſit oleum illud fumum emittens in carbone aeterno* HELMONTII*?* fixiſſima per ſe haec carbonaria mixtio, in libero aere per ignem conſumitur fatiſcit, tenuiſſimum animalibusque lethalem fumum emittens; quem quidem fumum ex phlogiſto carbonario, ſubtiliſſimam terram

ram incineratam ſecum rapiente, et atmoſphaericae aquae nupto conſtare noſter coniicit.

Quaeſtio duodecima: *quaenam ſint martis tincturae praeſtantiores? an* LVDOVICI *tinctura, an tinctura* STAHLII? In genere martiales tincturas praeſtare affirmat omnibus praeparatis ex ferro ſiccis, cum magis ſolutae ſint in iis ferreae particulae. Prorſus quoque reiiciendam eſſe monet diſtinctionem tincturarum in aperitiuas et adſtringentes, cum mere tonicae ſint, et contrahentes martis vires. Quarum vero eas eminentiſſimas eſſe contendit, quae cum ſpiritu ſalis marini parantur; cautiſſime vero exhibendas, et ob virium exceſſum ab vſu medico amandandas monet. Inter ſpirituoſas praeſtantiſſimam cenſet eam LVDOVICI, quae ſale ex tartaro et marte ſcatet. Mitiores ſunt illae, quae cum acidis vegetabilibus parantur, eoque perfectiores, quo magis ſaturatae ſunt, hinc laudat *tincturam martis tartaream*, quae et ſyrupus martis dicitur. *Stahliana* vero ab omnibus in eo differt, quod cum ſale alcalino fixo efficiatur, curioſa ſatis ac ſolerti encheireſi. Hinc acidis ſubigendis inſeruit, quae corrigit et ferrum, quam maxime diſgregatum, humoribus admiſcet. Hinc pro vario ſcopo peregregii vſus eam dicit.

Secundus libellus Auctore LVDOVICO ESTEVE. M.D.M. diebus Maii 10, 11, 12. propugnatus; 4. pag. 23.

Quaeſtio prima: *an alcalia volatilia, e quacunque ſubſtantia eliciantur, ſint vna eademque ſubſtantia?* Quanquam odore et ſapore differre interdum ſalia volatilia alcalina, varioſque diuerſos omnino effectus cum alcalibus fixis mixta oſtendere videntur, has tamen differentias neutiquam eſſentiales aſſumit Cl. Auctor, ſed pro lubitu artificis mutari eas poſſe

 aſſerit.

aſſerit. Nec, niſi gradu, differt eorum vis medica, quam cardiacam dicit: ſpecificam vero contra venena quaedam virtutem ipſis prorſus denegat, ſummaque cautione in iis interne adhibendis opus eſſe monet. Vnum ergo, ex his paucis praemiſſis, idemque eſſe aſſerit.

Quaeſtio ſecunda: *an mercurius vitae mitior fieri poſſit, et an in eo lateat magni momenti remedium, vt quibusdam viſum fuit.* Multis modis noxiam huius medicaminis indolem corrigere tentarunt varii, cum vel igni expoſuerint et aſſidue agitando adhaerens acidum ſalis fugare anniſi fuerint, vel adfuſo ſpiritu vini, per eius principium oleoſum inuoluere acidi venenatam indolem tentarint; nec negat noſter, his enchireſibus mitius omnino factum fuiſſe medicamentum; infidum tamen illud et periculoſum nihilominus illud putat, ex omni medicina reiiciendum, iisque tantum commodum, *qui incondita abundantia tegunt ignorantiae inanitatem.* Inuehitur etiam paucis in eos, qui mercurium ſublimatum ſpiritu vini dulcificatum in morbis ſyphylliticis debellandis hydrargyroſi praeſtare putant, cum hocce medicamentum non modo exitiale, ſed et ita comparatum ſit, vt alios chronicos affectus inſanabiles prorſus in corpore producat.

Quaeſtio tertia: *an fermentatio ſit principium enucleandae oeconomiae animali accommodandum?* Negat id ex variis phaenomenis in corporis mutationibus perſpiciendis, quamquam contendat aliquam lucem aetiologiae morborum ipſam affundere.

Quaeſtio quarta: *an tartarus ſtybiatus emeticis hactenus notis antecellat, vtrum validior debiliori praeſtantior ſit, et quomodo praeſtantiſſimus parari poſſit.* Reiicit eum qui ope ſalium mediorum paratur; nec vitrum antimonii pro eo conficiendo adhibere ſuadet; nec hepar antimonii ob ſalium praeſentiam

aptum

aptum ad hoc opus videtur, praeſtantiſſimum vero ope cremoris tartari et croci metallorum paratum putat, ſi praeſertim euaporatus ad ſiccitatem, non vero cryſtalliſatus, fuerit, quippe cum per cryſtalliſationem debilius efficiatur emeticum. Concludit vero tartarum ſtybiatum, etſi praeſtantiſſimus ſit, caeteris notis emeticis abſolute non antecellere.

Quaeſtio quinta: *an dentur ſalia per aërem vagantia et cuiusnam naturae ſint iuxta experimenta a multis inſtituta?* Dari talia ſalia ex multis experientiis conſtare aſſerit, naturam vero eiusmodi ſalis aetherei, non vitriolicam eſſe, nec nitroſam, ſed magis accedere ad ſpiritum ſulphureo-volatilem, Noſter contendit.

Quaeſtio ſexta: *an tota ſubſtantia antimonii in chermes minerale verti poſſit; et an cum quocunque ſale paratum idem omnino ſit?* Primum huius quaeſtionis membrum affirmat, nec alterum negat, quamuis ſuadeat chermes per alcali nitroſum conficiendum eſſe.

Quaeſtio ſeptima: *an ſalia alcalia, cum ſint putrefactionis ſoboles, putrefactioni aduerſa eſſe poſſint?* Falſo ſal volatile alcalicum aptum putrefactioni fermentum dici aſſerit, et PRINGLII auctoritate, quamuis haec ſententia BOERHAAVII theoriae contraria ſit, affirmat, ſalia volatilia, etſi ſint putrefactionis foetus, ipſi tamen aduerſa eſſe poſſe.

Quaeſtio octaua: *an ſulphur et mineralia ſulphurea, antimonium crudum, et cinnabaris in circuitus orbitam tranſeant et in humores chemice agant?* Sulphur ingeſtum ad humorum circulum peruenire demonſtrat perſpiratio foetida, ſulphur ſolutum olens, et argentum nigro colore inficiens, aliique effectus in actionum mutatione percipiendi: cinnabaris, non ex parte ſulphurea, ſed mercuriali, agit in humores: antimonium vero crudum, a blandis actionibus

bus corporis alterari poſſe vix noſtro videtur vero ſimile.

Quaeſtio nona: *Quomodo paretur vitrum antimonii, an mitius fieri poſſit, et vt quibusdam viſum eſt remediis aliis praeſtantius ſit in colica pictonum et in dyſenteria?* Prorſus expungendum eſſe hoc remedium in hiſce morbis, quamuis vario modo ſit mitigatum, contra Cl. PRINGLIVM, auctoritate Cl. BARON affirmat.

Quaeſtio decima: *an ferrum rubiginoſum vires ferri immutati aut chalybis poſſideat, et quid ex ipſo decedat cum aqua iuxta* LEMERII *methodum aut rore maiali ſoluitur?* Decedit phlogiſton dum in rubiginem abit, hinc non immutati ferri vires rubiginoſum ferrum poſſidet.

Quaeſtio vndecima: *num ex omni materia animali et ex omnibus liquidis, per corpora circumeuntibus, extrahatur aequalis quantitas ſalis volatilis?* Negando reſpondet Cl, Auctor.

Quaeſtio duodecima: *an ſit quaedam encheireſis, qua antimonium ſpoliari poſſit vi ſua emetica, relicta interim vi aluum laxante?* Poteſt quidem additis pinguibus infringi ſtimulans particularum regulinarum actio, vti videmus in vitro cerato; tutum tamen remedium eiusmodi nunquam erit, hinc reiiciendum.

Tertius libellus Auctore FRANCISCO BROVSSOVNET D. M. M. diebus 31 Maii 1. 2 Iun. propugnatus, 4. p. 36.

Quaeſtio prima: *an medicamentorum facultates chemia detegi poſſint?* Chemia cognoſcit, 1. quaenam ſit in mixto pars reuera medicata, 2. principia illa medicata agere, vel ſoluendo, vel combinando, 3. motum hunc determinari ratione affinitatis: hinc affirmando Cl. Auctor reſpondet.

Quae-

Quaeſtio ſecunda: *an dentur alimenta, quae vera facultate medica conſtent?* Duplici modo conſiderat Cl. Auctor hanc quaeſtionem; vel enim de eo quaeritur, num in alimentis ſit vna pars nutriens, altera vero medicamentoſa; vel quaeritur, vtrum pars ipſa nutriens medicatas vires obtineat? prius multis exemplis probat; nutriunt lentes, ſimul vero aluum frenant; fraga blande nutriunt et ſimul vrinarias vias a ſabuloſis repurgant particulis: poſterius experientia docet in morbis, qui a nutritionis defectu oriuntur, vel et in iis, qui a nimia humorum fluxilitate generantur, vbi inſpiſſari humores per ſola nutrientia interdum poſſunt.

Quaeſtio tertia: *an falſa ſit et praeconcepta vulgatiſſima opinio de virtute diaphoretica, alexipharmaca, antiloimica carnis viperarum et cornu cerui?* Blandam vim diaphoreticam vtrique ineſſe aſſerit experientia ſuffultus, quanquam ex rationibus chemicis determinare non audeat, cuinam parti an ſali volatili, an oleo, an mucilagini ſit hic effectus adſcribendus.

Quaeſtio quarta: *an ſalia animalium neutra ſint, ſiue concreta? et an ex ipſis varia acida extrahi poſſint?* Neutra eſſe contendit in corpore ſano, cum ex morboſis mutationibus variisque cacochymiae vel acidae, vel alcalinae ſpeciebus probabile ſit, hanc ſalium *neutrificationem*, vti vocat, neceſſariam ad ſanitatis conſeruationem eſſe. Experientia quoque docet, ex variis animalium partibus poſſe acida ſalia educi, quae tamen inter ſe non diſcrepant, quamuis differant ab aliis cognitis acidis. Diſcrepat nimirum acidum animale ab iſto ſalis marini in eo, quod non turbat plumbi ſolutionem, cum aceto vel ſpiritu nitri factam. Ab aceto vegetabili differt in eo, quod cum ſale vrinoſo in ſal ammoniacale ſiccum concreſcat cet. Vtrum vero hoc acidum animale fuerit primitus acidum marinum, vegetabile, an ex aere aut ex mutationibus, quas

in corpore animali ſubit generetur, aliorum iudicio relinquit.

Quaeſtio quinta: *an detur medicamentorum correctio realis ac vtilis?* Realis correctio caute eſt inſtituenda, cum corrigens ſaepius vel infringat actionem corrigendi, vel interdum ex his binis nouum mixtum prodeat a ſcopo alienum. Nec tamen deſunt exempla verae et realis correctionis, e. g. ſpiritus vini ſiſtit corrigens reale ſpirituum acidorum cet. Reſpuunt vero plura ſimplicia eiusmodi correctionem. Vtilis autem correctio, quae iucunditatem medicamenti ſpectat, a medico clinico interdum ſumme neceſſario ſuſcipitur, vt iucunde mederi poſſit is, qui tuto mederi tentat.

Quaeſtio ſexta: *an chemia ſit alicuius vſus in dignoſcendis morbis, ſeu an ſemioticae inſeruiat?* Multis exemplis comprobat chemicum altius poſſe penetrare in ſigna diagnoſtica morborum, et ex variis excretorum qualitatibus abſcondita humorum vitia indagare.

Quaeſtio ſeptima: *quomodo ſolutum lateat ferrum in aquis ferrugineis et quid accidat, cum ſponte praecipitantur particulae ferreae?* Haeret quidem ſolutum ferrum in aquis ſaepius ſub vitrioli forma, dantur tamen et aquae martiales, quae tale vitriolum non gerunt. Hanc ſolutionem ab acido ſpirituoſo - ſulphureo - volatili principio deducit Cel. HOFMANNVS, cui et aſſenſum praebuit Cl. BOVLDVC et SEIP; prorſus tamen refutare hanc ſententiam anniſus eſt Cl. VENEL. Probatur Noſtro VOGELII hypotheſis, qui aërem vt ferri menſtruum conſiderat, quod et BOVLDVCII experimenta circa aquas Paſſienſes inſtituta confirmare videntur, qui obſeruauit eadem proportione praecipitari ex iis ferrum, qua bullulas aereas dimitterent aquae aeri libero expoſitae. Ad alteram quaeſtionis partem affirmat particulas ferreas aut ſub

ſalini concreti, aut terrei magmatis forma fundum petere, quod tamen non, niſi difflato ſuperfluo aere fieri poſſe Noſter ſibi perſuadet.

Quaeſtio octaua: *an varius atmoſphaerae ſtatus per media chemica detegi valeat, hisque ex inſalubri ſalubris fieri?* Vtrumque Noſter affirmat. Lintea acidis imbuta, ſalium alcalinorum praeſentiam in aere manifeſtant: ſulphureis particulis repleta atmoſphaera vaſa argentea nigricantia reddit: panni rubiae radice tincti brunneſcunt in atmoſphaera maritima: arſenicum aeri ineſt, ſi cupri laminae argenteum ſplendorem aſſumunt; ſic quoque aeris vitia corrigit chemia, v. c. per lintea variis ſalibus imbuta transmiſſum aerem corrigi docuit HALAEVS: putridus aer aceti ſuffimigio emendatur: aer arſenicalibus particulis infectus ferri moleculis, quae auide abſorbent arſenicum, purior reddi poteſt.

Quaeſtio nona: *an et quomodo ſalia fixa encheireſi chemica et corporis viribus volatilem nanciſci poſſint naturam?* Diſcrimen inter ſalia alcalina fixa et volatilia in quantitate olei et terrae ponit: fixa plus terrae, minus olei, volatilia minus terrae, plus olei continent: oſtendit ſimul volatilitatem ſalis alcalini fixi ab vnione principii oleoſi dependere, quod ſapones confirmant, ex quibus deſtillatione ſal volatile extrahitur.

Quaeſtio decima: *quaenam ſit differentia inter olea animalium et olea vegetabilium, et an vtraque ad eandem olei ſpeciem reduci poſſint?* Differunt omnino ad mentem Cl. Auctoris, et quidem in eo, quod olea animalium alcali volatile, vegetabilia vero plus acidi contineant: poſſunt tamen etiam mutari et identicam indolem nanciſci.

Quaeſtio

Quaeſtio vndecima: *an corpori animali infuſa ſit et circumfuſa ſubſtantia promtiſſime igneſcibilis phoſphorica?* Electricitatis phaenomena, vt et a variis auctoribus fide digniſſimis commemorata exempla probare Noſtro videntur huius quaeſtionis affirmatiuam reſponſionem.

Quaeſtio duodecima: *an detur ſal quoddam peculiare microcoſmicum et cuiuſnam ſit indolis, ſi exiſtat?* A variis auctoribus HELMONTIO, BOERHAAVIO, BOYLEO, HAVPTIO, prae aliis vero Cl. MARGGRAFIO ſalis huius, quod *fuſibile* huic dicitur, vera exiſtentia multis experimentis euincitur. Indoles autem eius ammoniacalis deprehenditur, cuius tamen parti acidae pars volatilis alcalina tam leui nexu adhaeret, vt leniſſimo in igne auolet. Naſci hunc ſalem Cl. MARGGRAFIVS aſſerit, e regno vegetabili, 1mo quod caput mortuum erucae, naſturtii, tritici cet. per retortam validiſſime deſtillatum phoſphorum exhibeat; 2do quod vrina per aeſtatem vberius ſit referta ſale fuſili, quam hyeme, cum ſcilicet tempore verno praecipue vegetantibus veſcamur.

Quartus libellus Auctore CAROLO LE ROI, D.M.M. diebus 21. 22. 23 Iun. propugnatus, 4. pag. 34.

Quaeſtio prima: *an aether nitroſus aequiparari poſſit aetheri vitriolico, et cuiusnam naturae ſit oleum poſt ipſum adſcendens?* Varia adfert de praeparatione, ſub eaque attendendis encheireſibus, et tunc experimenta, cum vtroque inſtituta, recenſet, ex quibus concludit, vtrumque eſſe ſibi aequiparandum.

Quaeſtio ſecunda: *num in animalibus ſint olea varii generis et quibus dotibus diſtinguantur?* Affirmat quaeſtionem et commonſtrat, eadem ratione, vt in vegetabilibus, occurrere triplex in animalibus oleum, pingue

pingue aliud ſiue vnguinoſum; aliud tenue, fragrans, volatile, aethereum; aliud empyreumaticum: quorum cuiuſuis ab oleis vegetabilium differentiam paucis declarat.

Quaeſtio tertia: *quaenam ſit ſublimati corroſiui natura et praeparatio? an mitius fieri poſſit et exhiberi aduerſus morbos venereos?* Varios proceſſus enarrat, quibus parari poſſit ſublimatum corroſiuum, ſimulque ſublimatione opus eſſe in quauis illud parandi methodo ex eo commonſtrat, quod acidum ſalis intactum relinquat mercurium, niſi in paruiſſimos atomos fuerit reſolutus. Mitius reddi poſſe hoc medicamentum ita, vt interne tuto adhiberi multisque morbis obuiam eo iri poſſit, iam BOERHAAVIVS monuit; curatius tamen ab Ill. V. SWIETEN methodus haec definita eſt, quam ſummis laudibus extollit Noſter et experientia multifarie probatam contendit. Subnectit tandem problemata peritiſſimis medicis ſoluenda: an hoc medicamentum vnctionibus mercurialibus antecellat; an etiam in aliis rebellibus morbis eo quid boni praeſtari poſſit; an ſublimatum corroſiuum exigua mercurii viui doſi addita ita temperari poſſit, vt inde medicamentum enaſcatur, quod inter mercurium corroſiuum et dulcem medium ſit, priore longe mitius, altero magis ſolubile, vtrique in certis ſaltem caſibus anteponendum.

Quaeſtio quarta: *an acidum vitriolicum et acidum ſulphuris aut aluminis eadem omnino ſint, et easdem vires medicas poſſideant?* Experimentis chemicis adlatis, obſeruationibusque ex praxi clinica depromtis, affirmat quaeſtionem.

Quaeſtio quinta: *an humorum animalium geneſis eorumque mutationes tum naturales, tum praeternaturales merae ſint alterationes chemicae?* Reſpondet maxima ex parte eas eſſe chemicas, temperari tamen eas, corrigi ac dirigi motibus aſſiduis machinae

 artifi-

artificioſiſſimae, ac propter id ipſum arti eſſe inimitabiles.

Quaeſtio ſexta: *an materiem heterogeneam contineat mercurius et quomodo ab ea diſtingui queat; et an rite depuratus aut cum camphora mixtus ſaliuationem aeque moueat?* Non continere mercurium, iis artificiis, quae Noſter tradit, depuratum, heterogeneam materiem, eumque ſaliuationem mouere aſſerit, quod de camphorato, experientia nixus, negat.

Quaeſtio ſeptima: *an vana ſit chemiatrorum ſpes morborum quorumcunque medicinam vniuerſalem aliquando detegendi?* Galenicum ſe praeſtat et eiusmodi medicinam impoſſibilem eſſe probat.

Quaeſtio octaua: *an ex vitriolo praeparata multa ſalubria comparari poſſint, iuxta* ANGELI SALAE *praecepta?* Recenſet omnia a dicto auctore ex vitriolo elicita medicamina, quibus ſingulis breuem epicripſin addit, et monſtrat, quaeuis eorum omnino eſſe ſalubria, quanquam et varia prorſus inutilia cenſeat.

Quaeſtio nona: *an cuilibet morbo ſpecificum reperiri poſſit remedium?* Sunt morbi, qui ſpecificum remedium requirunt, ii nempe, quorum cauſae materiales liquoribus circumeuntibus inhaerent; ſic lui venereae mercurius; ſcabiei ſulphur externe caute applicatum; ſcorbuto ſuccus limonum et lacticinia ſpecifice oppoſita videntur. Nec tamen inde concludendum Noſter putat omnium morborum eiusmodi ſpecifica exiſtere, cum plurimi eorum tale quid adhuc expectant.

Quaeſtio decima: *an praeſtantiſſima ſint concretionum bilioſarum reſoluentia, ſapo et ſaponacea?* Duplex calculorum bilioſorum curatio, alia in paroxyſmo, alia extra eum ſuſcipienda. Extra paroxyſmum, vel eo reſpiciendum, vt bilis attenuetur, eiusque viae liberae reddantur, et hac ratione nouis concretionibus obuiam eatur; vel eo, vt iam

formatae

formatae in cyſtide concretiones aptis medicaminibus reſoluantur. Neutri huic indicationi exacte reſpondent ſapo et ſaponacea, quamuis non omni deſtituantur vtilitate, hinc concludit Noſter, nulla hactenus innotuiſſe medicamenta, quae vera ſint eiusmodi concretionum reſoluentia.

Quaeſtio vndecima: *an ſic dicta ſalia eſſentialia Domini Comitis de la* GARAYE *ſint quid in arte nouum ac vtile?* Extracta potius, quam ſalia dicenda ſunt haec e vegetabilibus triturationis ope parata educta. Nouam aeque hanc praeparandi methodum, et ob machinae mechanismum, et ob euaporationem in vaſis repandis balneo maris aut vaporis praeſtitam, eſſe, nec vtilitate deſtitui, ex eo aſſerit, quoniam partes vegetabilium, ſtomacho moleſtae, per eam ſeparantur.

Quaeſtio duodecima: *quaenam ſit differentia inter varia praecipitata ſulphuris antimonii, et vtrum in eo ſit magna vis aduerſus morbos cutaneos?* Primae praecipitationis ſulphur emeſin mouet, longe mitius eſt illud ſecundae, per tertiam vero ſolummodo diaphoreticum nanciſcimur. Eſt tamen omnibus his magna in morbos cutaneos efficacia.

Quintus libellus Auctore GASPARDO IOANNE RENE, D. M. M. diebus 12. 13. 14 Iulii propugnatus, 4. p. 34.

Quaeſtio prima: *an alcalia tum ſalina, tum terrea conducant in tuſſi conuulſiua et paroxyſmis aſthmaticis?* Cum varie differat cauſa affectionum aſthmaticarum, variet quoque therapia earum neceſſe eſt. In ea igitur tuſſis conuulſiuae et paroxyſmorum aſthmaticorum ſpecie, quae a fluidorum lentore et viſciditate oritur, ceteris paribus conducere haec medicamina putat.

Quaeſtio ſecunda: *quod nam ſit diſcrimen inter acidum fixum vitrioli et eiusdem acidum volatile ſulphureum?* Differentiam horum acidorum in proceſſus ratione, odore, ſapore, volatilitate et effectu latere affirmat.

Quaeſtio tertia: *an antimonium diaphoreticum ſit puluis fatuus, inſolubilis et nullius virtutis?* Fatuus quamuis ſit hic puluis alcaleſcens, in nullo menſtruo ſolubilis, efficaces tamen vires medicas ipſi in reſoluendo et attenuando tribuit Noſter ex auctoritate STABELII, STAHLII, WEDELII, DEIDIER, GEOFFROI, FIZES, contra mentem WILLISII, HOFMANNI, TRALLESII.

Quaeſtio quarta: *an egregias virtutes medicas poſſideant remedia quaedam chemica, vt terra foliata tartari, ſapo Starckeyanus, oleum animale Dippelii, aether Frobenianus, ſpiritus volatiles aromatici oleoſi Syluii, variaeque tincturae ſolares?* Seorſim examinat quodlibet horum adductorum medicaminum, et ſummae energiae ea eſſe probat.

Quaeſtio quinta: *an ſana de oeconomia animali doctrina abſque ſapientia chemica obtineri valeat?* Putat phyſiologiam poſſe omnino ſine chemia cognoſci, quamuis largiatur, ſcientiam iſtam chemiae ſtudio vlterius illuſtrari.

Quaeſtio ſexta: *an tartarus vitriolatus, ſal de duobus, ſal polychreſtum* GLASERI, *nitrum antimoniatum, ſint compoſita identifica, nec ne?* Affirmat ea cuncta eſſe vnius eiusdemque indolis.

Quaeſtio ſeptima: *de vſu et abuſu deſtillationis et ſimplicis in aere libero decoctionis in medicamentorum praeparatione?* Pauca ſunt, quae hac de re ſummi momenti diſputat, et generaliora tantum continent.

Quaeſtio octaua: *an certo et proficue moueat anacatharſin kermes minerale?* Demonſtrat Cl. Auctor kermes minerale certo ac proficue anacatharſin

mouere

mouere, ſiue ſumatur vocabulum in ſenſu HIPPOCRATIS, id eſt, pro purgatione per ſputa, ſiue in ſenſu BLANCARDI, pro omni purgatione per ſuperiora.

Quaeſtio nona: *an in humoribus animalibus nudum exiſtat acidum?* quanquam a variis iisque celebribus viris NEVMANNO, POTTIO in variis animalium partibus detectum fuerit acidum, Noſter tamen BOERHAVIO ſubſcribit, et ſequentem contendit opinionem: excepto chylo crudo, adhuc nec abſolutam experto concoctionem, alios humores nudum non poſſe continere acidum, cum vi vitae et repetita circulatione immutetur et in verum ſal neutrum abeat, nec ſui indicia praebeat.

Quaeſtio decima: *an alimentorum digeſtio ſit proceſſus chemicus?* Digeſtionis eſſentia in eo conſiſtit, vt mucidarum, ſalinarumque extractio earumque debita praeſtetur permixtio: quod quidem variis inſtrumentis variisque in corpore menſtruis efficiatur, omnino digeſtionem dici poſſe proceſſum chemicum patet.

Quaeſtio vndecima: *an vulgaris analyſis chemica vi ignis peracta, aliquid de ſubſtantiarum animalium natiua indole patefaciat?* Cum pleraque ex corporibus per analyſin chemicam extracta non educta, ſed producta eſſe cenſeat Cl. Auctor, negando ad quaeſtionem reſpondet.

Quaeſtio duodecima: *an cauſtica in corpus animale operentur vi propria chemica, et abſque vllo motus vitalis concurſu?* Nil cauſtica, nec potentialia, nec actualia agunt per vim chemicam, ſed quos praeſtant effectus, eos a ſola vi vitae dependere Noſter paucis declarat.

VI.

An Account of a particular Kind of Rupture, frequently attendant upon new-born Childern; and ſometimes met with in Adults; viz. That in which the Inteſtine, or Omentum, is found in the ſame Cavity, and in contact with the Teſticle. By PERCIVALL POTT, Surgeon to St. Bartholomew's Hoſpital. London, printed for C. Hitch and L. Hawes. 1757. 8 mai. pag. 41.

h. e.

Commentatio de ſingulari herniae ſpecie, ſaepius in infantibus recens natis, interdum tamen in adultis quoque obſeruata, illa ſcilicet, in qua inteſtina vel omentum in eadem cauitate et in immediato contactu cum teſticulo inueniuntur. Auctore PERCIVALL POTT, cet.

p. 1. In herniotomia ſuſcepta portio inteſtini vel omenti ex abdomine deſcendens interdum in eadem cauitate et in vicinia teſticuli nudi deprehenſa fuit; quo in caſu nonnulli recentiores rupturam veram ſeu dilacerationem productionis peritonaei ſeu ſacci hernioſi aſſumere non dubitarunt. Vera hernia partes, ex abdomine per annulum obliqui externi muſculi deſcendentes, in ſacco quodam, per peritonaeum expanſum formato, continet, quod quidem vix rumpi poteſt, cum extendendo craſſius reddatur. Spermatica vaſa poſt hunc ſaccum hernioſum deſcendunt, et tunc cauum, in quo teſticulus incluſus eſt, nullo modo cum ſacco hernioſo communicat. In multis obſeruationibus a Cl. Auctore

Auctore collectis, ſupra allegata ruptura ſacci herniosi, per quam contenta herniae in contactum teſticuli deferri dicuntur, efficta reperta fuit. His itaque in ſectione prima breuiter annotatis in ſecunda de teſticuli deſcenſu in ſcrotum, vti ille in infantibus recens natis ſuccedit, curatius exponit, quo poſtea in ſectione tertia et quarta ſingularem herniae ſpeciem, quam deſcribendam ſibi ſumit, melius definire queat.

Infantum teſticuli in abdominali cauitate formantur et reponuntur, non quidem in ipſo peritonaeo, ſed poſt illud, illi vero proxime ante partum, vel poſt eum in inguinalem regionem et tandem in ſcrotum deſcendunt, laxe ibi membranis adhaerent, et a vaſis ſpermaticis tanquam pedunculo dependent. Haec poſt peritonaeum in contextu cellulari deferuntur, teſticulus vero muſculo pſoas, e regione ſuperioris partis veſicae vrinariae, per vrachum eleuatae, incumbit. Epididymis poſt teſticulum poſita inferiore ſua parte in orificium quoddam ſe inſinuat, quod, teſticulo non nihil remoto et tracta epididymide, conſpicitur. Hoc ſpecillum admittit, quod per aperturam muſculi obliqui externi in inguinalem regionem et ibi in ſacculum quendam ducit, qui vera continuatio peritonaei muſculos abdominales inueſtientis eſt. Ea epididymidis pars, quae in orificium nunc declarati ſacculi intrat, ibi adhaeret nec ſurſum duci poteſt, teſticulus autem, in cauitate abdominis contentus, nudus eſt, et vel mox ante partum in ſacculum deſcriptum intrat, vel per reſpirationem incipientem mox poſt partum eo deprimitur. Sacculus eſt cauum ad recipiendum teſticulum formatum, et parum refert an pars primigenia ſit, an vera peritonaei productione formetur, cum in vtroque caſu tamen uictum ſit, teſticulum in abdomine nudum, poſt progreſſum per annulum in hoc inuolucro latere.

p. 7. p. 11.

p. 18. Hoc autem cauum, teſticulum in regione inguinali ſuſcipiens, oblongum et cellulari contextu cinctum conſpicitur, orificium ſacculi tunc cum cauo abdominis communicat, poſtquam vero teſticulus in ſcrotum deſcendit, ſacculus figuram pyriformem ſiſtit, adhuc tamen orificium communicans oſtendit, ita vt hoc in infantibus recens natis conſpici et ſpecillo et fluido immiſſo diſquiri poſſit, et ita veram continuationem ſacculi cum peritonaeo declaret. Poſtquam teſticulus in ſcrotum tranſiit, vel ob eius pondus, vel ob ſtricturam muſculorum abdominalium, vel aliam ob cauſam orificium ſacculi conſtringitur et obliteratur, tempus autem huius mutationis definiri vix poteſt, cum ſaepe mox poſt deſcenſum teſticuli in ſcrotum orificium clauſum inueniatur, interdum id ſerius et, vt Noſter obſeruauit, quarto poſt natiuitatem anno demum eueniat. Id tamen ex nunc deſcriptis liquet, tunicam teſticuli vaginalem, eſſe partem peritonaei, tunicam autem vaginalem, chordam vaſorum ſpermaticorum inuoluentem, eſſe continuationem contextus celluloſi poſt peritonaeum deductam.

p. 23. Nunc herniam, de qua agitur, eiusque geneſin ex hac diſpoſitione nata in ſectione tertia deſcribit Cl. Auctor. Niſi enim mox poſt deſcenſum teſticuli in ſcrotum orificium ſupra deſcriptum claudatur, pars inteſtini vel omenti verſus hoc orificium premere et in eandem cauitatem, in qua teſticulus haeret, penetrare eamque diſtendere valet. Haec itaque herniae ſpecies vtplurimum in prima infantia naſcitur, et, niſi deſcendentes partes in abdomen reprimantur, et orificium compreſſum obliteretur ad adultam certe aetatem protrahi poteſt.

p. 28. In ſectione quarta nonnulla exempla, quibus hoc aſſertum declaratur, exponuntur. In viro robuſto viginti quinque annorum, in cuius dextro latere nec ſcrotum, nec teſticulus apparebat, tumor inguinalis conſpi-

conſpiciebatur, cum ſignis herniae incarceratae ita auctis, vt variis remediis fruſtra tentatis inciſio ſuſcipienda eſſet; hac facta ſaccus hernioſus detegebatur, qui apertus ſerum ſanguinolentum, partem omenti et inteſtini et teſticulum nudum continebat. Tumor itaque inguinalis a prima infantia praeſens et neglectus erat, teſticulus cum adhaerente epididymide in proprio ſacculo contentus occaſionem dederat, quo poſtea omenti et inteſtini portio in eum penetraret, et ſine formatione noui ſacci hernioſi, incarceratam herniam ſiſteret. In alio viro triginta quinque annorum hernia ſimili modo incarcerata inueniebatur, teſticulo nudo in ipſo annulo muſculi obliqui externi haerente, ſaccum itaque ſupra deſcriptum, ad quem in prima infantia non penetrare potuerat teſticulus, omenti et inteſtini pars, praeter naturam occupauerant. Ex hac ipſa re tumores inguinales infantum flatulenti vel aquoſi ſubito apparentes et ſubito ſaepius diſparentes declarari poterunt, ſimul quoque ratio datur, cur infantes in prima aetate herniis inguinalibus laborantes maſculi ſint.

Recueil des Pieces, qui ont concouru pour le Prix de l'Académie Royale de Chirurgie. Tome III. à Paris, chez P. Al. Prieur, 1759. 4. m. Alph. 3. pl. 9.

h. e.

Collectio diſſertationum, quibus de praemio, in academia regia chirurgiae obtinendo, concertatum fuit. Tom. III etc.

In tertio hoc tomo, cuius ſummam exhibemus, quaeſtiones ab anno huius ſaeculi quadrageſimo nono ad quinquageſimum ſeptimum vſque propoſitae explicantur.

Quaeſtio, quae anno 1749 characterem tumorum ſcrophuloſorum eorumque ſpecies, ſigna et curationem definienda propoſuerat, anno ſequenti praemium non reportauit, ſed ad annum 1752 translata fuit.

p. 3. Quaeſtionem anno 1750 propoſitam declarauit Cl. GOVRSAVD, praemiumque anno ſequenti obtinuit. Verſatur autem illa in eo, vt definiatur, *quid ſit metaſtaſis, quibusnam morbis chirurgicis ea contingat, quosue eadem producat, in quibusnam caſibus ea vitanda inque quibus eadem procuranda ſit, tandem quae ſint ſubſidia, quae in hoc vel illo caſu adhibenda veniant.* Metaſtaſis locum tantum in morbis, a fluidorum vitio ortis, inuenit et eſt tranſitus humoris morbifici ex parte in aliam. Si apoſtemati ea ſuperueniat, vocatur deliteſcentia, ſique vulneribus et vlceribus ea contingat, refluxus et reſorptio nominatur. Deliteſcentia, quae aeque ac reſolutio inflammationi et apoſtemati familiaris eſt, ab hac differt. Haec enim eſt diſſipatio inſenſibilis materiae, apoſtema formantis, illa vero eſt ſubitus materiae in vias circulationis regreſſus. Quod ad materiem purulentam attinet, ea vel adhuc in vaſis latitat nec manifeſta eſt, vel in ipſo vulnere aut vlcere conſpicitur tuncque proprie pus vocatur. In priori caſu, ſi ſuppuratio expectanda ſe haud quaquam manifeſtat et materies, pus alias conſtituens, in circulatoria vaſa regreditur, mutatio haec refluxus nuncupatur. Sin vero pus in vulneribus iam praeſens imminuitur et regreditur, ita, vt vulnus ſiccum appareat, mutatio iſta reſorptio vocatur. In tribus hiſce caſibus, deliteſcentia nimirum, refluxu et reſorptione materies vaſa circulatoria intrat, ſed datur etiam caſus, oppido rarus, vbi humor non vaſa circulatoria ſubit, ſed in textum celluloſum gliſcit, tuncque haec mutatio translatio appellatur.

Morbi

Morbi, qui metaſtaſi obnoxii deprehenduntur, p. 10. ſunt herpes habitualis, ſcabies, variolae, podagra, rheumatiſmi, lochia, lac puerperarum primis poſt partum diebus, gonorrhoea, vulnera et vlcera, bubones venerei et peſtilentiales, materies critica, in partem quamdam depoſita, omnesque tumores humorales.

Morbi, qui a metaſtaſi oriuntur, varii ſunt, prout pars eſt, in qua humor deponitur. Ita v. g. humor herpetis aut ſcabiei regreſſus in pulmonibus peripneumoniam vel haemoptyſin, in hepate infarctus inque alio viſcere alios affectus producit. Humor varioloſus in pulmones depoſitus difficultatem ſpirandi et infarctus vna cum ſanguinis ſputo; in hepate inflammationem, inque capite deliria aliaque lethalia ſymptomata gignit. Verum haecce ſymptomata non a reſorptione puris, ſed ab humore varioloſo, haud legitime a liquorum maſſa ſecreto, dependent. Pari etiam ratione humor podagricus, eryſipelaceus, lochia, lac, gonorrhoea etc. retropreſſa multa ac diuerſa, imo haud raro periculoſa inducunt ſymptomata.

Vitanda eſt metaſtaſis in ſcabie, lepra habituali, p. 14. gonorrhoea, vlceribus ſordidis, materie critica ad partem depoſita, gangraenoſa dein et peſtilentiali, variolis, lochiis, podagra, exterius ſedem figente, eryſipelate maligno, haemorrhoidibus etc. Aſt in angina ſuffocante, inflammationibus internis, materie interius depoſita, exoſtoſi, podagra, viſcus aut partem quandam internam infeſtante aut vaga, deinceps in rheumatismis, internas partes occupantibus, gonorrhoea, oculos aut alium locum infeſtante, inflammationibus oculorum contumacibus, bubonibus venereis et in genere in omnibus inflammationibus bonae indolis metaſtaſis procuranda eſt. Humoris vero morbifici ſubtilitas, vulnerum quorundam diſpoſitio, aegroti conſtitutio, vitia

humo-

humorum, animi pathemata, regimen male obſeruatum, aer, purgantia ſiniſtre exhibita, repercutientia, adſtringentia, et corroſiua, deligatio non debite applicata, febris, vomitus criticique humores interne depoſiti metaſtaſeos plerumque ſuppeditant cauſas.

p. 18. Subſidia, quibus metaſtaſis praecaueatur, ſequentia habebis. Si ad facilem reſorptionem humor aptus eſt, cataplaſmata maturantia tumoribus; balſamica autem remedia vulneribus applicentur. Criticorum et malignorum tumorum coctio non expectetur, ſed quantocyus ei aperiantur. Cauſtici lapides, cum figant materiem, cultello anteponantur, ſique vita in parte abeſt, actuale cauterium in vſum vocetur. Si ſuppuratio in vulnere lente procedit, digeſtiua irritantia linteaque, calido vino aut aromatico imbuta proſunt. Gracilibus et debilibus iuſcula, oryzae cremor, interdum lac et, ſi febris abeſt, pauxillum vini propinetur. Cacochymicorum aluus reſinoſis identidem ſubducatur talesque potus exhibeantur, qui humores moueant. Praeterea animi vitentur pathemata, diaeta accurata ſeruetur et aer temperatus procuretur. Corroſiua nec vulneribus dolentibus, nec partibus, vbi plures decurrunt nerui, applicentur. In gonorrhea, podagra, rheumatiſmis, ſcabie, tumoribus criticis etc. adſtringentium et repercutientium vſus plane nullus eſt. In vulneribus pure abundantibus non concedatur mora. Sinus aperiantur vel, ſi iſtud fieri nequit, faſciae expellentes applicentur et partes ita diſponantur, vt quouis modo exitus puris promoueatur. Sit demum deligatio expedita et mollis, nec vero faſcia adeo ſtricta.

p. 19. In excitanda metaſtaſi ſequentia notanda ſunt. In podagra, caput petente, balnea pedum calida et venaeſectio in pede proſunt. Si pectus, ventriculus, diaphragma etc. infeſtantur, venaeſectio in brachio

brachio conducit, hacque incaſſum tentata ſinapiſmi, veſicatoria et interdum vrticationes in pedibus vſurpatae iuuant. Si gonorrhoea retropreſſa oculos inuadit, venaeſectio in brachio prodeſt, nunquam tamen ea repetenda, cum reditus alias impediatur. Praeterea ſerum lactis, aqua ſeminum lini, balnea, frictiones mercuriales multum proſunt; ſique ſuppreſſio ab iniectione adſtringente, aqua ſeminum lini aut lac iniectum prodeſt. Ophthalmiae inueteratae, ſi a vitio generali dependent, diluentia, diuretica, purgantia lenia, ſudorifera, vel incaſſum his tentatis, cauteria et ſetacea requirunt. Inflammationes viſcerum partiumque internarum, a ſuppreſſione euacuationis cuiusdam ortae, praeter venaeſectiones et diluentia interdum veſicatoria, interdum cauteria, ſetacea, hirudines vel alia remedia poſtulant. Tumores externi venaeſectione, repercutientibus, adſtringentibus, purgantibus etc. diſſipantur. In bubonibus venereis reſolutio nec ſuppuratio excitanda et frictiones mercuriales applicandae ſunt. Exoſtoſes reſolutionem requirunt, ſique a labe venerea mercurialia interne et externe vſurpata conducunt; ſi vero ab alia cauſa v. g. materie ſcrophuloſa, aperientia et reſoluentia proſunt. Si ſuppuratio in vulnere deeſt, relaxantia, ſi inflammatio adeſt, venaeſectio, diaeta et topica anodyna curationem abſoluunt. Si a malo regimine metaſtaſis, diaeta et purgantia praeſtant. Tandem ſi heterogeneus humor, inflammatione aut morbo quodam generatus, vaſa intrat, potus aperientes, diuretici, diaphoretici et purgantia, caute vſurpata, proſunt.

Quaeſtio, quae anno 1749. *characterem, ſpecies et curationem tumorum ſcrophuloſorum definienda* propoſuit, nec praemium reportauerat, ad annum 1751 translata fuit. Sex itaque hac de re Academia obtinuit p. 22.

obtinuit diſſertationes et, licet nullus auctorum omni ex parte expectationi ſatisfecerit, praemium tamen Viris Cll. FAVNE et BORDEV *filio* adiudicauit. Prior quaeſtionem ita exponit. Struma figura, colore ipſiusque aegroti facie, ſingulariter conſtituta cognoſcitur. Raro ea ante quartum aut quintum, ſaepe verſus ſeptimum et octauum, nunquam vero poſt pubertatis aut vigeſimum annum apparet, vel ſi demum oritur, euaneſcit aut ad minimum valde imminuitur; quo etiam tempore inueteratae in ſcirrhum mutari ſolent. Indolens praeterea tumor eſt, ſique abſceſſus ſcrophuloſus aperitur, materiem iſte grumoſam exhibet. Signa ſtrumarum praenuncia ſunt intumeſcentia labii
p. 32. ſuperioris aut ophthalmia. Cauſae vero ſtrumarum in laxitate et debilitate ſolidorum, ex altera vero parte, in abundantia liquorum craſſorum, inprimis in viſciditate lymphae nutrientis conſiſtit, hinc infantes, cum viſcidum in iis abundet, ſtrumis prae aliis obnoxii ſunt. Strumae vel internae, vel externae ſunt: illae meſenterium occupant, in pulmonibus tubercula, aſthmate, ſuppuratione et phthiſi ſtipata, formant, inque cerebro epilepſiam, vertiginem, paralyſin, apoplexiam etc. producunt. Externae in omnibus partibus corporis glanduloſis inprimis in collo, ſub axillis, in inguinibus etc. conſpicuae ſunt.

Curatio in eo conſiſtit, vt remedium exhibea-
p. 39. tur, quod viſciditatem humorum tollat et ad fomitem vſque mali pertingat, quodque, ſi exterius vſurpetur, absque irritatione ſe inſinuet, viſcidamque lympham diluat et reſoluat. Tale remedium Noſter ſe inueniſſe vſuque comprobatum habere putat, ita tamen, vt puritatis inſimul, victus regiminisque ratio, ſi effectum edere debeat, habeatur omnino. Formulae praeſcriptio haec eſt: Recipiantur ſaponis alicantici grana quindecim aut

drachma

drachma vna; pulueris ſpongiarum combuſtarum et calcinatarum grana decem aut drachma ſemis; pulueris vtriusque ſcrophulariae, limaturae martis ana grana ſex vel ſcrupulus vnus. Cuncta cum ſufficiente quantitate ſyrupi de quinque radicibus aperientibus miſceantur et in formam boli redigantur. Praeterea aqua calcis viuae, aqua fontana, in qua pugillus ſummitatum roriſmarini decoctus fuit, parata pro potu ordinario propinanda, purgantium vſus frequens vitandus aluusque manna tantum aut confectione Hamech ducenda eſt. Quod ad remedia exterius applicanda attinet, variant ea, prout tumor apertus, vel absque ſolutione continui eſſe ſolet. In poſteriori caſu linimentum, ex ſapone communi, in lixiuio calcis viuae ſoluto, paratum prodeſt, inprimis ſi pars calide admodum foueatur. In priori vero caſu ſi tumor apertus eſt, fomentationes, ſaepius de die vſurpatae, et faſcia, ſapone ſoluto adiectisque cineribus ſarmentorum recentibus imbuta conducunt. Exſtirpatio nihil iuuat; praeſeruatio autem in diaeta et regimine conſiſtit: conducit etiam, ſi ſaepe ſapo alicanticus aut alius et aqua calcis viuae pro potu ordinario ſumatur panique puluis rorismarini, aniſi, croci, foeniculi etc. admiſcentur. Linteorum denique, veſtimentorum et aeris puritatem, nec non motum et laborem a morbo hoc quam maxime praecauere, Noſter omni iure monet.

Eandem hanc quaeſtionem declarauit Cl. BOR- p. 43.
DEV. Diſſertatio haec multis obſeruationibus nititur, quibus, ceu optimo fundamento ſcrophularum theoria, minime imaginaria, ſuperſtruitur. Si ad aegrotos attendamus, hos ipſos vt plurimum infantes eſſe, animaduertimus. Ii enim, cum ſanguis maximam partem ſuccorum excrementitiorum ad caput vehat, morbis ea propter capitis, faciei atque colli

colli maxime obnoxii ſunt. Quid? quod ipſe ſolidorum et fluidorum in infantibus ſtatus morbo huic producendo quam maxime fauet. Glandulae praeterea in infantibus multo molliores minusque elaſticae, actioque earum multo minor, quam in adulto generationi huius morbi non obſunt. Quod ad fluida ſpectat, ea in infantibus minus elaſtica magisque viſcida ſunt, quam in adultis, cumque etiam minus bilioſa ſint, fit inde, vt motus ſpontaneos ſubeant et acida euadant.

p. 53. Qui flumina et montes accolunt, quiue prauis alimentis veſcuntur, ſcrophulis prae aliis obnoxii ſunt; inde ruſticis magis, quam iis, qui in vrbe degunt, morbus iſte familiaris eſt. Sed nec mirum, cur ii, qui ad montes habitant, ſcrophuloſi deprehendantur, ſiquidem aqua, aer et alimenta corpora eorundem ad ſuſcipiendum iſtum morbum aptiſſima reddunt. Quod enim ad aquam ſpectat, iſta ex receptaculis, niue et glacie plenis proueniens, parte puriori, tenuiori et leniſſima orbata eſt. Viciſſitudo dein aeris maiorque in eo acidi copia, tandem alimenta viſcida et fermentationis principiis plena efficiunt, vt acida in humoribus oriatur acrimonia, ſeu ad ſcrophulas inducatur diſpoſitio. Ex his itaque cauſam huius morbi in viſciditate humorum eorumque acrimonia acida quaerendam ideoque curationem hiſce cauſis accommodandam eſſe, colligendum eſt.

Ante omnia primarum viarum ratio habenda et vomitoria, inprimis Ipecacuanha exhibenda ſunt. Iis enim et hac praeſertim radice, viſciditas in primis viis quam maxime inciditur et euacuatur. Haec etiam emetica nimirum purgantibus praeſtant. Licet enim primas vias moueant, ea tamen humores tantum mobiles euacuant, niſi fortiora et

ſtimu-

ſtimulantia, vt ſennam et ialappam exhibueris, quae tamen, ob dolores, quos ſaepe excitant, omittantur, licet dolor hic ceu ſtimulus ſalutaris aſtimari debeat. Poſt haec abſorbentia terrea propinanda ſunt; hiſce enim acidum temperatur, aluus ob coniunctionem acidi cum terreo non raro mouetur inſimulque actio ventriculi et inteſtinorum reſtituitur aut excitatur. Praeterea plantae amarae, vt fumaria, chamaedris et ſcolopendrium, inertiam bilis corrigendo, inprimis autem cortex peruuianus, nec non plantae antiſcorbuticae alcalinae, vt naſturtium et cochlearia maximi hic vſus eſſe ſolent. Hiſce enim remediis viſciditas tollitur, acidum temperatur, bilis corrigitur, tonusque canalis alimentorum reſtituitur ſicque diſpoſitio humorum ad corruptionem ſpontaneam apta vincitur.

Lac et ſerum lactis, licet ad compeſcenda quaedam ſymptomata aliquid praeſtare videantur, in curatione tamen nihil praeſtant et, cum facile aceſcant et viſciditatem adaugeant, cauſam morbi potius pertinaciorem reddunt. Aſt aquae minerales et tales quidem, quae partibus ſaponaceis oleoſis, ſulphureis ſalibusque neutris, marino, vitriolico aut Ebshamenſi ſimilibus donantur, interne et in balneo vſurpatae, proſunt. Maximi autem vſus eaedem eſſe ſolent, ſi exterius inſimul frictiones mercuriales applicentur; ex harum enim illarumue connubio cauſa morbi ita oppugnatur, vt materies fundatur, moueatur atque lenis laudabilisque ſuppuratio excitetur. p. 80.

Quod ad victum pertinet, farinacea bene fermentata et iuſcula carnium tenuia, interdum braſſicam, caſtaneas et paſſulas maiores profuiſſe, Noſter expertus confirmat. Tandem etiam aeris mutatio eiusmodi aegrotantibus ſuadenda eſt. In primis aer montanus iis conducit, qui in vrbibus degunt; qui vero ad montium radices habitant, his p. 87.

non aeque loci montani mutatio cum vrbibus ſuſcipienda eſt. Conuenit quidem loci mutatio, ita tamen, vt ex valle in vallem migrent ſicque hac mutatione ſanitati proſpiciant. Triplex praeterea ſtrumarum ſtatus, diſpoſitio nimirum corporis, euolutio earum et *ἀκμή*, aetas deinde et ſexus aegrotantium, morbi duratio aliaque demum, quae hanc vel illam curationem ſuadeant aut diſſuadeant et caſus in ſpecie determinent, attendenda omnino veniunt, Ex his cauteria interdum maxime proficua et cultello ſemper praeferenda, atque matrimonium iunioribus, morbo hoc correptis, vtile, illis vero, qui ſtrumis diu iam laborant, minime proficuum eſſe, annotamus.

p. 142. Eandem hanc quaeſtionem explicandam ſibi ſumſit Cl. CHARMETTON. Struma a Noſtro vt vitium lymphae conſideratur, quod interius et exterius in diuerſis partibus vario modo et vt plurimum glandularum conglobatarum infarctu ſe manifeſtat, quippe quae modo, ſenſus haud incurrente intumeſcunt, vt plurimum doloris expertes ſunt et de reliquo duritiem, renitentiam aliaque ſigna ſcirrhi habent. Cauſa ſtrumarum in coagulatione lymphae conſiſtit, quae vero ab atonia vaſculorum et quantitate humorum aucta vel imminuta nec non etiam plethora vera et ſpuria prouenit. Quod ad externas cauſas attinet, aer frigidus, craſſus, paludoſus et particulis virulentis repletus, nec non alimenta in magna quantitate aut valde parua aſſumta, victusque craſſus, glutinoſus, per ſe quidem non acidus, ſed euolutioni acidi ſpontanei fauens, multo magis autem acidus, aqua demum particulis duris, ſalinis, auſteris, craſſis, impuris ponderoſisue ſcatens prae aliis huc pertinent.

Strumae vel benignae, vel malignae ſunt. Illae p. 158.
adſunt, ſi ſuperficiariae, aequales, mediocriter durae, mobiles fluctuantes, non inflammatoriae et indolentes ſunt; ſi deinde ſenſim paulatimque formantur, ſi porro progreſſus earum non adeo ſubitus eſt, ſique demum ſponte in ſuppurationem abeunt vlcusque inde ortum absque difficultate coit. Malignae vero vocantur, quae durae, inaequales, profundae ſunt et adhaerent, quae dein multiplicantur et paruo temporis ſpatio augentur; quae porro glandulas conglomeratas atque partes membranoſas et tendinoſas inuadunt, quae dolore et inflammatione plus minus inſigni ſtipatae ſunt, quae materiem tam deprauatam et acrem habent, vt textus partium mollium vel durarum deſtruatur; quae in vlcera plus minus maligna abeunt, de quibus ſanioſa materies manat et quae fiſtulis et carie ſtipantur, quorum margo calloſus, contortus et dolens eſt, quaeque demum characterem vlceris cancroſi habent.

Tumores hi pro partium diuerſitate, quas oc- p. 159.
cupant, varia nomina accipiunt: e. g. ſi in tendinibus reſident, ganglia, ſi in ligamentis tophi, in perioſteo nodi, in oſſibus exoſtoſes etc. vocantur.
Variat etiam nomen pro diuerſitate materiae; ita p. 160.
ſteatoma, atheroma etc. audit. Quod ad materiem, p. 165.
in his tumoribus contentam, attinet, ea pro varietate acrimoniae ſalinae varia eſſe ſolet. Ita fluiditas atque color flaueſcens et rubeſcens oſtendit, olea alcalinis ſalibus attenuata et ſoluta eſſe; conſiſtentia media et color albus, vt in atheromate, acidi praeſentiam manifeſtant; dura tandem materies ſebacea et adipi ſimilis, vt in ſteatomate, olea viſcoſa et, ob acidi eminentiam, craſſa deſignat. Ex his itaque aliisque perpendendis phaenomenis coniicere licet, in his tumoribus, inprimis malignis, ſales acidos magis, quam alcalinos, dominari. Praeterea tumores

iſti per contagium communicantur, vel haereditarii a parentibus in infantes transferuntur, vel tandem acquiſiti ſunt, qui vltimi, vel absque vllo morbo praegreſſo producti, primitiui dicuntur vel morbis quibusdam ſuccedunt et conſecutiui nominantur.

p. 180. Tumores ſcrophuloſi ſenſim ſenſimque generantur, diu in ſtatu ſuo manent et incurabiles perſaepe fiunt, interdum autem reſoluuntur aut in ſuppurationem abeunt, aut indurantur, aut morte terminantur aut demum deliteſcunt. Reſolutio admodum difficilis eſt; ſedes enim eorum aeque ac frigiditas et durities, nec non aegrotantium laxa plerumque et phlegmatica conſtitutio, cacochymia ſeu vitium, humoribus iam inhaerens et ad gignendos infarctus nouos aptum, impedimenta ſiſtunt; quae cuncta etiam ſuppurationem tardam et difficilem reddunt. Licet autem tumores, in externis partibus ſiti, optime interdum ſuppurent, plerumque tamen ſuppuratio tumorum ſcrophuloſorum maligna et triplex eſſe ſolet. 1) Tumores reperiuntur, in quibus ſuppuratio motu ſpontaneo, acrimoniam et putredinem materiae, tumores conſtituentis, indicante excitatur. Tales tumores ſunt, qui glandulas, circa aponeuroſes, pectus, caput etc. infeſtant. 2) Dantur tumores, in quibus materies purulenta plus minusue ſuperficialis formatur, quorum baſis imperfecte ſuppurat et dura atque renitens manet. Atque hic tumorum exitus non infrequens eſt, ſiue infarctus glandulas, ſiue partes carnoſas, aut tendinoſas, metacarpum, metatarſum, articulationes etc. infeſtent. 3) Tandem tumores ſunt, qui nec reſoluuntur, nec ſuppurant, ſed, ſi ſponte ſe aperiant, ſerum acre fundunt et margines duros, craſſos et inuerſos habent, ideoque indolem cancroſam manifeſtant. Hoc autem modo tumores ſcrophuloſi emunctoriorum, articulationum, partium, ad tendines iacentium, genarum, poſterioris partis ſurae

ſurae etc. terminantur. Saepe etiam tumores ſcrophuloſi indurantur, ſi quando nimirum lympha craſſa in glandulis et iuncturis congeratur, aut repercutientia et reſoluentia male applicentur. Vaſa enim iſtarum partium debilia ſunt, motus autem eorum aut actio admodum lenta, ita, vt alia iſtorum remediorum vel ſolida criſpent ideoque motum humoris infarcti imminuant vel alia fluidiſſimam tenuiſſimamque materiae partem diſſipent. p. 190.

Moriuntur partes, ſi actio ſolidorum et motus fluidorum, quae in partibus, vbi tumores iſti haerent, diſtribuuntur, deſtruitur vel aboletur isque exitus tumorum ſcrophuloſorum *mortificatio* a Noſtro vocatur inque ſiccam et humidam diuiditur. Illa producitur, ſi ſanguis deeſt, aut vitia quaedam liquoribus qualitatem nutrientem adimunt, vel et ſolidorum tonus debilis eſt et deficit. Haec vero a copioſis liquoribus in parte haerentibus prouenit. Hicce tumorum exitus nunquam bonus eſſe ſolet, ſiquidem inſignes dilacerationes et cicatrices difformes ſequuntur aut, ſi vlcera inde orta conſolidata fuerint, materies deponitur, quae rebellis, ſub cicatricibus formata, morbum denuo producit. Si tandem tumores ſcrophuloſi ſubito diſpareant, per deliteſcentiam eos terminari, Noſter dicit. Sed raro id accidit, et ſi eſt, magna omnino requiritur attentio, ſiquidem humor iſte vitiatus, per corpus nunc oberrans, vel partes interiores infeſtare, vimque in eas exercere, vel exteriores partes aggredi atque noxia, forte non compeſcenda, ſymptomata excitare poteſt. p. 192.

Ante omnia autem ſtudendum eſt, quomodo tumores ſcrophuloſi cognoſci et ab aliis tumoribus dignoſci queant. Saepe enim cum tumoribus catarrhoſis confunduntur, qui tamen ab illis in eo differunt, quod molles et leuiter ſenſiles ſint atque facile reſoluantur. Complicantur etiam cum aliis p. 200.

 morbis,

morbis, qui vero ſuis etiam ſignis ſe produnt. Itaque ad vitam aegrotantis, ante actam, ſedulo attendendum eſt. Si enim aegrotans victu duro, viſcido, acido et farinaceo veſcatur, ſi tenera aetate lac ex mammis foeminae, tunc temporis grauidae ſuxerit haecque cacochymica fuerit, aut vitio quodam ſingulari laborauerit, ſi talis in regione, vbi morbus iſte regnat, natus aut diu ibi commoratus fuerit, ſi vna cum ſcrophuloſis vnum locum inhabitarit, aut iſti homines, quibuſcum degit, morbo quodam venereo, ſcrophuloſo aut ſcorbutico laborauerint, tuncque infarctus ſcirrhoſi glandularum in collo, ſub axillis, inque inguinibus conſpiciantur, certa quodammodo tumorum ſcrophuloſorum habetur diagnoſis.

p. 207. Quod ad prognoſin pertinet, tumores ſcrophuloſi recentes, aut qui diu benigni fuerunt, nec multiplicantur, inprimis ſi aegrotans iuuenis et boni temperamenti eſt, locum forte habet curatio. Maligni autem tumores, inflammati et exulcerati mala praenunciant aeque ac illi, qui infantes aut ſenes infeſtant. Imo variat tumorum exitus, prout aegrotantis conſtitutio cacochymica et temperamenta variant.

p. 210. Quod ad curationem ſpectat, inter alia, quae hic traduntur, millepedes, ſerum lactis chalybeatum et mercurium violaceum commemoramus. Millepedes recentes ſiccatis praeſtant, ſique puluis requiritur, recentes a ſordibus purgandi, hisque poſtea vinum album adfundendum, hocque ſenſim ad ſiccitatem euaporato reſiduum in puluerem redigendum eſt. Puluis hic cum martialibus et purgantibus miſceri poteſt. Serum lactis chalybeatum fit, ſi vel claui ferrei candentes in ſero lactis extinguuntur, vel ſi nodulus limaturae martis aut chalybis cum eo coquatur. Tandem mercurius violaceus ex aethiope minerali, in igne praeparato, et aequali

portione

portione ſalis ammoniaci paratur et ſublimatur. Praeter haec innumera alia tam interne, quam externe vſurpanda remedia commemorantur, quae autem ſilentio praeterire liceat.

Hanc quoque quaeſtionem exponendam ſibi ſumſit Cl. GOVRSAND. Cum plura et eadem fere a Noſtro dicta hic ſint, quae in antecedentibus iam annotauimus, ea repetere nolumus, pauca tamen annotantes. In cauſas Noſter inquirens illis aduerſatur, qui morbum hunc a vitio quodam aut miasmate venereo deducunt. Nec etiam morbum iſtum contagioſum eſſe, experientia probat. Inter remedia, interne exhibenda, mercurium dulcem et aethiopem mineralem commendat, frictiones vero mercuriales, niſi cum vitio quodam venereo complicatus ſit morbus, reiicit. Infantibus praeterea, hocce morbo affectis, medicinam minime faciendam, ſed annos potius pubertatis expectandos, tumque, ſi non ceſſarint, remedia exhibenda eſſe, praecipit. Quod ad externa remedia pertinet, inter alia etiam cauteria actualia et ligaturas non raro opem ferre, arbitratur. P. 288.

Hanc quaſtionem etiam expoſuit Cl. MAIAVLT. Sub nomine tumorum ſcrophuloſorum non ſolum ſtrumas, ſed alios etiam tumores aliaque tubercula comprehendit Noſter atque primo quidem tumores hos a ſuccis lymphaticis generari, glandulas conglobatas ſedem huius morbi primariam ſuppeditare, neque tamen alias partes, cum et adipoſos ſuccos vitium iſtud tangat, ab hoc tumorum genere immunes eſſe, oſtendit. Iſtos porro ſuccos, qui ſcrophulas forment, craſſeſcere poſſe, variasque concretiones formare, duritiem autem horum tumorum, cum materies, dictos tumores formans, mox pultis, mox gypſi formam induat, a duritie P. 311.

 ſcirrho-

ſcirrhoſorum tumorum differre, demonſtrat. Partem praeterea ſuccorum, tumores formantium, fixam et craſſam, digeſtionem in hoc morbo vitiatam hincque chylum male elaboratum eſſe, ſuccos dein chyloſos, actioni vaſorum organicae minime ſubiectos, tenacitatem humorum producere, ſuccosque, cum difficulter putreſcant, contra vero acidae ſeu rancidae acrimoniae obnoxii ſint, gelatinoſos proinde in hoc morbo dominari inſimulque adipoſos ſuccos, cum inter hos et gelatinoſos, nec non etiam chylum analogia quaedam ſit, in formandis his tumoribus concurrere, Noſter declarat.

p. 325. In curatione horum tumorum venaeſectionem primo, plus minus reiteratam, poſthac purgantia leniora, quae fortioribus et emeticis praeſtant, tandem aperientia et alcalia ſuadet, praecipue autem reſoluentia, in primis antimonialia et mercurialia cum abſorbentibus mixta laudat, tumque topica inſimul, vt fomentationes, embrocationes etc. applicari iubet, ita tamen, vt in vſu eorum temporis illiusque, quod morbum comitatur, ratio habeatur omnino.

p. 336. Tandem et haec quaeſtio ab Auctore quodam anonymo declarata eſt. Hic autem ſpecifici tantum mentionem facimus, cuius vires in curandis ſtrumis Noſter expertus laudat. Paratur iſtud ſequenti ratione. Sumitur nimirum nitri depurati, ſalis abſinthii et antimonii Hungarici ana vncia vna; ſingula ſeorſim in puluerem redacta, poſtea exſiccata miſcentur et in crucibulo ſat capaci detonantur, quo refrigerato maſſa regulina eximitur, in puluerem redigitur, eique per decem dies mane et veſperi aqua calida adfunditur, materiesque quotidie quinquies aut ſexies agitatur. Tandem puluis ſiccatur, ſuper porphyriten teritur et aſſeruatur. Poſtea ſaturatum liquiritiae decoctum ſcammoneo, in puluerem redacto, affunditur, continuo haſce

materies ſuper ignem mouendo, donec liquor lacteus euaſerit; tunc autem iſte effunditur, nouum decoctum adfunditur, idque toties repetitur, donec liquor affuſus nullum amplius colorem lacteum acquirat. Lactei liquores confunduntur, euaporantur inque ſyrupi conſiſtentiam rediguntur et aſſeruantur. Tandem mercurius viuus cum lapidibus cancrorum teritur, forti corio includitur et prelo ſubiicitur. Labore hoc ter repetito mercurius purus demum obtinetur. Cum tribus hiſce praeparatis alia coniunguntur ſicque memoratum iſtud remedium obtinetur. Praeſcriptio autem formulae haec eſt: Recipiantur ſcammonei praeparati vnciae duae; aethiopis drachma vna ſemis; mercurii purificati, antimonii praeparati, croci martis aperitiui ana drachmae tres; ſaponis albi Genuenſis drachmae duae; pulueris millepedum drachmae tres. Haec cum ſyrupo quodam miſcentur, inque bolum rediguntur; huiusque ſeptendecim aut octodecim grana, corpore rite praeparato ſumuntur.

Quaeſtio, quae anno 1752. de cauterio actuali p. 352. propoſita fuit, anno ſequenti praemium non obtinuit, ſed ad annum 1755 translata fuit.

Pariter etiam quaeſtio, quae anno 1753 de am- p. 353. putatione propoſita fuit, anno ſequenti praemium non reportauit, ſed ad annum 1756 translata fuit.

Quaeſtionem anno 1753 primum propoſitam, p. 355. poſthac ad annum 1755 translatam expoſuit Cl. BISSIERE. Quaeſtio autem haec eſt, *an cauterium actuale a veteribus nimium applicatum, idemque a recentioribus nimium neglectum fuerit, in quibusnam caſibus iſtud ad curandos morbos aliis praeferendum, quaeque huius praerogatiuae rationes ſint?* Cauterium actuale, potentiali ob actionem certam atque defi-

nitam praeferendum, ſolidarum, quas tangit, partium textum diuidit, ſtratum vicinum deſtruit et ſubſequentia tumida reddit. Hoc ipſo fluida in primo ſtrato euaporantur, in ſecundo alterantur inque ſubſequentibus colliguntur et infarciuntur inſimulque nerui et eorum ſpiritus commouentur. Hi primarii effectus eſſe ſolent. Euacuatio vero et exſiccatio partis, fluidis abundantis, ſanguinis ſpirituumque affluxus, ſuppuratio, eſcharae fluidorumque vicinorum expulſio, partium deperditarum regeneratio, tandem cicatrix ſecundarios effectus conſtituunt. Sed alii etiam effectus notandi ſunt, qui, cum ſaepe in partes, à morboſa parte remotas, agant, indirecti ſeu ſympathici vocantur. Itaque calcinationem, necroſin, alterationem et exſiccationem in parte, quae immediate tangitur, poſthac obſtructionem et inflammationem in partibus, quae adiacent, inque genere neruoſo tandem commotionem atque metaſtaſeos productionem a cauterio expectabis. Quod ad morbos attinet, quibus chirurgia medetur, quinque eorum genera conſideranda veniunt. Primi generis ſunt exoſtoſes, haeque ſi malignae ſunt, vt ſcrophuloſae et cancroſae, cauterium requirunt; benignae vero, niſi abſcedant aut fungoſae carieque profunda et humida affectae ſint, iſtud auxilium non admittunt, imo ſolidae nec fluidis repletae iſtud reſpuunt.

p. 373. In curandis herniis nec actuale, nec potentiale cauterium, ſed cultellum praeſtat. Oedema et emphyſema nunquam externa, multo minus cauteria actualia, quae tamen veteres applicarunt, poſtulant. Aſt ad tumores quosdam inflammatorios et pertinaciores quidem, vt ophthalmias refractarias, cauteria in loco remoto, non in ipſa parte, applicata multum proſunt et reſolutionem praeſtant. Tumores inflammatorii maligni, a cauſa externa, e. g. ictu venenato, contactu impuro venereo et peſtilentiali,

lentiali orti, cauteria actualia admittunt, quod vero non valet, ſi ab internis cauſis ei proueniunt. Gangraena, tumoribus ſuperueniens, rariſſime cauterium actuale requirit, atque quidem eo tantum in caſu, vbi principium venenatum, malignum et locale ſubeſt. Tumores glandularum et articulationum frigidi, fungoſi et humidi cauterium actuale admittunt.

Tumores concreti, vt verrucae, condylomata, p. 381.
polypi, ſcrophulae confirmatae, ſcirrhi etc. vel auulſione, vel ligatura, vel cultello, vel cauſtico, vel demum igne curantur. Vltimum hocce auxilium, ignis nimirum, eo tantum in caſu valet, ſi tales tumores humidi ſunt, idque eo magis, ſi humiditas vitiata eſt, haecque vicinarum partium corruptionem minatur. Notandum tamen eſt, tumores hos fungoſos magis, quam ſcirrhoſos magisque molles et humidos, quam ſenſibiles et duros requiri; ſin alias, periculum habebis. Exceſſu aut defectu numeri figuraque naturali deprauata ſi peccant partes, cauterium non admittunt. Valet tamen hoc in paralyſi, ligamentorum relaxatione et anchyloſi inque omni caſu, vbi motus deficiens turbationem excitat. In vulnerum curatione actuale p. 392.
cauterium prorſus inutile aeſtimatur, eo tantum caſu excepto, vbi haemorrhagiae nullo alio remedio ſiſti queunt. In venenatis autem vulneribus e. g. ictu viperarum, morſu canis rabidi etc., bono cum ſucceſſu iſtud applicari poteſt, quippe quo liquor venenatus ita deſtruitur, vt in humorum maſſam transferri nequeat. Potentialia contra noxia aeſtimantur, ſiquidem cum liquore venenato, vt oleum cum flamma, coniunguntur.

In vlceribus, quorum calloſitas inſtrumento p. 393.
ſcindente tolli poteſt, nihil valet; quae vero omnem curationem, tam interne, quam externe ſuſceptam reſpuunt vlcera maligna, fungoſa, calloſa et ſanioſa, his

his actuale cauterium medetur et potentiali praeſtat, dum nullam qualitatem venenatam, qualem potentialia, ex arſenico v. g. parata, habent, in
p. 398. corpus inducant. In curatione fiſtulae lacrymalis ferrum ignitum, quod hoc in caſu a veteribus nimis vſurpatum et a recentioribus neglectum eſt, interdum multum prodeſt, in primis ſi caries humida et inſignis ſubeſt. Aſt in vlceribus cancroſis et rodentibus, ab interna cauſa natis, nec potentiale, nec actuale cauterium conducit; ſin vero eiusmodi vlcus ab externa cauſa oritur, inſimulque fungoſum, indolens, putridaeque quodammodo indolis eſt,
p. 406. actuale cauterium valet. Tandem etiam ſaepe memoratum cauterium in quibusdam morbis v. g. rheumatiſmo, podagra, doloribus capitis perſiſtentibus, inſignem opem praeſtare ſolet. Tali enim modo morbus a parte nobili in minus nobilem, cauterio vexatam, transfertur ſicque tollitur.

p. 413. Hanc ipſam quoque quaeſtionem declarauit Cl. LOVIS. In hacce diſſertatione Cl. Auctor antiquitatem cauterii actualis probat atque multo ſtudio oſtendit, in quibusnam morbis iſtud ab HIPPOCRATE, CELSO, AETIO, PAVLO AEGINETA, MARCO AVRELIO SEVERINO et FABRICIO AB AQVAPENDENTE vſurpatum fuerit. In ſequentibus autem morbis ignitum ferrum Noſter laudat: in oedemate pedum, vbi rupturae gangraenoſae apparent, remedium iſtud progreſſum cohibet, qui tamen haud raro ſcarificatione acceleratur. In doloribus pertinacioribus ferrum ignitum, actionem vaſorum ſanorum augendo, oſcillationes, a morbi oſcillationibus diuerſas, producendo, humoremue morbificum deriuando, multum prodeſt. In primis autem cauterium actuale in fiſtula lacrymali, malo iſchiatico, morſu animalium rabidorum, ozaena,

ampu-

amputatione penis, in parte licet gangraenoſa ſuſcepta, in certis quibusdam anthracibus contagioſis, vbi ſuppuratio expectanda non eſt, in angina porro gangraenoſa, carcinomatibus oſſis maxillaris ſuperioris et inferioris, humiditatem ſanioſam ibi conſumendo et cruſtas, progreſſum mali impedientes, inducendo, tandem in ſiſtendis haemorrhagiis, ſi valde vrgeant, felici cum ſucceſſu applicatum eſſe, Noſter declarat.

Tandem et ab Auctore quodam anonymo quaeſtio haec declarata fuit. Hic in duas partes diſſertationem diuidit, inque priori caſus exponit, in quibus actuale cauterium aliis praeferri mereatur. Si itaque ſanguis, vel lympha ab excreſcentiis fungoſis, quae applicationem hirudinum in infantibus aut illis, quorum ſanguis poſt febrem hecticam tenuior et aquoſior euaſit, ſequuntur, tanta copia ſtillat, vt nullis remediis compeſcatur, cauterium praeſtat. Si arteria vulnerata eſt et decurſus eius, nec vinculum, nec ligaturam admittit, idem cauterium valet. Si inſtrumenta inciſoria in tumoribus ſaccatis, fiſtulis, tuberculis et excreſcentiis ita adhiberi nequeant, vt dicti morbi radicitus tollantur, cauterium iuuat. Si venenum vulneri immiſſum eſt, vlcus fungoſum, ſaniem plorans, non conglutinatur, aut gangraena ex debilitate et laxitate partes vicinas trahit, aut os vitiatum eſt, nec omnis in eo humorum circuitus deeſt, hincque exfoliatio retardatur, ſi porro venarum varices ſanguinis effuſio in celluloſum textum comitatur, ſi tumor lentus et indolens per ſe tardius in ſuppurationem abit, ſi oſſa dura vel mollia denudata et aeri expoſita cariem in ſuperficie contrahunt, ſi tandem vlceris orificium, vt ex fundo conglutinetur, apertum tenendum eſt, cauterium valet et ſcalpello praeferendum eſt.

p. 444.

Sed

p. 460. Sed quaeritur, in quibus caſibus cauterium actuale cauterio potentiali et aliis omnibus ſanandi rationibus praeſtet? Si confeſtim adurendum eſt, ſi humores aquoſi diſſipandi aut vaſa ſtimulanda ſunt, vt abſorptio et ſuppuratio augeatur, ſi vſtionis limites accurate definiendi ſunt, ſi metus eſt, ne pus aliusue humor, inter vrendum, effluat, ſi oris fauciumque tumores et vlcera vrenda ſunt, ſi caries, vermicularis dicta, adeſt, ſique ad ſpaſmos tollendos, ſolida roboranda, inflammationem excitandam, ſuppurationem promouendam acrior ſtimulus requiritur, merito cauterium actuale potentiali praeferendum eſt.

p. 467. Quodſi vero humidum ita abundet, vt ignis exſtinguatur, vt in dente cauo aut oſſe exeſo cum hyperſarcoſi et excreſcentiis fungoſis coniuncto, ſi ignis irritatio noceat, vt in phlegmone ad ſuppurationem tendente, ſi cancer paruus aut cancri maioris reſiduum adſit, ſique demum vlceris vulnerisque benigni caro luxuriet, potentiale cauterium actuali praeſtat.

p. 468. His praemiſſis altera nunc parte veteres in vſu ignis nimios, nimiumque apud recentiores cauterium actuale neglectum fuiſſe Noſter oſtendit.

p. 488. Quaeſtionem, quae ad annum 1755 translata fuit, declarauit annoque ſequenti praemium duplex obtinuit Cl. FAVRE. Ita autem ſe res habet, vt *caſus, vbi amputatio in vulneribus cum fractura oſſium complicatis, praeſertim illis, quae a tormentis bellicis inflicta ſunt, confeſtim ſuſcipienda vel etiam, vbi ea differenda ſit, determinentur deque his rationes reddantur.* Si ſymptomata, quae vulnera cum fractura oſſium complicata et a tormentis bellicis inflicta comitantur, conſiderentur atque perturbatus ſtatus hominis, cui id contigit, inſimulque laeſarum partium conditio perpendatur, ſi demum ſymptomatum impetus, quaque hora poſt inflictum vulnus metuendus,

dus, ponderetur, quiuis ſtatim perſpiciet, amputationem in eiusmodi vulnerato ſtatim poſt inflictum vulnus minime ſuſcipiendam ſed differendam eſſe. Praeſtat enim animum vulnerati prius erigere, dolores eius ſopire impetumque ſymptomatum prius refraenare, quam eiusmodi operationem, dolores nouos inducentem, vel praeſentes augentem, ſuſcipere hocque modo ſtatum hominis multo magis perturbatum reddere. Vt itaque amputatio felici cum ſucceſſu ſuſcipiatur, neceſſe omnino eſt, vt vires corporis, nec validae, nec adeo debilitatae adſint. Periculoſum etiam eſt amputationem eo tempore ſuſcipere, quo motus violenti et irritatio vniuerſalis adeſſe ſolent.

Licet autem ob rationes, hactenus adductas, p. 501. amputatio differenda omnino ſit, dantur tamen caſus, vbi ſtatim poſt acceptum vulnus, dicta operatio inſtituenda eſt. Si namque membrum quoddam truncatum eſt partesque admodum laceratae ſunt, ita, vt vniri nequeant, ſi deinde articulationes maiores fractae ſunt, ſi porro extremitatum quaedam pars ita deſtructa eſt, vt vita deſit et gangraena accedat, ſi oſſis magna pars in parua fruſta redacta et quaſi contrita eſt, ſi articulatio fracta et notabilis partium ligamentoſarum laeſio eſt, ſi tandem truncus arteriae ita laeſus eſt, vt continuo ſanguis profluat isque nullo modo compeſci queat, amputatio ſane, ſtatim ſuſcipienda, locum habet. Licet enim euentus huius operationis minus certus ſit, melius tamen eſt, eam ſuſcipere, quam vulneratum certae morti relinquere.

Ex his itaque perſpicere licet, amputationem absque corporis praeparatione et quieti ſtatus reſtitutione periculoſam ſemper inque caſibus extremis ſemper etiam tremula manu ſuſcipiendam tuncque, vt neceſſarium malum conſiderandam eſſe. Praeterea

terea etiam, amputationem in omnibus vulneribus complicatis, licet quoque nulla eam comitetur fractura oſſis, nec etiam inſignis adeo partium mollium deprehendatur iactura, differendam tuncque non niſi ſymptomatibus grauioribus ſedatis ſuſcipiendam eſſe, patet. Sed magna omnino ex procraſtinatione enaſcitur vtilitas: ſaepe enim ſtatus partis vulneratae, cuius amputatio neceſſaria antea viſa fuit, ita mutatur, vt conſeruari integra poſſit. Niſi itaque amputationis neceſſitas vrgeat, tam diu ea differenda eſt, donec ipſa natura eam ipſam indicauerit. Quodſi vero vulnus liuidum fiat, pus putridum et foetidum, caro luxurians, oſſisque color niger appareat atque pars gangraenam minitetur, vel etiam haec ſigna ſi abſint, ſi tamen curatio neutiquam ſuccedat, vel ſi oſſa vnionem reſpuant, vel denique ſi aegrotans quotidie debilior fiat, amputationem indicatam eſſe, cenſeas. Licet autem ſaepe differenda nobis videatur amputatio, ſaepe tamen ſymptomata, non praeuidenda, accedunt, quae amputationem ſtatim ſuſcipiendam ſuadent. Ita v. g. ſi eſchara, poſt aliquot dies ſeparata, haemorrhagia accedat, nullo modo compeſcenda, vel ſi intumeſcentia aut tenſio, inflammatione totius membri et febre valida ſtipata, ſuperueniat, amputatio ſtatim inſtituenda eſt. Minime tamen putes, ac ſi tunc demum amputatio periculoſa ſit. Quo magis enim ea diſtat a tempore, quo vulnus inflictum fuit, eo magis bono cum ſucceſſu pars abſcindi poteſt. Tunc enim fluida iam imminuta et ſolida ope regiminis et remediorum ita relaxata ſunt, vt nihil poſthac de his metuendum foret His itaque expoſitis Noſter demum octo obſeruationes ſubnectit, quibus hancce amputationis theoriam firmiorem reddit.

Eandem

Eandem hanc quaeſtionem expoſuit Cl. CONTE. p. 521.
Hic primo exponuntur caſus, in quibus amputatio ſtatim ſuſcipienda eſt. Si magnum os e. g. femur ita fractum ſit, vt vtrumque extremum in acumen deſinat, quod nec tolli, nec reponi poſſit, ſicque vnioni impedimento ſit. 2) Si oſſa femoris, brachii, cruris et cubiti in pluribus locis fracta ſimul ſint. 3) Si in tali ſtatu extremum oſſis a corpore eiusdem ſeparatum ſit. 4) Si articulus contritus et in plura fruſta ſeparatus ſit, ita, vt nullum partibus mollioribus relinquatur fulcrum. 5) Si corpus peregrinum ita in os intruſum ſit, vt arte nulla euelli queat. 6) Si ſanguis, ex arteria membri fracti fluens, nullo modo compeſci poſſit. 7) Si membri quaedam pars deficiat; ſi tandem conuulſiones, non compeſcendae, aut gangraena ſuperueniant, amputatio valet.

Vulnus vero cum fractura oſſis complicatum et p. 531
commotione totius generis neruoſi ſtipatum, vires aegrotantis validae, humorum qualitas deprauata, viſceris nobilioris inflammatio, ligatio vulneris primo tempore neglecta, necroſis non limitata et inprimis ſi ſupra vulnus intumeſcentia inflammatoria, longe ſe extendens, adſit, amputatio, cum periculi tunc plena eſſe ſoleat; differenda eſt. Sique demum os a globulo tantum minori inque medio tantum fractum ſit, ſi in articulatione cubiti aut genu, nec humeri, nec femoris extremitatem inferiorem tangat fractura, nec ſymptomata vrgeant, ſi cruris et tarſi, nec non cubiti et carpi, oſſa aliqua ex parte tantum fracta ſint, ſique demum vulnera cum oſſium fractura a tormentis bellicis non inflicta ſint, amputatio ob periculum vix metuendum, differenda eſſe videtur.

Quaeſtio, quae anno 1756 propoſita *caſus, vbi* p. 544.
amputatio femoris in ipſo articulo vnicum, vitam

 aegro-

aegrotantis ſeruandi, auxilium videretur, determinari iubet, *numque ea ſuſcipienda et quae optima inſtituendi methodus ſit*, praemium non obtinuit, ſed ad annum 1759 translata fuit.

p. 545. Vltimam tandem quaeſtionem anno 1757 propoſitam explicauit et anno ſequenti praemium obtinuit Cl. GRILLON. Verſatur autem omnis rei cardo in eo, vt *caſus, vbi in morbis chirurgicis inie̅ctiones neceſſariae ſint, definiantur, inſimulque generales et ſpeciales, his vtendi, regulae tradantur.* In quatuor partes Noſter tractationem diuidit, inque prima iniectionum incommoda, in ſecunda effectus earundem, quos cum aliis remediis communes habent, in tertia vſum earum verum, inque quarta demum regulas, in adhibendis iniectionibus obſer-
p. 550. uandas, exhibet. Quod ad incommoda ſpectat, iniectiones 1) partes, quibus applicatae ſunt obruunt et aggrauant, 2) partes diſtendunt iisque ſe inſinuant et ſinus efficiunt, 3) per fluida aduentitia gluten illud naturale, quod a Natura, ceu materies elementaris partium ſolidarum deſtinatum eſt, ſubtrahunt, 4) vaſorum extremitates, denuo creſcentes, deſtruunt, corrugant easdem et indurant, inprimis ſi ſaepe repetitae ſint, 5) fauent introductioni aeris in partes, quibus applicantur, 6) iniectiones, cum fluidae ſint, incommoda etiam remediorum huius generis habent, alterantur, ſubito diſſipantur et ſuperficiebus tantum, quae actione earum indigent, adhaerent, 7) tandem rudis, vt quorundam mos eſt, partium externarum preſſio, vt iterum exeant, multis incommodis ſtipata eſt, cum vt contuſio conſiderari queat.

p. 555. Si caſus obueniant, vbi operationes, cultello peragendae, faſciae expellentes, inciſio in loco oppoſito, turundae atque iniectiones ſimul indicen-
p. 560. tur, hae illis ſemper poſtponendae ſunt. Sed nec vtilitate

vtilitate quoque carent iniectiones, cum interdum locis quibusdam auxilium adferant, quod alia praeſtare nunquam valent; imo illarum ope partes anodyna, emollientia, adſtringentia, balſamica, mundificantia, detergentia, cauſtica etc. accipiunt remedia. Sed quaeritur, vbi eae adhibendae veniant? p. 561.
In vulneribus externis quibuscunque, ſi recentia ſint, iniectiones vſurpari nequeunt, ſin vero multum tempus praeterlapſum ſit, nec ad cicatricem vulnera producta in ſinus et fiſtulas abire inceperint, iniectiones, aliis incaſſum adhibitis, valent inque omni caſu neceſſariae habentur, vbi absque harum ope alia ſubſidia nihil alias praeſtare poſſunt.

Si humores ſanguinei vel purulenti intra corpus p. 563.
offundantur, factaque inciſione exitus illis concilietur, multi quidem, ad detergendas partes deſtructas easdemque regenerandas atque rurſus vniendas, iniectiones ſuadent: ſed, cum ſolius naturae ope id perfici queat, iniectiones proinde non neceſſariae ſunt, imo potius intermitti debent. Interdum tamen in cauitate cranii ſi effundantur humores, iniectiones locum ibi inueniunt, vbi vero non, niſi aliis fruſtra tentatis et quidem ſumma cum cautione adhibendae ſunt.

Pari quoque ratione iniectiones in vulneribus p. 567.
thoracis inutiles cenſentur. Licet enim SCVLTETVS, ad compeſcendas haemorrhagias pulmonis, adſtringentes iniectiones ſuaſerit, eae tamen, cum opprimant pulmones et tuſſim excitent, neque tamen laeſum vas ad conſtrictionem diſponere valeant, inutiles prorſus, imo noxiae aeſtimantur. Sed nec ad diluendum quoque ſanguinem, in cauitate pectoris collectum et coagulatum, quid praeſtant, cum liquores iniecti partes iam vexatas et oppreſſas eo magis opprimant maleque afficiant et praeterea ſanguis ipſius naturae ope optime reſolui queat. Interdum tamen eodem, ſed non, niſi aliis

fruſtra vſurpatis, in abſceſſibus pectoris internis adhibendae ſunt atque quidem ſi in textu celluloſo pleurae haereant, non aeque, ſi eidem in pectoris cauitatem penetrent.

p. 574. Nihil iuuant iniectiones, ſi in abdominis cauitate pus effundatur, aut in hepate abſceſſus haereat, imo potius in vtroque caſu noxiae omnino euadunt.

p. 577. Aſt in morbis quibusdam viarum lacrymalium ſinuumque inprimis maxillarium, ad vlcera ibidem detergenda, porro in veſicae dilatatione aut conſtrictione, ad compeſcendos ſpaſmos et vlcera eiusdem

p. 579. detergenda, inprimis autem poſt lithotomiam, ad excludendos calculos minores, qui non niſi cum periculo extrahi alias poſſunt, tum in vrthrae, vteri eiusque vaginae morbis, tandem in ſuperficialibus recti inteſtini vlceribus iniectiones haud raro optimo cum ſucceſſu ſuſcipiuntur.

p. 583. His expoſitis octo demum ſubnectuntur regulae, quae in vſu iniectionum obſeruandae veniunt.

VIII.

ANTONII DE HAEN, Conſiliarii Aulici ac Medicinae Practicae in alma Vniuerſitate Vindobonenſi Profeſſoris Primarii, Ratio Medendi in Noſocomio Practico, quod in gratiam et emolumentum medicinae ſtudioſorum condidit MARIA THERESIA, Auguſtiſſima Romanorum Imperatrix, Hungariae, Bohemiae, etc. Regina. Editio altera. Vindobonae. Typis Joannis Thomae Trattner, Caeſ. Reg. Apoſt. Maieſt. aulae typographi et bibliopolae. MDCCLIX. 8 mai. pl. 8. Pars altera; editio altera. MDCCLX. 8 mai. pl. 12.

Ante

Ante hos tres quidem et quod excurrit, annos nempe ſub exitum anni 1756, prima iam indicati libri pars prodiit, quam tres aliae eiusdem formae eiusdemque argumenti ſecutae ſunt et quarum plures ſine dubio expectare poſſumus omnique etiam iure cupimus atque optamus. Interim caſu tantum et praeter omnem voluntatem accidit, vt iuſto ſerius lectoribus noſtris indicemus hoc opus, omni tamen attentione omnique commendatione digniſſimum. Quam enim olim, quum de b. MEADII *monitis et praeceptis medicis* exponeremus, obſeruationes medico-practicas colligendi methodum laudauimus, eam quoque ab Ill. DE HAEN receptam eſſe intelligimus. Quae enim in variis morbis, tum quoad remedia pharmaceutica aut chirurgica, tum quoad aegrorum diaetam atque regimen, prae aliis inuenerit proficua, vel quoque noxia, ſedulo, acute atque fideliter annotauit, iudiciis ſuis de morborum varia indole varioque decurſu interſperſis. Largiſſimam his conficiendis obſeruationibus materiem ipſi ſuppeditat muneris, quo fungitur, ratio, cuius quippe vi aegrorum in vaſtiſſimo noſocomio practico vndiquaque apportatorum curam ita debet gerere vereque habet, vt, comitante ipſum medicinae ſtudioſorum numeroſa caterua, coram aegrorum lectulis hos artis tirones et naturam morborum et optimam iis medendi methodum, publice doceat. En laude et imitatione digniſſimum inſtitutum, quod non doctos ſolum atque peritos medicos perficit; ſed totius artis noſtrae incrementum, quam maxime iuuat illamque omnino amplificare valet! Ab ipſo autem Cl. Auctore noſtro eo ſolidiora eoque vtiliora tradi poterunt, quo maiorem iam olim famam conſecutus fuit, quum ex ſchola Magni BOERHAAVII egreſſus, Hagae Comitum per viginti iam annos medicinam faceret. In veterum quoque non ſolum

 medico-

medicorum, ſed recentiorum quoque, ſcriptis verſatiſſimum eum eſſe, omnis eius comprobat doctrina. Ex ipſius nunc operis prioribus partibus quaedam delibabimus, de reliquis proxime ad lectores noſtros relaturi.

Prima pars nouem abſoluitur capitibus, quorum *primum de diaeta aegrorum* exponit. Ea *Noſtro* ſolet eſſe prorſus Hippocratica, ex farinaceis conquiſita; iure carnium tantum aſſuetis conceſſo, additisque
p. 6. tamen aceſcentibus correcto. Valde copioſum in primis et aſſiduum potum ex aqua hordei vel auenae cum melle tartarique, ſi aeſtus poſtulauerit, cremoris vel nitri paulo largiore copia, vehementer, nique fallimur, recte commendat, quo, acribus ventriculum onerantibus, dilutis ſolutisque, nauſea vomitusque ſaepius ab initio morbi praeſentes tollantur; ſitis extinguatur; acre potiſſimum illud, humoribus inhaerens neruosque vellicans, diluatur; omnes corporis ſecretiones adiuuentur; vlterior humorum corruptio praecaueatur; appetitus, primarum viarum ſordibus correctis, citius redeat; et quo tandem moleſtus iſte vomitus vel alui fluxus, morborum decurſui ſaepius ſuperueniens, praeuertatur. Si qua etiam accedat diarrhoea, ea, niſi quoque vere critica ſit, tamen, vel crudo adhuc exiſtente morbo, vt plurimum bona eſſe ſolet. Quum aegris in noſocomio, cui *Noſter* praeeſt, tam copioſus praebeatur potus, vt duas tresue menſuras, quarum quaelibet quatuor libras medicas capit, epotent per diem: fieri inde putat, vt petechiae ac miliaria in illo fere ignorentur.

p. 10. *Secundum* caput *de medicamentis in morbis acutis* agit. Emeticorum in his damnat *Noſter* vſum motusque potius, qui tum temporis ſolent violenti eſſe, moderari iubet; quin et nauſeas vomitusque, ex aliorum medicorum ſententia tale remedium indi-

indicantes, copioſo tantum decocti diluentis vſui ſaepius altero iam morbi die ceſſiſſe aſſeuerat. Ex p. 15.
vegetabilibus autem acida commendat, ſaponacea et aperientia, talium radicum decocta, additis melle, oxymeli, fructuumque acido-dulcium ſuccis inſpiſſatis vel inde paratis ſyrupis, et pro neceſſitate rerum circumſtantium ſalibus neutris. Laudabili hinc feruore in magniloquas ac vaniloquas formulas diſpenſatorii Viennenſis, cui plura alia quam ſimillima eſſe dolemus, inuehitur, multumque poſtea diſputat contra remediorum terreorum vſum, quippe quae, vel non mutent acidum ab eoue immutentur, vel, ſi qua eorum quoque mutata in tertium quoque neutrius generis abeant corpus, tamen noceant in acutis morbis, aperientem quidem vim quandam his vltimis ineſſe concedit *Noſter*, ſed hanc, quae demum ſit, non conuenire acutorum principio; quum cruda tum mouenda non ſint; neque tempori criſeos; quum materiem ad vrinae vias nimium vrgeant. Nitro ſe quidem vti ait, ſed blandiore modo agere hoc violentiore autem iſtud, perhibet. Eo tandem p. 20.
vtitur argumento, quod ne vnum quidem granum omnium iſtorum terreorum praeſcripſerit vmquam, vix pauci tamen ab acutis morbis integro biennio perierint. Purgantia propter cauſſas paulo ſupra iam allegatas aeque parum praeſcribit, ac vomitoria: enematum vero, ſi aluus modo clauſa, modo propter acrimoniam laxa nimis ſit, frequentiorem vſum eo grauioribus argumentis ſuadet. Interim tamen non raro dari ſine dubio concedet Ill. Auctor eius generis febres, quae tantum a ſaburra cruditatum, vel alius alienae materiae primis viis inhaerente originem ſuum ducant ideoque remediis leniter aluum ducentibus potiſſimum curari debeant, inteſtinales eam ob cauſſam a non nullis auctoribus appellatae.

p. 26. In *tertio* deinde capite *de aëre, decubitu, ſeſſione, aliisque circa aegros moderandis*, diſſerit. Ab initio contra peſſimum iſtum morem, quo conclauia nimis calida redduntur, pugnat caloremque moderatum et ad 60 vel 65 gradum thermometri Fahrenheitiani tantum concedit, aerem quoque omni modo corrigere et renouare annititur. Quam vehementer nociuus, ſi diu protrahatur, ſit defectus motus et inprimis decubitus, conſtat. Aegros itaque, vel acutis quoque morbis detentos, etſi debiliſſimi ſint, in lecto tamen quotidie erigere, vt per pauca certe horae momenta ſedeant, ſi vero vires id permittant, per 1, 2, 3 horas e lectis Noſter iubet
p. 32. eximere. Praeter alia hinc oriunda commoda hoc quoque eo refert, quod ne ſemel quidem per biennium viderit in noſocomio petechias, exceptis illis aegris, qui eo iam morbo capti, in illud introducti fuerint, et vnica tantum vice miliaria alii morbo, pulmonum quippe acuto, ſuperuenientia, eaque ex errore tantum commiſſo orta. Purpuram vero idiopathicam ter modo vidit. Ab initio aliorum clamore perterritus, tales ſimilibusque morbis putridis decumbentes aegros iacere ſiuit, deinde vero eos cum felici ſucceſſu e lectis eduxit.

p. 38. *Quartum* porro caput *de diebus criticis et criſibus variis* Cl. Auctoris ſententiam continet. Locorum quidem de criſium vario tempore in HIPPOCRATIS operibus reperiundorum ſummam quidem eſſe diſcrepantiam concedit, ab HIPPOCRATE autem ipſo illam prouenire negat, ſed, quum Graeci numeros exponant literis, ex incuria eorum, qui manu deſcripſerint veterum ſcriptorum opera, ſimiles errores, quam facillime irrepere potuiſſe monet. Quodſi quis vero clinicas eius obſeruationes in *Coacis* et *Prorrheticis* conſuluerit, recte iudicaſſe illum ſenem, quemlibet deprehenſurum eſſe putat, praeſertim, quod Aph. 2 - 24 omnium

maxime

maxime cum ipſius obſeruatis conueniat, quae *Noſter* etiam ſua per plures quam viginti annos confirmata ſemper fuiſſe tradit experientia.

Idem quoque in capite *quinto de vrinis* aſſerit, p. 53. praeſagia tamen inde petenda ſaepius eſſe incerta et obſcura, fatetur. Data hac occaſione, meminit experimentorum, quae cum vrinis ſanorum aeque ac aegrorum hominum ceperit, et acidis et alcalicis additis, vt exploraret, num Cl. PRINGLE doctrina de alcalinorum contra putredinem vi reſponderet experientiae? Omni autem examine euictum eſſe perhibet, acida longe diutius ab vrinis arcuiſſe putredinem, quam alcalia, excepto tantum ſpiritu cornu cerui; vrinasque longe citius contraxiſſe putredinem, ſi alcalica fuerint admixta, quam ſi tantum ſibi relictae fuerint.

In capite *ſexto* varia recenſet experimenta, quae p. 57. cum *ſanguine humano* fecerit, limitibus tamen noſtris, quae repetantur hic loci, nimis et ampla et numeroſa. Ea potiſſimum concernunt ſanguinem rubrum et *Ruyſchianam* ſic dictam *pſeudo-membranam* artis ope, tum conquaſſando, tum aqua et calida et frigida ſaepius affundenda, inde parandam; eius porro ſerum, cruſtam inflammatoriam atque colorem, varias denique mutationes a variis affuſis liquoribus ortas. De eius ſero quid *Noſter* obſer- p. 70. uarit, notamus experimenta cum eo et cum albumine oui capta, vehementer inter ſe diuerſa oſtendiſſe phaenomena. Illud enim aquae feruidae admiſtum, ab hac in nullum abiit coagulum, ſed lacteum ſaltem ipſi conciliauit colorem; ita quoque permanſit lacteus hic liquor, licet frigefactus, ad ebullitionem iterum redactus fuiſſet. Ex omnibus autem illis experimentis apparet, quam neceſſe ſit, vt plura in poſterum de ſanguine capianrur tentamina, quum ea, quae de eius natura iam habere credimus comperta, valde adhuc dubia et obſcura ſint.

p. 84. *Septimum* caput *quaedam* exhibet *anatomica.* Quod ab aliis iam obſeruatum fuit, illud a *Noſtro* etiam annotatum deprehendimus, ſe nimirum in paraphrenitide et pleuritide corporum defunctorum pulmones ad membranam, quae coſtas, diaphragma et pericordium ambit, flaua, craſſa, atque tenaci materie, ipſi ſanguini phlogiſtico ſimillima, afflictos reperiiſſe. In cadauere feminae, quae diu iam laborauerat phthiſi et ſputa flaua, ſubuiridia, craſſa, aquae ſalſae fundum illico petentia, maxima in copia ſputauerat, pulmones tamen non conſumti, nec collabentes, ſed veluti fungoſi, neque puris guttula vel vomicae veſtigium in iis, inueniebantur. Simili modo in cadauere viri hydrope et phthiſi extincti, ne minimum quidem puris aut vomicae in ipſis pulmonibus, ſed aliquid tantum puris in trachaea p. 96. reperiundi, cernere licuit. Lumborum, crurum atque coxarum inflammationes ſaepius a medicis negligi et arthritidem potius vel lumbaginem rheumaticam ſubeſſe, falſo ab iis credi *Noſter* ex cadaueribus intellexit, vertebras lumborum et oſſa femoris ab acri pure corrupta et exeſa interdum deprehendens. Puella quadriennis in lapidem cadens, perpetua deinde cephalaea laborabat; poſt ſeptem vero annos a vermibus enecabatur. En cephalaeae cauſſa! Sinum falciformem et quae in illum ex encephalo reuehunt ſanguinem, vaſa occupabat polypus. Inteſtinum vero ilium duas offerebat ſui ſuſceptiones, quarum vna ſemidigitum longa, ita ſe habebat, vt ſuperior eius pars ſuſciperetur ab inferiore et tumidior et inaequaliter dura eſſet, a quinque lumbricis teretibus cincta et contorta. Plures alias annotationes in cadaueribus factas hic loci reperies.

In capite *octauo de vi electrica* exponit *Noſter* pluribusque enarratis caſibus inſignem eius virtutem in paralyſi, chorea S. Viti, artuum tremore

aliisque

aliisque morbis comprobat. In tranſitu quaerit, p. 101.
cur paralyſis vel chorea S. Viti, niſi omnes artus affecerint, ſiniſtram frequentius, quam dextram corporis partem occupent? Idem quoque a nobis obſeruatum eſſe meminimus, nos tamen aeque ignorare cauſam, fatemur.

Vltimum denique ſiue nonum *de variis* inſcribi- p. 111.
tur caput. Nonnulla nimirum commemorat Cl. Auctor, quae vlterius examinata magisque per experientiam comprobata ab ipſo expectare poſſumus; v. c. de viribus aquae calcis contra calculum, mercurii ſublimati contra luem veneream eiusque diriſſima ſymptomata e. ſ. p. Fumi tabaci in ileo et hernia incarcerata laudes praedicat ideoque inſtrumentum, communis ad clyſma ſiphonis formam exhibens valde commendat. Diſſertationem de colica pictonum ante hos duodecim iam annos editam, inſigniter nunc auctam promittit et mutatam. Id ſaltem in praeſenti praefatur, olei pinguiumque vſum aduerſus hunc morbum poenitendum eſſe numquam, quin et in multi panis eſu cum oleis et pinguibus optimam inuenire putat prophylaxin illos artifices, qui metallis praeparandis victum quaeritent.

Nunc ad *alteram* huius operis *partem* properemus. Tredecim illa continet capita, quorum *primum methodi Hippocraticae, Sydenhamianae ac Boer-* p. 1.
haauianae praeſtantiam extollit. Breuibus tantum innuit, illam primo iam tomo morbis acutis medendi methodum, ad HIPPOCRATIS, SYDENHAMI atque BOERHAAVII, monita et praecepta praeſcriptam, per conſtantem laetamque in dies in noſocomio confirmari experientiam. De emeticis ſupra iam diſputatum fuit; hic vero loci repetit, ea tantum aeque ac purgantia iſtis in caſibus modo reperire locum, vbi putrida bilis, ſuis ſignis con-

ſpicua,

ſpicua, vt prima et vnica morbi cauſſa, febrim excitet, cuius tamen reliqui tumultus, datis paulo poſt euacuantia paregoricis, compeſcendi ſint. Plures tamen dari exiſtimat febres acutas et putridas, in quibus vomitus aluique deiectiones ab irritatis tantum proueniant neruis, quare in iis, ſi valida febris cum magno pulſu adſit, venaeſectione, tumque oleo lini cum tantillo opii, enematibus oleoſis, largo decoctorum emollientium, vti et cataplaſmatum talium fotuumque imo ventri applicatorum vſu, nihil ſit praeſtantius, quum omnibus iſtis remediis tumultus ab irritatis neruis oriundi optime tolli ſoleant.

p. 7. *Secundum* caput Cl. Auctoris *de generatione puris* cogitata exhibet. Praeparationem puris praegreſſam ſequi debere inflammationem, ex medicorum ſcholis conſtat. Interim accidit non numquam, vt pus exſcreent aegri aut alia via ex corpore eiiciant, in hoc tamen nullo, quo reconditum fuiſſet, reperiundo receptaculo. Similem iam ſupra ex primae partis capite ſeptimo enarrauimus hiſtoriam; aliasue eiusdem fere indolis hoc in capite legere licet: ex variolarum quoque hiſtoria conſtat, iſtas interdum excipere abſceſſus absque praegreſſis inflammationis ſignis, ſolo tantum tumore molli conſpicuos. Hinc
p. 14. quaeritur, vndenam illud pus? Ab ipſo ſanguine, ex mente Cl Auctoris, immediate ſecernitur; prout aliam ſimilemque in ipſo deprehendamus diſpoſitionem ad generandam iſtam materiam phlogiſticam eamque per varias vias excernendam, ſine aliquo ſacco intermedio, in quo moram contrahere poſſet.

p. 19. Multiplices autem gignendae huius in ſanguine materiei cauſſas, in primis tamen earum ſeptem, *Noſter* enumerat: frigus nimirum calenti corpori admiſſum: rarefactionem ſanguinis in homine plethorico, per nimium corporis motum, aut vehementem iram, aut pergraecationem, effectam:

acrimo-

acrimoniam veneream, arthriticam, rheumaticam in aliquo loco iam quidem depoſitam, varioloſam porro, morbilloſam, ſcarlatinam, e. ſ. p. vtramque, nunc intra ſanguinem ſuſceptam; victum lautum in otioſis, quin et nimis tenuem in aliis, qui infimae ſortis ſint, hominibus: grauiditatis ſtatum: tandemque diatheſin quandam naturalem viſam. Alia vero nunc oritur quaeſtio, quanam arcana p. 21.
lege recenſitae iſtae cauſſae materiem hanc ipſam valeant producere? Nonne plurimis in caſibus, ſolida arctari, denſari fluida ſicque de reliquis cruoris elementis materies haec exprimi videtur? Aliquid tamen adhuc incognitum et obſcurum saepius inſimul admitti debere, negandum haud erit. Illud variolarum genus, quod interdum obſeruatur absque febre praegreſſa, vti et grauidarum ſtatum earumque in primis, quae antea numquam expertae fuerint fluxum menſtruum, comprobare illud videntur.

Hancce porro ſuam Cl. Auctor illuſtrat ſententiam p. 26.
per obſeruata in vulnere ibique praeparando pure obuia; licet hanc doctrinam ipſi contrariam eſſe primo intuitu quis forte putet: expendas autem, vulnere inflicto, ſanguine nunc exſilire ceſſante, lympham tantum tenuem, minime phlogiſticam, transſudare; tribus vero quatuorue diebus elapſis, accedente febre, labia vulneris mutari, nuncque, imminuta febre, pus exire, quo ablato, alba propullulare corpuſcula, ſeu eminentia potius vaſculorum extrema, quibus vnitis, cicatricem fieri. Applices haec ad morbum inflammatorium internum, quo ſanguis diatheſin contraxit phlogiſticam, v. c. peripneumoniam. In huius principio et augmento tenuia, aquoſa, glutine leui ſtriisque ſanguineis mixta prodeunt ſputa: tertio autem quartoue die ſtriae iſtae ceſſant ſputaque exeunt cocta, puri ſimilia, flaua, deinde ſubalbida et morbum ita iudicant. Aliud

inſuper datur phaenomenon in vtroque illo caſu, noſtrum argumentum illuſtrans. Quodſi enim vulnus, quo tempore pus in illo generari inceperit, frequenter nimis deligaueris, pus bonum, quod laeſae partis adiuuet conſolidationem, haud amplius inuenies; aliqua igitur concedenda eſt quies, quo lympha ex arteriolarum oſculis emanans, emolliat extrema vaſa indeque reſiſtentiam eo natam in vulnere auferat, illamque ipſam materiem phlogiſticam fundat, quippe quae deinde, cum illa lympha permiſta, bonum pus exhibet. In peripneumonia ſaepius violenta tuſſis concutit nimis pulmones coctionemque materiei inflammatoriae impedit. En vero! aut natura, aut arte, conciliato blando ſomno, ſputa et colore et conſiſtentia mutantur coctaque exſcreantur.

p. 35. Eſt eadem quoque ſanguinis diſpoſitio, de qua huc vſque diſſeruimus, illa, qua non in acutis ſolum, ſed chronicis quoque morbis, ſub vitae terminum viſceribus circumnata deprehenditur cruſta tenax, flaua. Ex eadem porro ad diatheſin inflammatoriam ſanguinis diſpoſitione intelligitur, cur in abſceſſibus tanta puris copia interdum effundatur,
p. 36. vt aegri tandem ex defectu virium pereant. Aliis quoque in natura rebus inhaerere vim, ſanguini hancce conciliandi diatheſin, exemplo belladonnae, vel atropae LINNAEO dictae, comprobare *Noſter* annititur, quippe cuius contra cancrum adhibitae vſu tam inſignis copia puris prolecta fuerit, vt inde duae feminae pene extinguerentur. In tranſitu de hac herba repetamus, quod ichoris loco pus quidem bonum viſum effecerit, ipſum tamen cancrum haud percurauerit. Ex ea denique, quam adumbrauit Cl. Auctor, theoria intelligi arbitratur, cur parua vulnera, ſine febre inflammatoria et absque impoſitis maturantibus, bonum et copioſum pus interdum praebeant? Cur febres topicae

dicendae,

dicendae, nonnumquam obueniant? Cur in angina pectoriſque inflammatione vti et in vulneribus, altera iam die interdum pus appareat?

In capite *tertio de variolis*, ſuam iis medendi p. 39. methodum proponit Cl. Auctor. Super inoculatione variolarum, cui non fauet, ante aliquod tempus quaeſtiones edidit, proxime a nobis indicandas; iam vero de naturalium habenda cura ſuas tradit obſeruationes. In genere methodum contra illas commendat antiphlogiſticam, exulantibus emeticis; balneorum porro emollientium vſum, bis de die per ſemihoram ad genua vsque extra lectum adhibendorum, pedibusque tum probe abſterſis applicata epiſpaſtica; inſuper altera iam a bene prodeuntibus variolis quauis duodecima hora, vel ſi puſtularum genus fuerit malignum, quoque crebrius, paregoricum; enemata dein emollientia quotidie ad finem vsque morbi immiſſa. Oculos aqua cum lacte, vel lacte cum decocto ſeminis ſumach, totamque faciem cum aqua lacte permiſta fouere iubet. Venaeſectionem, ab initio non tantum, ſi febris eam poſtulauerit, ſed vrgente hac, quouis variolarum ſtadio, peripneumonia, pleuritide accedentibus, permittit, quin et ſub finem morbi, omnibus ſiccatis puſtulis, vt ſanguis ab illa materie liberetur, quae ſepius oculos afficiat furunculosque excitet. Variolas pure turgidas iamque ſiccas ad diem decimum, 11. 12. tenero forfice praeſcindere, ſique opus fuerit, variolis denuo purulenta materie turgentibus, ſaepius hoc modo aperiri, ſpongiisque cum aqua tepida et lacte abſtergi et foueri, et ſub finem morbi tandem purgantia antiphlogiſtica frequenter dari iubet. Puſtularum vero reiteratam perſciſſionem ideo potiſſimum ſuadet, quod non conſeruandae ſolum venuſtati quam maxime eam inſeruire, ſed puri, quo minus in panniculo adipoſo coacer-

coaceruetur nouasque ludat tragoedias, exitum dare, conſtanti longoque vſu habeat compertum.

p. 53. In capite *quarto de herniis* tres huius morbi hiſtorias recenſet, quae tamen repetantur a nobis, nimis amplas. Id ſaltem inde patere narramus, herniotomiam, quam vtilis ſaepiusque neceſſaria ſit, magna tamen cum circumſpectione adhibendam eſſe, quum in hiſce morbis externis aeque ac internis ſumma mirabilisque ſaepius obueniat rerum circumſtantium diuerſitas.

p. 60. *Nonnulla de tympanite et ileo morbo* profert Cl. Auctor in capite *quinto*. Variis iisque, vti conſtat, quam maxime inter ſe diuerſis et veterum et recentiorum de hoc morbo iudiciis ab initio allatis, memoratu dignum adducit caſum, ex quo deinde, quam
p. 65. ipſe foueat, ſententiam colligit. In cadauere enim hominis a triennio tympanitici, intra tres annos ileo ter affecti vltima vice eo extincti, firma ac ſi ab arcte circumducto filo effecta eſſet, inteſtini coli coarctatio ad ſeptem circiter pollicum diſtantiam a principio recti deprehendebatur, ad quam tota excrementorum moles coaceruata erat, colo ſub conſtrictione viſo gracili rectoque non expanſo. Reliqua coli pars ad coecum vsque, vti et ipſa tenuia inteſtina omnia cum ventriculo, quam maxime erant diſtenta, adeo vt ipſius thoracis conformatio inde vehementer mutata eſſet, compreſſis inde pulmonibus et corde paruo reddito. Itaque ex inflammatione, quam in deſcripta coli regione ante tres annos paſſus fuerat aeger, conſtrictio iſta remanſerat; aluo autem tum temporis diu et pertinaciter clauſa, inteſtina ita expanſa fuerant, vt tympanitem efficerent eamque, licet primo morbo ſoluto viſo, elaſticitate tamen omiſſa, ſeruarent, aliqua tantum excrementi via per anguſtatum canalem permiſſa. Permanens antem ilei cauſſa proegumena morbum de nouo facile gignere potuerat,

potuerat, qui tandem aucta tympanite et gangraena finitus fuerat. Tympanitem igitur, vti plurimis aliis in caſibus, ſic et in noſtro, in canali inteſtinorum ab aere nimis expanſo conſiſtere, patet; duplicem tamen, eamque ſolutu difficillimam, ſupereſſe quaeſtionem, fatetur *Noſter*, nimirum vnam: an valuula Tulpiana ſeu Bauhiniana ita mutari poſſit, vt excrementis iter fiat ex craſſis in tenuia inteſtina? alteram: qui fieri queat, vt obice illo, cuius reſiſtentia tanta ſit, vt vel in denatis, nec aquam, neque flatum transmittat, inſuperabili viſo, enemata tamen tranſiiſſe obſeruata fuerint? Poſtquam, quae contra BIANCHI, MANGETI, HAGVENOTII et HALESII, virorum hoc phaenomenon explicaturorum opiniones diſputari poſſunt, protulit, HAGVENOTI ſententiam interdum habere poſſe locum concedit, quod nimirum colon atque coecum adeo amplificari queat, vt apertura ampliorem nanciſcatur circumferentiam, quam vt valuula, alias eam quam arctiſſime claudens, nunc eam vltra explere poſſet. In noſtro quippe caſu ne tertiam quidem aperturae partem valuula tegere poſſe viſa fuit; adeo aucta fuerat coli atque coeci diameter. Interim tamen non omnes faeces, quas forte aegri euomuerint, ex inteſtinis craſſis prouenire debuiſſe, ex pluribus cadauerum ſectionibus demonſtrat, quibus conſtitit, ſtercus aluinum, quoad conſiſtentiam, colorem atque foetorem, verum ad diſtantiam trium pedum et octo pollicum ab ipſa valuula in ileo inteſtino iam reperiri poſſe. Alteram nunc porro quaeſtionem, quomodo nimirum enemata, ano immiſſa, ore reddantur, ita ſoluit, vt, ſi talia accidant ſymptomata, per incipientem gangraenoſam inteſtini diatheſin, conſtrictionem laxari totumque inteſtinorum canalem ab aëre rarefacto extendi adeo debere exiſtimet, vt valuula nunc illi claudendae aperturae non ſufficiat. Interim, quum via

p. 68.

p. 77.

nunc patula fiat et omnia tamen non deorſum, ſed ſurſum expellantur, manifeſtum eſſe contra HAGVENOTVM aſſerit, non ſolum diaphragmatis muſculorumque abdominalium, ſed inteſtinorum potius periſtalticum motum vere inuerſum, in gangraena demum incipiente ſuperſtitem, omnia
p. 79. eiicere per ſuperiora. Omnem denique vomitum ſtercoreum mortem inferre negat, experientia non ſolum confirmatus, ſed illis quoque rationibus adductus, quod ſtercus interdum, vti iam dictum fuit, ex inteſtinis tenuibus proueniat et quod incipiens, quoque gangraena a vi vitae ſuperſtite ſiſti et ſuperari queat.

p. 81. *De nonnullis infortuniis noſtris ſextum* caput inſcribitur. Varias in eo Cl. Auctor enarrat morborum hiſtorias, quorum exitus infauſtus fuit, luculento teſtimonio, quantae fidei et quam inſignis ille ſit candoris; id, quod a quolibet viro bono expectamus. Alii tamen recenſentur quoque caſus inexpectati quidem, attamen felicis, euentus, ad quem corticis potiſſimum peruuiani rectus vſus plurimum contulit. Longiores tamen hic loci eſſe,
p. 90. limites noſtri vetant. Illud tantum, vix frequenter nimirum obueniens, monemus, non variolarum ſolum febrim, ſed pleuriticam quoque, ex intermittentium genere eſſe earumque typum obſeruare
p. 95 poſſe, nonnunquam obſeruaſſe *Noſtrum.* Nec ipſi a vero alienum eſſe videtur, inter cutaneos morbos acutos quandam dari affinitatem, vt origine et natura vix multum, ſed vario ſaepius, quo cutem afficiant, modo inter ſe differunt.

p. 101. *De polypo* agens in capite *ſeptimo*, duplex eius eſſe genus ait, alterum, quod in homine iam dudum adfuiſſe ex ipſius ſignis pateat, alterum, quod ſub ipſo demum articulo mortis generari videatur: Materiem ipſi procul dubio ſuppeditare ſpiſſum iſtud, ſanguini inhaerens principium, de quo ſupra

iam

iam dictum fuit in capite ſecundo: Modum vero, quo gignatur, inde poſſe intelligi, quod ſanguis e vena miſſus ſponte iam in cruorem abeat, vel, ſi conquaſſetur, fictitiam membranam, *Ruyſchianam* dictam, polypo ſimilem, repraeſentat: a ſubito itaque terrore vel aliis cauſſis, v. c. lipothymia, aliquam humorum circuitui quietem conciliante, vel in corde tremulo ipſos conquaſſante, ipſum ſanguinem in hac quietis ſpecie vel conquaſſatione ſolideſcere, praeſertim ſi naturalis aliqua diatheſis ad ipſius ſpiſſitudinem vel denſitatem phlogiſticam iam adſit. Datur inſuper aliud polypi genus. Homo p. 106. pleuriticus non ſputa, ſed materiem albam, denſam, oblongam, ramoſam, arteriae figuram referentem, eiicit. In ipſius deinde, ſexto morbi die mortui, pulmone ſiniſtro inueniuntur aſperae arteriae ramuli tali materie pleni. Similis materies cum ſanguine in arteriis pulmonalibus haerere, vti et tranſſudando cruſtam flauam ſupra pulmones efformaſſe viſa eſt.

In *octauo* capite *de ſingulari modo reſpirationis et* p. 108. *motus cordis agens Noſter*, memoratu omnino digniſſimam enarrat hiſtoriam hominis 43 annorum, cuius, praeter alia miranda in ipſius cadauere obuia, viſcera in thoracis cauitate contenta omnia tam arcte inter ſe nexa et concreta fuerant, vt explicari non poſſet, quo modo non is ſolum absque difficultate ſpiritum ducere, ſed vitam quoque ſatis longam agere potuerit *.

 In

* Illud tantum a nobis addi velimus, ſimilem vereque ſtupendum caſum ante hos tres annos vidiſſe nosmet ipſos, in quo non thoracis tantum, ſed abdominis quoque viſcera adeo inter ſe adunata et quaſi concreta apparebant, vt vnum modo corpus iſta referrent cuncta. Attamen ille homo gibboſus erat, per plures annos hypochondriacus atque aſthmaticus, apoplexia tandem ſublatus.

p. 123. In capite *nono quaedam de pulmone innatante aut ſubſidente in aqua* proponuntur. Obſtructiones nimirum, mucum copioſum atque ſcirrhos in pulmonibus interdum reperiundos, horum portiones, quin et integros lobos, grauiores reddere poſſe, etiam ſua *Noſter* confirmat experientia, ita vt vicinae partes leuiores de caetero ſimul in aqua ſubſidere igiturque, notum illud experimentum, chirurgus niſi fuerit cautus atque attentus, fallax reddere queant. Aliud porro ſubiungit monitum, quod infans nimirum naſcens in ipſo partu aerem inſpirare, ante tamen, quam edatur vere in lucem, mori ideoque iudicia ea de re lata fallere iudicem poſſint. Pace tamen Cl. Auctoris moneamus, tales partus vt plurimum eſſe difficillimos absque manu auxiliatrice vix expectandos: feminas autem infanticidii accuſatas, clandeſtinum ideoque ſaepiſſime felicem partum edere, hincque a vero alienum eſſe, iam dictum caſum tum temporis locum obtinuiſſe.

p. 126. Diſſertationem *de ſupputando calore corporis humani* caput *decimum* exhibet. Primo celeberrimos viros, dum ſani vel aegroti hominis calorem determinare voluerint, cum commiſiſſe monet *Noſter* errores, quod tempus quamdiu thermometra applicuerint corporibus, non ſatis obſeruarint. Ex ſua igitur eaque conſtanti aſſerit experientia, ſi per octauam horae partem ſub axilla ſani hominis tenuerit thermometrum, hoc caloris gradum *95, 96*, ſi per quadrantem horae, gradum *97 - 99*, ſi per dimidiam horam, gradum 100, 101, ſi per integram horam, 101, 102 gradum denotaſſe; caloris gradu vltra non aucto, ſi per longius quoque tempus thermometrum fuerit applicatum: ſimilem porro calculum obſeruari ſemper in aegrotis: in febrili nimirum admodum modico calore, eadem iam dicta temporis ratione obſeruata, ad gradum 100, 102, 103, 104, aliis vicibus in febre continua

poſt

poſt mediam horam ad gradum 103 vel quoque 106, poſt integram horam 105 vel quoque 109, aſcendere thermometrum. Hanc diſceptationem finitam alia ſequitur. Veritati nempe conſentaneum p. 133.
haud eſſe, quod homo viuere nequeat in atmoſphaera, cuius calorem ſuperet ille humanus. Praeter obſeruationes enim ſub aequatore factas, ſuas quoque contrariari dicit illi opinioni, quum calorem externum humano interdum maiorem fuiſſe, optimorum thermometrum ope vere annotauerit. Illam porro phyſicorum ſententiam, quod calor p. 136.
oriatur tantum ab attritu, non vniuerſalem eſſe, neque conſtanti comprobari experientia, *Noſter* perhibet hominisque exemplo probat, qui febre hemitritaea laborans tam inſigne frigus perceperit, vt illi ferendo vix ac ne vix quidem par eſſet, in quo tamen thermometrum 104 graduum calorem denotauerit, qui talis etiam in ardente ſubſecuto calore permanſerit absque vllo augmento. Pulſus etiam frigoris aeque ac caloris tempore idem fuit, qualis in eius generis aegrotis alias obſeruari ſolet. Aeger porro, cuius iam ſupra in ſecundo capite mentio facta fuit, frigus per integras 24 horas ante mortem paſſus fuerat ſummum, marmoreum dicendum, nullo arteriarum motu detegendo: nihilo tamen minus thermometrum, per pauca tantum minuta axillis admotum, 97 graduum calorem oſtenderat. Iſti quoque theoriae, quod ab obſtructis arteriis capillaribus, cordis vi reſiſtentibus, febris, attritus atque calor, oriantur, recte *Noſter* opponit febrem a laeſa parte neruoſa minore ſatis validam ortam, et e contrario aegros, inſigni viſcerum obſtructione laborantes, et a naturali calore iuſto ſaepius remotiores. Quanam autem in re vera eius cauſſa quaeri et inueniri queat, ſe ignorare candide fateri mauult, quam, efficta hypotheſi, in errorem delabi.

p. 148. In capite *vndecimo de vario tumorum genere* non ad inflammatorios, ſed lente creſcentes reſpicit et aliquot aegrorum iis afflictorum enarrat hiſtorias. Vnici modo ex illis generis nobis adhuc incogniti ipſis fere Auctoris verbis iam meminiſſe fas erit.
p. 155. Haud ita pridem enim tribus in hominibus vidit *Noſter* tumorem ad aurem incipientem, ſub proceſſu zygomatico prodeuntem, ad alterum tertiumue dentem molarem peruenientem, ad mediam imo et ad infimam maxillae inferioris partem deſcendentem, in ore examinatum ligneae duritiei vbique aequalis, membrana veſtitum, colore rubrum, a maxillis liberum, excepta ſuperiore ſui parte, et palmae manus magnitudine. In quadam femina totam occupauit parotidis ſedem; in alio aegro zygomaticus proceſſus extrorſum trudi viſus eſt. Nullis, neque valentiſſimis huc vſque remediis ceſſit; ſique forte aliqua in parte mollior viſus, inciſus fuerit, ſanguinem merum, lympham, dedit.

p. 159. In capite *duodecimo de mira variorum medicamentorum efficacia*, vuam vrſinam ab initio ſiue vuam vrſi TOVRNEFORTII, vel arbutum LINNAEI caulibus procumbentibus, contra renum et veſicae morbos *Noſter* commendat, ſiue calculus praeſens deprehendatur, ſiue ſui ſaltem ſuſpicionem excitet, ita vt vel tormenta morbi mitiget, vel omnia ſymptomata auferat hoc remedium. Satis amplam huius herbae praemittit deſcriptionem a Cl. MISLEI ipſi ſuppeditatam, qua potiſſimum a vite idea, cui apparet ſimillima, ita diſtinguitur, vt vuae vrſi florem ſtamina decem, vitis ideae tantum octo, illius baccas quinque ſemina, huius ſaepe viginti, habere annotet. Plantae eius in puluerem redactae drachmam dimidiam quouis mane aegro porrigit eiusque vſum per plures menſes continuat, donec ſymptomata, niſi prorſus ablata, certe mitigata fuerint. Allatae ſimul aegrorum hiſtoriae felicem euentum

euentum comprobant. Saponem quoque venetum cum aqua calcis, ad exemplum Cl. WHYTT, in calculoſis adhibuit *Noſter* cum fructu. Laudat tandem egregium mercurii ſublimati cum frumenti ſpiritu dati vſum contra luem veneream aliosque multos morbos chronicos eosque valde rebelles.

Decimum tertium denique caput *de machina electrica* finit hanc operis partem, in quo Ill. Auctor, quae de electricitatis viribus contra paralyticos in primis morbos continuato vſu habuit comperta, pro more ſuo candide atque fideliter communicat, ex quibus apparet, non omnes quidem aegros, tales quippe, in quibus laeſae partes adeo concretae fuerint, vt humorum circuitus per eas reſtitui non potuerit, adiuuiſſe hoc auxilium, permultos tamen alios aegros vel perfectam inde recepiſſe curationem, vel inſignem certe malorum, quibus afflicti fuerant, mitigationem; ipſumque hoc remedium tale eſſe, quod in multis morbis plura praeſtet, quam alia huc vsque auxilia praeſtiterint. p. 178.

IX.

Vermehrtes und verbeſſertes Blackwelliſches Kräuterbuch, das iſt, ELISABETH BLACKWELL *Sammlung der Gewächſe, die zum Arzney-Gebrauch in den Apothecken aufbehalten werden, deren Beſchreibung und Kräften aus dem Engliſchen überſetzt angezeiget, die Abbildung groſſen Theils nach der Natur verbeſſert, mit Beyfügung der Theile, der Blume und Frucht, wie auch des äuſerlichen Anſehens eigenen Kennzeichen vermehret und alle Arten mit bewährten Nahmen der Kräuter-Lehrer erläu-*

erläutert werden. Drittes Hundert. Mit einer Vorrede Tit. Pl. *Herrn* D. CHRISTOPH IACOB TREWS. *Verlegt, gemahlt und in Kupfer geſtochen von Nicolaus Friedrich Eiſenberger. Nürnberg,* 1757. fol. Text. pl. 23. praef. pl. 1. *Viertes Hundert mit einer Vorrede* Tit. Pl. *Herrn* D. CHRISTOPH IACOB TREWS. *Nürnberg,* 1760. fol. Text. Alph. 1. praef. pl. 1.

h. e.

Herbarium Blackwellianum emendatum et auctum, id eſt, ELISABETHAE BLACKWELL collectio ſtirpium, quae in pharmacopoliis ad medicum vſum aſſeruantur, quarum deſcriptio et vires ex anglico idiomate in latinum conuerſae ſiſtuntur, figurae maximam partem ad naturale exemplar emendantur, floris fructusque partium repraeſentatione augentur, habitus externi notae propriae adduntur et omnes ſpecies probatis botanicorum nominibus illuſtrantur. Centuria III et IVta. Cum praefatione D. CHRISTOPH. IACOBI TREW. Excudit, figuras pinxit atque in aes incidit *Nicol. Frid. Eiſenbergerus.*

Multae et frequentes de hoc opere motae aeque ſunt ac mouentur querelae, non quod iconum, naturae vtique reſpondentium, indolem et explicationis additae ſingularem attinet integritatem, ſed quod moram editionis concernit. Quum enim anno huius ſeculi quinquageſimo prima prodi-

prodiret centuria *, ſecunda autem quarto demum anno poſt **, et nunc ſeptimo eiusdem ſeculi anno tertia ſubſequeretur, quarta autem hoc ſexageſimo prelum relinqueret, fieri vtique non poterat, quin vani iniqui rerum iudices male ferrent retardatam per longum temporis ſpatium editionem. Neminem autem eſſe confidimus, aegre hanc moram laturum, niſi qui nolit, quaenam in eiusmodi opere conficiendo atque perficiendo requiratur cura atque ſtudium, intelligere. Haec autem in centuriae ſecundae recenſione momenta ſupra iam adduximus, vberius; in quibus acquieſcere poſſint, idonea veritatem aeſtimantes ratione, illa expoſuit tertiae centuriae addita in praefatione Ill. TREWIVS, cuius eadem adhuc ſunt in continuatum opus ac in inceptum merita. Eius enim ſollicitudine nouae plantarum icones vel floris fructusque meliores delineationes adiectae fuerunt, quod ex tertia centuria inter alia, Abietis, Tuſſilaginis, Petaſitidis, Sedi minimi, Geniſtae, Ariſtolochiae, Staphiſagriae exempla doceant, noua plane acceſſit figura Dracontii ſeu Ari ſic dicti polyphylli, ſubtiliorumque partium, in flore latentium. Permultae hic ex plantis epiphylloſpermis proponuntur, aliquae ex vmbellatis, plures Ribeſii ſpecies; inter Menthae etiam ſpecies illa, quam piperatam vocant, delineatam et auctam iconibus inuenimus.

In quarta porro centuria, quum ſimillima ſint omnia, nec eiusmodi deficiunt exempla, ex quibus comprobare poſſemus iis, qui hanc editionem posſident, ob retardatam in lucem emiſſionem, multum accreuiſſe vtilitatis, in primis, ſi certiſſimum eſt, in perfectiori reddito ſtudio botanico talibus opus eſſe diſtinctionis notis, quae vnam ab omnibus reliquis cognitis diſcernant plantam. Hic itaque

 denuo,

* vid. Comment. noſtr. Vol. II. P. I. p. 73.
** Ibid. Vol. VI. P. I. p. 146.

denuo, vix non omnibus, quibus potiri poterat Ill. TREWIVS, plantis adiicere curauit florum fructuumque partes, vt ex permultis in Anonide, Alcea, Stramonio, Salice, Caſtanea, Coffea, Goſſypio, aliisque videre eſt. Praeter filicinas, muſci varii occurrunt, et exoticorum aromatum icones, nec non corallia, rubrum et album; ſingulari etiam delineatione agni ſcythici fabula exponitur. Haec ad icones pertinent, poſſemus aeque multa ex deſcriptionibus plantarum exempla repetere, quo euincamus, botanicis atque rei herbariae amicis hoc opus gratum atque vtile redditum fuiſſe, ſubſiſtamus autem nunc in corallii deſcriptione, cuius non ſolum ex MARSILLIO Tab. 341. b. delineationes repetitas videmus, ſed etiam in textu omnem eius hiſtoriam et diuerſas auctorum ſententias explanatas. Alii nempe ad regnum vegetabile eadem pertinere credunt, alii autem ob ſingulares ibidem repertos vermes vel polypos animalculorum habitacula adſumunt; de agno ſcythico recte notatur, antiquorum deſcriptiones fabulam eſſe, delineatio autem, hic exhibita, ad exemplar aliquod facta eſt, ſocietati regiae Londinenſi transmiſſum. Vno verbo, diſtinctiones notarum, in plantis vbique, vtiliter ſi fieri potuit, cum aliorum obſeruatis comparatae ſiſtuntur.

Recedere tamen hic nolumus, quin tandem moneamus, delineationes quintae ſeu vltimae centuriae Blackwellianae omnes iam paratas et euulgatas eſſe, aliqua tantum de textu deficere propediem addenda. Neque a ſuo receſſit Ill. TREWIVS promiſſo, ſed eodem adhuc ſtare decreuit, quod in primae centuriae praefatione dederat, addendae ſcilicet appendicis, ſeu ſupplementi, in quo non ſolum omnes, in officinis pharmaceuticis vſitatae plantae occurrant, quarum mentionem non fecerat BLACKWELLIA, vt ea propter completum aliquod

planta-

plantarum officinalium opus exſiſtat, ſed eae addantur etiam, quarum ſpecies aliae in vſum receptae fuerunt, ac iam notatae. Has lunulae nota ☽ diſtinguet, et omnes ad naturae exemplar proponentur, quae vero ex aliorum iconibus, depromentur, aſteriſcus * deſignabit. Porro adducentur aliquae, quae ſingulari inſeruiunt et oeconomico quoque vſui. Tandem autem plantarum venenatarum nonnullarum imagines ſiſtentur, quippe quarum cognitione medicus egere non poteſt, et ob multiplices alias rationes bene diſtinguendae veniunt. Sunt enim ex his, noxia qualitate et virtute imbutis plantis aliquae, quae cauta applicatio interno etiam vſui idoneas reddidit, fauſto cum ſucceſſu, vt certis oppoſitae morbis iisdem feliciter medeantur et in ſalubrem abeant medicinam. Aliae, interne ſumtae, ſemper noxiae, ſine incommodo et bonis ſubſequentibus effectibus, extus adhibentur. Aliae tandem, etſi medica quadam virtute ſeſe nondum commendent, venenatam tamen ſuam poteſtatem vel totae, vel in quibusdam partibus produnt, ſi intempeſtiue adſumtae, vel alimentis intermixtae fuerint, a quibus, quam primum aliquam earum cognitionem acceperimus, abſtinere et tutius nos cauere poterimus. Ex quibus certe rationibus luculenter apparet, eiusmodi plantarum cognitionem et maxime neceſſariam et appendicem hancce eam ob rationem commendandam eſſe. Huius quoque ſupplementi aliquae icones depictae iamiam atque cum vltimo huius herbarii edito faſciculo euulgatae ſunt, quarum integrum catalogum hic exhibere non dubitamus, quum in addita quadam notitia illum adducere libuerit Cl. Editori.

Sunt vero ex officinalibus plantis, a Blackwellia nondum editis, hae potiſſimum huc relatae.

1. *Abro-*

1. *Abrotanum mas.* 2. *Abſinthium ponticum.* 3. ✻ *Acmella zeylanica.* 4. *Acmella germanica ſeu Verbeſina.* 5. *Atriplex ſylueſtris officin. chenopodii ſpecies.* 6. *Atriplex hortenſis alba.* 7. *Anethum.* 8. *Arnica.* 9. *Ariſtolochia ſ. Fumaria radice caua.* 10. *Ariſtolochia ſ. Fumaria radice non caua.* 11. *Been rubrum ſ. Limonium maritimum maius.* 12. *Bellis hortenſis fl. rubro pleno.* 13. *Branca urſina ſ. Sphondylium.* 14. *Bryonia alba baccis nigris.* 15. *Caiaputi ſiliquae.* 16. *Carlina.* 17. *Carui ſ. Carum.* 18. ✻ *Caſcarilla.* 19. *Chamaemelum romanum.* 20. *Chamaepitys.* 21. ✻ *China chinae* 22. *Cicer ſatiuum flore et fructu albo et rubro.* 23. ✻ *Contrayerua.* 24. *Cucurbita ſ. Pepo vulgaris flore luteo.* 25. *Cucurbita flore albo.* 26. *Cuſcuta.* 27. *Cyperus rotundus.* 28. *Daucus ſylueſtris.* 29. ☽ *Doronicum auſtriacum.* 30. *Gentiana flore luteo.* 31. *Gramen caninum.* 32. *Helleborus albus flore viridi.* 33. *Helleborus niger ferulaceus adonidis ſpecies.* 34. *Helleborus niger flore roſeo vulgaris.* 35. *Helleborus ſtyriacus.* 36. *Helleborus orientalis.* 37. *Hellebrous ſtyriacus flore viridi maior.* 38. *Helleborus ſtyriacus flore viridi minor.* 39. *Herba Coſtae, hieracii ſpecies.* 40. *Hyoſcyamus niger.* 41. ✻ *Ipecacuanha.* 42. *Iuiubae.* 43. ☽ *Laureola baccis rubris.* 44. *Lichen petraeus.* 45. *Lupulus mas.* 46. *Lupulus femina.* 47. *Lycopodium ſ. muſcus terreſtris.* 48. ✻ *Mechoacanna alba.* 49. *Meliſſa turcica.* 50. *Meum.* 51. *Nigella aruenſis et hortenſis.* 52. *Ninzin ſ. Ginſeng chinenſe.* 53. ✻ *Ninzin iaponicum.* 54. *Numularia.* 55. *Oelsnitium ſ. Thyſſelinum.* 56. *Origanum creticum.* 57. ✻ *Pareira braua.* 58. *Peucedanum.* 59. *Pimpinella hircina minor.* 60. ☽ *Populus alba.* 61. *Pſyllium perenne.* 62. *Pyrola rotundifola.* 63. ✻ *Rhabarbarum chinenſe.* 64. *Rhodia radix.* 65. ☽ *Rhus ſ. Sumach.* 66. ☽ *Satyrium vulgare.* 67. *Scilla.* 68. ✻ *Senega radix.* 69. *Senna.* 70. *Sideritis offic.*

71. *Sol-*

71. *Soldanella alpina.* 72. ☽ *Stoechas citrina.* 73. ☽ *Taraxacum.* 74. *Tribulus aquaticus.* 75. * *Vanilla* 76. ☽ *Verbaſcum album ſ. mas.* 77. *Victorialis longa, allii ſpecies.*

Sequentur deinde ex plantis, non vulgaris vſus: 78. *Ananaſa.* 79. *Balſamina.* 80. *Mays ſ. frumentum turcicum.* 81. *Melanzana.* 82. *Momordica.* 83. *Phellandrium.* 84. *Salicaria ſ. Lyſimachia rubra.* 85. *Scutellaria ſ. Tertianaria.* 86. *Solanum tuberoſum.*

Agmen tandem claudent ex noxiis et venenatis vegetabilibus. 87. *Aconitum luteum ſeu lycoctenum.* 88. *Aconitum magnum ſeu Napellus.* 89. *Aconitum ſalutiferum ſeu Anthora.* 90. *Beidelſar ſeu Apocynum Syriacum.* 91. *Belladonna.* 92. *Cicuta minor.* 93. *Cicuta aquatica.* 94. *Colchicum.* 95. *Lauro-ceraſus.* 96. *Nerium flore rubro et albo.* 97. *Oenanthe chaerophylli folio.* 98. *Phytolacca Americana.* 99. *Ranunculus Flammula dictus.* 100. *Taxus.*

X.

Hamburgiſches Magazin oder geſammlete Schriften aus der Naturforſchung und den angenehmen Wiſſenſchaften überhaupt. Hamburg und Leipzig, bey Georg. Chriſt. Grund und Adam Heinr. Holle, 1757. 8. Achtzehnter Band. 1 Alph. 19½ Bog. 3 Kupfertafeln. Neunzehnter Band. 1 Alph. 19 Bog. zwanzigſter Band. 1 Alph. 20 Bog. 3 Kupfertafeln. Ein und Zwanzigſter Band. 1 Alph. 19 Bog. Zwey und zwanzigſter Band. 1 Alph. 19½ Bog. 1 Kupfertafel.

i. e.

i. e.

Promtuarium Hamburgenſe ſiue collectio ſcriptorum ad phyſicam humanioresque litteras ſpectantium. Vol. XVIII. XIX. XX. XXI. et XXII.

In recenſendis iſtis voluminibus occupati eorum tantum ſcriptorum, quae primum edita ſunt, recenſiones exhibebimus; reliqua enim in aliis ſcriptis paſſim reperiunda et a nobis iam recenſita, ſilentio praeterire non dubitamus.

p. 164. Vol. XVIII. Part. II. n. 4. *Experimenta, ope ignis et ſpeculi Tſchirnhauſiani cum nonnullis lapidibus pretioſis inſtituta* communicat Cl. SCHVLZE. Experimenta, quorum mentio hic facta eſt, ad adamantem tantum, rubinum et ſmaragdum pertinent. Adamas vaſi idoneo et bene clauſo incluſus perque viginti quatuor horas forti igne tractatus ne minimum quidem ſui veſtigium reliquit ſed penitus euanuit. Idem radiis ſolaribus, in vnum punctum collectis, expoſitus, multo minus, quam reliqui lapides pretioſi, reſiſtens poſt paucum tempus colorem album induit, tandem in innumera fruſtula vndiquaque diſſiluit. 2) Rubinus, vaſi incluſus et per viginti quatuor horas in forti igne detentus nullam plane mutationem ſubiit ignique ſolari concentrato diu reſiſtens ponderis quidem iacturam, ſed minus notabilem, paſſus eſt, interdum autem, ſed non niſi per aliquod tempus in foco detentus, colorem amiſit aliumque, albicantem turbidum maculisque nigris ſtipatum, induit verſiculisque, in ſuperficie prius obortis tandem inaequalis et aſper euaſit. 3) Tandem Smaragdus, radiis iſtis collectis expoſitus, poſt paucum tempus album colorem induit, pauloque poſt fuſus et ab igne remotus multo mollior ac antea euaſit. *Part.*

Part. III. n. 2. De morbo quodam notatu digno, quo ruſticus ſedecim annorum afflictus fuit, mentionem fecit Anonymus quidam. Scabie nimirum retropreſſa omnes articulationes in dicto iuuene inſignem mutationem ſubierunt, ita, vt motu vel minimo ſuſcepto, articulationes motae crepitarent inſimulque inſigniter dolerent. Vitium hoc in glandulis HAVERSII obſtructis Noſter quaerens decocta diluentia et eſſentias reſoluentes propinauit, quibus per aliquot tempus vſurpatis tandem vnguentum mercuriale affricandum curauit, quo per tres ſeptimanas continuato absque vlla fere ſaliuatione aegrotus in integrum reſtitutus eſt. p. 253.

Vol. XIX. Part. III. n. 5. Breuem narrationem de diuerſitate marmorum inprimis eorum, quae in Saxonia reperire licet, exhibet Cl. SCHVLZE. Marmor ad calcariorum lapidum genus pertinens ab his non ſolum ratione duritiei et ſplendoris, in politura acquirendi, ſed et intuitu colorum diuerſorum et variegatorum ſe diſtinguit. Ipſa autem marmora ratione coloris vel in marmora ſimplici colore praedita, vt alba, cinerea, nigra etc. vel in variegata diuidi poſſunt. Haec vel colore principi praedita ſunt, vel absque tali reperiuntur. Priora vel ſimpliciter tantum mixta occurrunt et ſunt maculata, vt marmor album cum maculis nigris, nec non ſtriata ſeu venis diſtincta, vt marmor album cum venis rubicundis, vel tandem diuerſimode mixta deprehenduntur atque maculis et ſtriis ſimul donata ſunt, vt marmor colore carneo cum venis albis maculisque flauis ſtipatum. Poſterioris generis marmora, nullo ſcilicet colore principi praedita vel vno tantum mixtionis genere donantur et ſunt maculata, vt marmor maculis albis, nigris et flavis; dein ſtriata ſeu venis diſtincta, vt marmor ſtriis albis et coeruleſcentibus, tandem marmora vndulata p. 298.

lata, vt marmor coeruleſcente, viridi et albo colore vndulatum, vel diuerſo mixtionis genere occurrunt et ſunt maculata et ſtriata ſimul, vt marmor maculis flauis et albis veniſque nigris; dein vndulata et maculata, vt marmor albo et obſcure flauo colore vndulatum cum maculis nigris; porro vndulata et ſtriata, vt Marmor albo et cinereo colore vndulatum, cum venis rubris et pallide flaueſcentibus; tandem vndulata maculata et ſtriata ſimul, vt marmor coeruleſcente et albicante colore vndulatum cum maculis veniſque intenſe rubris diſtinctum. Marmorum tandem figuratorum vnicum tantum in Saxonia Noſter reperit, hocque colore viridi praeditum nigriſque arboris figuris percurrentibus diſtinctum in ditione quidem Waldheimenſi conſpicitur, ſed raro occurrit.

p. 438. *Vol. XIX. Part. IV. n. 7. Oſſeam ſubſtantiam in oculo humano repertam* deſcribit Cl. IOH. GOTTFR. ZINN. Haec ſubſtantia in poſteriori oculi parte ad ingreſſum nerui optici inter tunicam choroideam et ſcleroticam originem duxit ſeque ad pupillam vsque extendit annulumque inaequalem repraeſentauit. In anteriori oculi parte, inque cornea quidem, duplex apparuit cicatrix, ita, vt pupilla fere deſtructa et mutata cum cornea, vndiquaque perforata cumque adiacente parte ſcleroticae arcte connecteretur. Ex quo itaque, teneras etiam et nobiles partes, qualis oculus eſſe ſolet, ab eiusmodi indurationibus non immunes eſſe, liquet.

p. 3. *Vol. XX. Part. I. n. 1. Dubia ſuper petrificatione renis in corpore humano* communicat Cl. TITIVS. In peculiari nimirum ſchediaſmate Cl. MAVL, Medicus Eiſenbergenſis, renis cuiusdam mentionem facit, quem in corpore quodam diſſecto reperit et pro petrefacto rene habuit. Verum re ſiſta accura-

accuratius penſitata et aquae pondere cum lapidum, nec non etiam oſſium pondere ſpecifico comparato, Noſter proinde, renem iſtum non in lapidem, ſed in ſubſtantiam oſſeo-lapideam mutatum eſſe, coniicit. Licet enim negandum non ſit, veram materiem lapideam in corpore hinc inde detegi poſſe, integram tamen partem in lapidem mutari veriſimile vix vnquam videtur. Deponitur quidem in partibus, inprimis renibus, materies lapidea, ſed haec ipſa canales tandem obſtruit et imperuios reddit, partes vero aut fibras muſculoſas minime eo diſponit, vt veram inducant lapideam indolem. Cum enim alia ſit natura lapidum atque alia partium carnoſarum, fieri ſane nequit, vt hae ipſae in materiem plane contrariam, vt lapidis eſt, ſed in talem, quae non adeo abludit, commutari poſſint. Cum autem in vaſa renum ſaepe deponatur materies lapidea, accidit deinde, vt, ſi alia inſimul cauſa, renis ſubſtantiam carnoſam immutans, obueniat, illud proinde viſcus in ſubſtantiam oſſeo-lapideam, nunquam autem in lapidem ſolidum conuertatur. Carnoſas vero fibras in oſſeam ſubſtantiam transmutari poſſe, ipſa natura oſſis demonſtrat, quippe quod in principio ſubſtantia mollis, dein gelatina, tum cartilago, tandem os fit et aeque, ac muſculus, ex fibris et vaſis conſtat, inde, cauſa quadam contingente, muſculi ſeu carneae fibrae mutatio in os non adeo difficilis eſſe ſolet. His itaque argumentis Noſter perſuaſus, lapides quidem in partibus reperiri, concedit, integras autem partes in lapides mutari poſſe, negat.

Vol. XX. Part. IV. n. 3. *De generatione vermium in corpore humano* diſſerit Cl. MÜLLER. Licet lis de generatione vermium in corpore humano inter auctores compoſita adhuc non ſit, plurimi tamen in eo conueniunt, vt vermes omnes, ſiue p. 424.

generentur in corpore ſiue ab extra in iſtud introducantur, inſectis ouiparis, nec vnquam viuiparis annumerandi ſint. Verum huic opinioni, vt plurimum receptae, obſeruationem anno 1750 oppoſuit Cl. ZAMPONI, qua demonſtrare anniſus eſt, vermes et inprimis ſic dictos lumbricos in corpore humano ceu inſecta viuipara conſideranda eſſe. Accidit enim, vt, cum infanti cuidam ad expellendos vermes remedia propinaſſet, inter expulſos vermes vnus deprehenderetur, qui inter inſignes motus craſſum et excrementitium humorem cumque eo ſimul ſenſim ſenſimque viginti octo vermiculos viuos, albos admodumque teneros deiiceret, vermibus, qui in ceraſis deprehenduntur, per omnia ſimiles. Inde iſte, obſeruatione hac fretus, lumbricos corporis humani non ad claſſem ouiparorum, ſed viuiparorum, accenſendos eſſe, arbitratus eſt. At vero audiamus Noſtrum, argumenta huic viro opponentem, quae a veritate non adeo aliena eſſe videntur. Obſeruationem quidem Noſter non negat, viuosque vermes a lumbrico iſto excluſos fuiſſe concedit, an vero iſti vermiculi ſoboles lumbrici vere fuerint, dubia omnino res eſt. Cum enim humor iſte copioſus, a lumbrico deiectus, excrementitius fuerit, huncque inter inſignes cruciatus et quidem maxima in copia deiecerit, vermiculi vero matri ſimiles viſi non fuerint, Noſter ea propter minima iſta inſecta vermes ipſius lumbrici fuiſſe, huncque diarrhoea verminoſa laboraſſe, concludit, idque inſuper aliorum obſeruationibus confirmat, quibus oſtenditur, dari inſecta permulta quae aeque, ac alia animalia, innumeris aliis inſectis ſeu vermibus ſcateant. Niſi itaque haec a Cl. ZAMPONI communicata obſeruatio aliis certis et microſcopicis quidem confirmetur obſeruationibus, res ſane vel dubia manet, vel opinioni eorum, qui

qui lumbricos viuiparis annumerant, non adeo aduerſari videntur.

Quod ad vigeſimum primum et vigeſimum ſecundum Volumen attinet, ea ſane ita comparata ſunt, vt nihil quidquam decerpere licuerit; ſiquidem vel nos non tangunt, vel a nobis recenſita iam hinc inde proſtant.

XI.

Anatomiſche, chirurgiſche und mediciniſche Beobachtungen und Unterſuchungen von ZACHARIAS VOGEL, *der ausübenden Arzneygelahrheit und Wundarzney Doctor. Roſtock, verlegts Iohann Chriſtian Koppe*, 1759. 8 m. *Alph.* I. *Bog.* 6. *mit* 11 *Kupfertafeln.*

h. e.

Obſeruationes et disquiſitiones anatomicae, chirurgicae et medicae Auctore ZACHARIA VOGEL, M. D.

Ante aliquot annos Cl. Auctor hiſtorias externorum internorumque morborum ediderat *, cum itaque cognouiſſet, eas beneuole exceptas fuiſſe, ſtudium aliis inſeruiendi, eum non tantum ad medicinam vtramque diligenter faciendam impulit, ſed et occaſionem praebuit nouis obſeruationibus colligendis et vlterius elaborandis, quas nunc, et ex parte iconibus illuſtratas, publici iuris fecit. Quinquaginta octo obſeruationes, quae nunc proponun-

* *Merckwürdige Kranckengeſchichte und nützliche Erfahrungen aus der Geneſſekunſt und Wundarzney von* ZACHARIAS VOGELN. *Erſte Sammlung. Roſtock und Wiſſmar*, 1756. 8.

tur, maximam partem artem chirurgicam concernunt; egit enim praecipue de tumoribus et vlceribus cancroſis, de herniis ſpuriis et veris, de nonnullis penis morbis, de carie, de fiſtula lacrymali, de laeſionibus capitis et caluae fracturis, paucis tantum obſeruationibus, ad anatomen et praxin clinicam pertinentibus, interſperſis. Nos omnes verae et rationali medicinae reſpondentes deprehendimus, quarum ex inſtituti noſtri ratione, quo ideam operis exhibeamus, nonnullas nunc breuiter indicabimus.

p. 1. Ad cancroſos tumores deſcribendos primo ſe conuertit, et in prima obſeruatione, quae tumorem talem in gibboſa per compreſſionem arctioris thoracis ortum et feliciter exſtirpatum deſcribit, de cauſis et ſymptomatibus cancri in genere agit.

p. 10. Occaſione tertiae obſeruationis, quae tumorem talem ponderis duarum librarum cum dimidia optime ſeparatum deſcribit, methodum operationis breuiter declarat. Reiicit nimirum furcas aliaque inſtrumenta a variis chirurgis adhibita, et ſiniſtra manu apprehendere et adducere iubet tumorem, quo dextra manu, ſcalpello recto armata, inciſio per integumenta vsque ad muſculum perficiatur, ſcalpello ſepoſito, huius manus indice omne induratum a ſubiectis partibus deglubit, porro manum ſiniſtram in vulnus immittit, et dextra iterum reliqua integumenta cum tumore praeſcindit, ligatis tandem vel liquore ſtiptico tactis arteriis. Monet ſe hac encheireſi glandulas induratas, ſub ipſa clauicula haerentes remouiſſe. Num ſemper indice deglubi poſſint tumores, dubitamus, cum et ipſe Cl. Auctor productiones tendinoſas inde productas in muſculo ſubiecto radicatas viderit, et obſeruatio quarta pro-

p. 17. tuberantiam tumoris foueam muſculo pectorali impreſſiſſe et fibras eius criſpas reddidiſſe, oſtendat

Sepa-

Separauit quidem et hunc tumorem integrum, ſed in loco impreſſionis fungus prodiit qui tamen denuo ſcalpello ſeparatus integram in pectore ſanationem permiſit; alio vero tumore carcinomatico in pudendis oborto et nullo modo coercendo periit aegra. In quinta etiam obſeruatione tumor, vsque ad glandulas axillares procedens et in icone adiecta adumbratus, apte quidem methodo a Cl. Auctore adhibita ſeparatus fuit, poſt tres autem ſeptimanas et ambitu vulneris iam ad dimidium contracto, protuberantiae variae in muſculo pectorali radicatae propullulabant, quas Noſter, ſeparata ſimul muſculi parte, et cum ex his vna piſi magnitudine et tendini pectoralis inhaereret, et huius parte ſimul remota abſtulit. In examine huius partis ille cognouit, particulas albas, quaſi arenoſas inter ipſas muſculi fibras diſſeminatas fuiſſe. Curatio vulneris ex voto quidem ſuccedere viſa eſt, ſed cum Cl. Auctor illam non abſoluere potuerit, maxime dubitamus virus cancroſum prorſus ablatum fuiſſe. p. 23.

Obſeruatio etiam ſeptima, quae de exſtirpatione cancri exulcerati in labio inferiori agit, recrudeſcens malum declarat. Scirrhus nimirum ceraſi magnitudine, a mala canini et molaris primi dentis conformatione ortus, inepta medendi ratione in carcrum apertum mutatus fuerat. Euulſis dentibus, ſectione ad angulum oris triangulari facta, tumor quidem remouebatur, et methodo in curatione labii leporini aſſumta conſolidabatur, ſed poſt aliquot ſeptimanas in glandula parotide et maxillari coniuncta tumor durus inſignis magnitudinis oriebatur, quem cum Noſter ſectione tollere non poſſit, cauſſam lethalis ſuffocationis fuiſſe percipimus. p. 32.

Ad varias hernias inprimis ſpurias nunc progreditur in hydrocele ſeu potius hydrope ſcroti particulari, hoc ſcilicet tumente et multis veſiculis albis obſeſſo emplaſtrum veſicatorium applicauit, quod p. 37.

veſicam continuam aqua plenam effecit, ex qua inciſa multa aqua effluxit, quo facto epithema ex herba arnicae, ſapone veneto et aqua calcis viuae, non neglecta medela interna, applicauit, et intra octiduum ſcrotum iterum contractum apparuit.

p. 40. Ex vera hydroceles ſpecie, in tunica vaginali vaſorum ſpermaticorum haerente, inciſione per integumenta facta, et ſacco aquoſo, digitis non nihil ſeparato, paulo poſt inciſo, aquas eduxit, ſaccum ipſum poſtea caute a chorda vaſorum ſpermaticorum ſeparauit, et applicato linimento ex vino, ſapone veneto et myrrha, et epithemate diſcutiente vniuerſo ſcroto addito optimam ſanationem praeſtitit. Praeſtantior omnino eſt haec medend via, quam ea, quae ſola punctura cum acu triquetra, vel applicato ſetaceo perficitur, niſi enim ſaccus aqua diſtentus ſeparetur, ſola ſuppuratione ſubſequente ille non remoueri poteſt. In ſequentibus etiam et hydroceles et ſarcoceles operationibus, ſimili enchireſi praeſtandis, monet digeſtiua pinguia, ſuppurationem alias adiuuantia, non applicari debere.

p. 55. Spermatocelen in epididymide natam, ex ſuppreſſa gonorrhoea ſaepe oriundam, applicatis cataplaſmatibus emollientibus et diſcutientibus, nec non vſu internorum remediorum diſcuſſit reſtituta per haec medicamenta gonorrhoea; cum vero in aegro, regulas diaetae negligente, malum recrudeſceret, mercurialibus medicamentis et interne et externe cum frictione adhibitis, non neglecto etiam roborantium vſu, ſanationem perfecit.

p. 79. Interiectis nonnullis obſeruationibus, ad ſarcocelem pertinentibus, aliam addit, ſpermatoceles ſpeciem, totum teſticulum occupantem. Haec, ab obſtructo vaſe deferente orta, non niſi teſticuli exſtirpatione ſanari poterat. Examen teſticuli ſeparati ſuſcipiens ſequentia potiſſimum annotauit. Vaſa ſpermatica deſcendentia ſana et nodis deſtituta

inue-

inueniebantur, vas deferens vero durum et plane obſtructum; epididymis triplo maior et indurata omnibus in vaſis caſeoſa materia repleta; albuginea membrana alba, ſed ob extenſionem tenerrima erat, ſubſtantia interna teſticuli medulloſa cerebri ſubſtantiae non nihil ſimilis, celluloſo contextu ita ſoluto, vt ſpermatica et lymphatica vaſa medulloſam ſubſtantiam intercurrerent, et illa in glomerulos alias conuoluta, ita ferme diſſoluta apparebant, vti maceratione in aqua praeparari ſolent.

In ſequenti decima ſexta obſeruatione ſarcocelem exſtirpatam deſcribit, eiusque anatomen et iconem addit. Carnoſa tunica in craſſitiem ſemipollicis excreuerat, inter hanc et teſticulum variae collectiones aquoſae et vlceroſae, teſticulum erodentes, inueniebantur, epididymis magnitudine aucta et marmorea, funiculus vaſorum ſpermaticorum ad confinia teſticuli ferme euanuerat, craſſus tamen et nodoſus in parte ſuperiore, vbi non niſi difficulter ſeparari poterat, et poſtquam denuo fungum, acri ichore ſcatentem, generauerat, altera vice prope annulum ſeparari debuerat, vas deferens non detegi potuit, teſticulus ipſe diſſectus ſubſtantiam ex albo, rubro et luteo variegatam referebat, membranae inter vaſa excurrentes craſſae et albae, ſanguifera et lymphatica vaſa rubicunda, glomeruli autem vaſorum ſpermaticorum flaui apparebant. p. 82.

Deſcriptionibus his partium morboſe mutatarum ſubiungit ſuccinctam tractationem de fabrica teſticuli, eamque cum obſeruationibus recentiorum anatomicorum comparat, et iconem teſticuli cum vaſis ſperma praeparantibus maceratione euolutis, nec non epididymidis mercurio repletae, addit. p. 87.

Obſeruatio decima octaua penis amputationem deſcribit. Pertinax vrinae retentio, calculo adſcripta, variis tentata fuerat remediis internis, re accuratius diſquiſita, phymoſis aderat per fungoſas glandis p. 99.

 excre-

excreſcentias maxime moleſta reddita, cum inflammatione inſigni penis. Praeputio inciſo et fungo remoto, vrina apte procedebat, fungi tamen, neglecta glandis munditie, recrudeſcebant, et amputationem membri neceſſariam reddebant, quae leni attractione et ſimultanea ſectione, ligatis poſtea arteriis, perficiebatur, vrethra cannula muniebatur, ſuccedebant tamen tenſio partium et rigor penis, donec cum vrina magna ſpermatis vis effluxiſſet, qua aeger maxime debilitabatur, partes tamen poſtea ſanationem admittebant, et aeger viribus reſtitutis conualuit.

p. 112. Scrotum valde extenſum et durum a calculo, ad collum veſicae haerente et vrinae effluxum impediente, obſeruatione vigeſima deſcribitur. Vrinae retentio ex hac cauſa nata, per quatuor iam ſeptimanas durauerat, liquor itaque hic excrementitius, ſtaſi corruptus, in ſcroti integumenta eiusque celluloſam membranam penetrauerat, eiusque ambitum ita auxerat, vt nec teſticuli diſquiri, nec penis conſpici poſſent, ſuperficies ſcroti, epidermide ſecedente, non tantum colorem obſcure rubicundum oſtendebat, ſed foramina exigua vbique diſſeminata foetidum, vrinae corruptae ſimilem, humorem plorabant. Inciſio in vtrumque ſcroti latus facta effluxum huius humoris quidem accelerabat, ſed lente tantum, ita vt et internis medicamentis et externis fomentis aeger conſeruandus eſſet, donec poſt aliquot ſeptimanas penis appareret, et ſpecillum, in vrethram immiſſum, cauſam huius morbi, calculum nimirum detegeret et pro parte remoueret. Detumeſcebat interim ſcrotum reliquaque calculi portio ad collum vrethrae haerens eximebatur, teſticuli interea illaeſi remanſerant, et poſt ſex ſeptimanas ſeparatio corrupti et conſolidatio vulneris ita perficiebatur, vt vera vrinae via reſtitueretur, et aeger ſanus redderetur.

In

In ſequenti obſeruatione calculum, inciſione facta, ex collo veſicae extractum declarat Noſter et ad varias ſpecies herniarum deſcribendas progreditur. Poſtquam in vigeſima ſecunda obſeruatione varia herniae cruralis minoris incarceratae ſymptomata, ingreſſu impedito, tenſione abdominis et aliis multis v. c. vrinae ſanguinolentae incommodis, propoſuit, in ſequenti hernias reponendi rationem declarat, et linimentis emollientibus prius applicatis, maſſam ex farina ſeminis lini, ex qua oleum expreſſum eſt, noſtri *Leinkuchen* dicunt, in lacte coctam, optimi cataplasmatis loco ſuper haberi iubet, quo elapſa in veram ſedem reducantur, additis tamen poſt peractam repoſitionem, quo relaxationi partium mederi poſſit, epithematibus roborantibus. Repoſitionem etiam herniarum poſt fomenta externa applicata et clyſmata crebrius iniecta dato leni vomitorio ex ipecacuanha adiuuit, hoc tamen in recenti herniae ſtatu, et tunc quoque ſumma cum attentione perfici debere illico patet. Cl. Auctor enim in operatione vomitorii praeſens fuit, omnia caute direxit, et repoſitione praeſtita cardiacis medicamentis vomitum compeſcere tentauit. p. 122. p. 141.

In vigeſima quarta obſeruatione magna enteroepiplocele deſcribitur. Deſcendens nimirum omentum ſanum et pingue, peritonaeum in ſaccum hernioſum diſtendens, ipſum quoque in forma ſacci diſtentum erat et inteſtini partem, ex abdomine egreſſam, recipiebat, inteſtinum facile reduci poterat, omentum vero accreuerat, et licet hernia ſuſpenſorio ſuſcipi potuiſſet, operationem tamen vrgebat aeger. Ex operatione peracta haec potiſſimum monenda ſunt: prope annulum praecipue leuabat ſaccum hernioſum, antea, quantum fieri poterat, a ſcroto ſeparatum, quo vinculum ex lineis filis textum ibi transiicere et ita ſaccum ſimul cum omento conſtringere poſſet. Reſecta omenti p. 147.

portio ſana erat nec ſanguinem plorabat, et libras duas cum ſemiſſe excedebat. Ligaturam poſt triginta ſex horas et poſt triduum arcte ſemperque arctius adſtringebat Cl. Auctor, quam methodum conſuetae omenti ligaturae praeferre videtur. Num ſimili ratione praeſtari poſſit ligatura, ſi vaſa omenti non nihil varicoſa ſunt, dubitamus.

p. 155. Obſeruatio vigeſima quinta calculum ex fellea veſicula extractum declarat. Icterus flauus primo, poſtea niger cum febre acuta coniunctus, poſt varios febris quartanae inſultus acceſſerat, ſed febre ceſſante cachexia bilioſa remanebat; praeterea ad apicem quartae coſtae ſpuriae hypochondrii dextri tumor apparebat, qui veſiculam felleam vehementer extenſam et cum peritonaeo coalitam referebat, ſine omni tamen inflammatione et abſceſſu. Re accuratius diſquiſita et penſitata Noſter integumenta primum, et, fibris muſculoſis non nihil remotis, peritonaeum et veſiculam felleam ſimul incidebat, et poſt effluxum bilis corruptae, ſpecillo immiſſo calculum detegebat, orificium ductus biliarii obſtruentem, hunc itaque forcipe tenui apprehendebat et educebat, quo facto, et bilis via libera reddita, aegro ſanitas priſtina reſtituebatur, et conſolidatio vulneris ex voto ſequebatur.

p. 162. In alio aegro ducenti calculi biliarii ex veſicula fellea per cholodochum in inteſtina emoti et tandem per anum expulſi fuerunt; ſymptomata aegri et medendi ratio copioſe deſcribuntur.

p. 191. In infantibus trium vel quatuor annorum neglectum aluinae excretionis ſudores nocturnos inducere, et debilitato ſic corpore decubitum irregularem in lectulis nimis mollibus variam incuruationem ſpinae et gibberoſitatem inducere poſſe Noſter obſeruatione vigeſima octaua confirmat, et methodo medendi ex his indicatis collecta, mutatisque diaetae erroribus curationem praeſtari poſſe affirmat.

Inter

Inter alia auxilia, epithema ex pane, cum aromaticis plantis parato et coƈto, ſpinae dorſi applicare ſuadet, cuius quippe vapore moderata vis neruina praeſtatur.

Maxillam inferiorem retrorſum luxari haud poſſe multi perhibent, in obſeruatione tamen trigeſima prima Noſter docet, eandem aliquoties vere eueniſſe, cauſam fere ſemper eſſe methodum haud probandam relaxationi vuulae medendi, qua faſciculus pilorum in vertice vehementer attrahitur, aegro interea dentes fortiter comprimente et ter deglutionem validam exercente quo muſculi vuulam dirigentes adſtringantur, per hunc enim motum muſculi maxillae inferioris quoque conuelluntur, et haec non nihil retrorſum cedit, id quod ex prominentia dentium ſuperiorum vere cognoſcitur. Puella igitur, in qua, ex ſimili cauſa, maxilla vel retrorſum luxata vel non nihil dimota erat, muſculos omnes duros et ſpaſtice contraƈtos offerebat, ita vt nec ſpecillum inter dentes dimitti poſſit, Noſter itaque eidem per plures horas linimenta et epithemata emollientia affricari iuſſit, quo ſpaſmus leniretur, paulo poſt aegram in paruo ſedili vel in terra ita collocauit, vt dorſum eius ad crura, caput inter genua, firmiter ſuſtineretur, brachiis per famulum retentis, ipſe vero pollices ſuos ſuper condylos vtrinque, volam manus ſub angulos maxillae firmiter applicauit, et primo blande, poſtea fortiter deprimendo, tandem etiam ſuccuſſibus aliquot feliciter tentatis maxillam iterum in veram ſedem reduxit et quiete ſeruata et fomentis roborantibus applicatis maxillam ſine faſcia in ſitu ſuo retinuit. Egregiam hanc medendi rationem aliis imitandam et perficiendam commendat, et illos non ſine ratione taxat, qui ſpeculo oris applicato dentes fortiter compreſſos diducere tentant, cum triſtiſſimos abinde effeƈtus oriri cognouerit.

p. 217.

Poſtquam Cl. Auctor de dentium morbis et de remediis interne et externe applicandis nec non de inſtrumento, ad euellendos dentes apto, diſſeruit,
p. 238. varias de carie ſuperioris et inferioris maxillae ex minus felici dentium euulſione et inepta inflammationis curatione oriunda, obſeruationes proponit, ex quibus ſatis apparet, quam negligenter ſaepe haec chirurgiae pars tractetur.

p. 263. Naeuos maternos cum cute craſſiore et piloſa reddita, cauſtico remedio, ex ſapone veneto et calce viua parato, ſeparari et ſuppuratione ſubſequenti tolli poſſe, olim iam oſtendit Cl. Auctor, nunc hanc medendi rationem nouo exemplo confirmat, et ſimul monet, in naeuis ſic dictis ignitis, in quibus ſanguis copioſius in vaſa cutanea congeritur, eandem locum non habere.

p. 269. Obſeruationes quaedam de cura fiſtularum ſic dictarum lacrymalium in ſequentibus proponuntur et praemiſſa breui partium, per quas lacrymae tranſeunt, deſcriptione cauſisque morbi in genere indicatis, de tribus potiſſimum morbi generibus ſeu potius gradibus agitur, primum ſcilicet ſi ſolummodo ſaccus, in nares hians, obſtructus eſt, ſecundum ſi puncta lacrymalia, quae lacrymas ex interſtitiis palpebrarum reſorbent, vel cum vel ſine inflammatione obſtructa ſunt, tertium ſi in effluxu ſuo impeditus humor lacrymalis acrior factus vicinas molliores partes, immo ipſa oſſa, arrodit et deſtruit.

p. 277. Primi gradus curationem ſequentem habet. Obſtructo ductu naſali et ſacco lacrymali inde tumido facto applicabatur cataplaſma ex puluere radicis conſolidae maioris cum aqua calcis viuae paratum; primum itaque per puncta lacrymalia materia caſeoſa, paulo poſt tenuior albumini ouorum non nihil coagulato ſimilis excernebatur, emollita igitur materia et viis non nihil patentibus aqua ſaccharata cum

ſiphone

ſiphone Anelliano in puncta lacrymalia immittebatur, quae quidem, licet per eadem puncta regrederetur materiam tamen viſcidam tenuiorem et ſaccum lacrymalem ipſum abſtergendo molliorem reddebat, quo facto, vapore decocti emollientis et diſcutientis in nares immiſſo orificium ductus naſalis ita diſponebatur, vt lacrymas primo viſcidiores, tandem tenuiores, dimitteret. Externis interea medicamentis oculi inflammatio coercebatur, et interna quoque medicamenta reſoluentia adhibebantur, tandem viis ſatis patentibus compreſſione et medicamentis robur ſacci lacrymalis reſtituebatur.

Huic obſeruationi aliam ſubiungit, quae omnium viarum lacrymalium obſtructionem ſiſtebat, et narium et oculorum exulcerationes coniunctas habebat. Oppoſuit vero his incommodis varia remedia et lento greſſu ad ſanationem quandam peruenit, obſtructio tamen ipſa conſuetis medicamentis non emollienda erat, tentato tandem ſtillicidio aquae frigidae ex infundibulo alte ſuſpenſo ſenſim ſenſimque tumor ita agitatus fuit, vt materia impacta partim per lacrymalia puncta partim per nares eliminari potuerit; monet tamen Noſter impetum guttarum aquae cadentium, a medico moderari debere, prout aeger, qui inde afficitur, eundem vel ab alto vel paulo demiſſiore loco, vel crebrius, vel parcius ferre poteſt. p. 281.

Completae tandem fiſtulae curatio additur. Obſtructus nimirum ſaccus lacrymalis tumorem effecerat, qui emplaſtro applicato motus irritationem partium vicinarum cum eryſipelate faciei contraxerat; poſtquam itaque Noſter eroſiones et inflammationes inde natas apta medendi methodo diſcuſſerat, ſpecillum in vulnus apertum immittebat, quo integumenta eleuare et horum aperturam non tantum ampliare, ſed et ſaccum ſubiectum p. 287.

incidere

incidere poſſet. In hunc itaque immiſit paruulum catheterem, quo mediante deſcendendo orificium in nares aperire et fila linea, ſetacei loco adhibenda, per has deducere iisque blanda abſtergentia medicamenta applicari poſſet, ſetaceum, quod in principio difficile, paulo poſt melius trahebatur, orificium ſatis amplum eſſe declarabat. Depuratione ſic facta puncta lacrymalia et ſpecilla et ſiphunculum Anellianum admittebant, remoto nunc ſetaceo, iniectio, in puncta lacrymalia facta, per viam liberam penetrabat et vulnus externum ad conſolidationem diſponebatur. Apparatum inſtrumentorum hac in re adhibitorum, ad Cl. FOREST methodum accedentem, deſcribit Noſter et in tabula appoſita vna cum viis lacrymalibus delineatum ſiſtit. Reiicere itaque videtur perforationem oſſis vnguis a variis chirurgis varia methodo tentatam, quae tamen in carie oſſium et ſacco prorſus calloſo vel exulcerato, ad nouam lacrymarum viam inueniendam omnino neceſſaria eſt.

p. 296. Sequuntur nunc aliquot obſeruationes de haemorrhagia vteri et podagra, in quibus praecipue methodus medendi vniuerſalis Reitzenſteiniana per balnea vaporis, ex herbis aromaticis parata, acriter perſtringitur, et ſimul de electricitatis effectu in podagra minus felici diſſeritur.

p. 237. Obſeruatione quadrageſima ſexta annotationes quaedam de cataracta proponuntur. Aſſumit Noſter Cl. HEISTERI diſtinctionem cataractae in veram et ſpuriam, quarum hae capſulae, illae ipſius lentis vitium ſiſtunt, dum haec vel obſtructa et indurata vel reſoluta eſt. Reſolutio lentis cum dignoſci haud poſſit prius, quam capſula eius fuerit aperta, ipſum operationis euentum non niſi peritiſſimum praedicere poſſe aſſerit Noſter. Porro etiam varias cataractam deponendi methodos et acus, quibus haec perficitur operatio, examinat et temeritatem

oculariì

ocularii medici circumforanei HILMERI quibusdam exemplis enarratis perſtringit. Methodum acu immiſſa cataractam deponendi, vt certiorem, ei praefert, qua lens cornea incisa extrahitur, cum haec forte non niſi bulbo prominente, cornea maxime conuexa et pupilla ampla exiſtente adminiſtrari poſſit. Tandem duas exponit hiſtorias cataractae, quam ipſe, acu, apice latiuſculo et non nihil obtuſo inſtructa, felici cum ſucceſſu depreſſit.

Interſperſis quibusdam obſeruationibus de febre neruoſa hyſtericis affectionibus comitata; de genitalium tumore oedematoſo ex abuſu purgantium draſticorum medicamentorum orto; de pollice ſiniſtro cum tendine flexoris euulſo; de carie humeri ex rheumatiſmo male curato orta; de inſigni vulnere faciei in obſeruatione quinquageſima quinta p.383.
et ſequentibus ad varias laeſiones capitis et caluae examinandas ſe conuertit Cl. Auctor. Variae interdum percuſſiones cerebrum commouent, dummodo autem calua non fracta, nec humor extrauaſatus ſit, congeſtiones ſanguinis et humorum felici ſaepe cum ſucceſſu diſcutiuntur, omnem tamen in his diſquirendis curam adhibere tenetur chirurgus, quo inſtrumenti laedentis figuram et impetum, naturam et ſymptomata aegri, nec non laeſionem ipſam caute perpendat. Ruſticus, cui impetus vehemens vectis, quo arborem e loco mouere intendebat, os frontis percuſſerat, vltra ſexaginta horas attonitus iacebat, venaeſectione eaque repetita adminiſtrata et tumore ſanguinem coagulatum continente ſuper os frontis vsque ad pericranium inciſo, non tantum ad ſe rediit aeger, ſed vulnus quoque ſine exfoliatione cranii feliciter curatum fuit.

Vulnera cranii, dummodo menynges et cere- p. 387.
brum non laedantur, ex voto curari poſſe ſequens obſeruatio probat. Virgini dormienti ſexaginta annorum ancilla quatuor vulnera oſſi frontis acie

ſecuris

ſecuris inflixerat, et paulo poſt baſi huius inſtrumenti oſſi bregmatis ſiniſtro contuſionem induxerat. Vulnus medium per cranium vsque ad menynges penetrans quatuor pollicum erat, et motus cerebri per illud clare perſpici poterant, reliqua tria vulnera non niſi ad diploen penetrauerant, oſſis bregmatis laeſio nulla erat, ſed ſanguis tantum ſub pericranio extrauaſatus inueniebatur. Attonita diu ſubſtitit aegra, nec poſt venaeſectiones, nec poſt adminiſtratam vulneris deligationem, nec per alia medicamenta et clyſmata excitabatur, ſed in tertium vsque diem ſtertoroſa iacuit, ſenſim tamen paulatimque excitata fuit, et vulnera felicem, quam ars dare poterat, curationem admiſerunt. Colligit porro Noſter varias notatu digniſſimas caluae fracturas cum deſtructione magnae partis menyngum et cerebri, variasque animaduerſiones, hanc doctrinam illuſtrantes, addit. His ex aliorum obſeruationibus
p. 408. repetitis, ipſe in obſeruatione quinquageſima ſexta de carie caluae feliciter ſanata agit.

Virgo nimirum quadraginta annorum diriſſimis capitis doloribus in oſſe frontis potiſſimum excruciata a variis internis externisque remediis interdum quidem leuamen, nunquam vero ſanationem, acquirere potuit; interea eo in loco tumor oriebatur oui gallinacei magnitudine durus et dolens, nunquam tamen inflammatus; hic cum nullis medicamentis diſcuti poſſet, inciſione integumentorum praeſtita tophum oſtendit, quem Noſter modiolo ad diploen vsque multoties excidit, quo facto foetida et ichoroſa materia effluxit, applicatis alcohole vini et eſſentia euphorbii, ſeparatio oſſis et particulae etiam laminae internae caluae ſucceſſit, et paulo poſt depuratio et ſanatio vulneris ex voto praeſtita fuit.

Obſer-

Obſeruatione quinquageſima ſeptima de hydro cephalo infantum agit, gradus huius morbi definit Auctor, in cauſas inquirit, et ſpinae bifidae et tumoris aquoſi inde in lumbis nati diſquiſitionem addit, tandem hydrocephalum ſubcutaneum epithematibus ſpirituoſis et aromaticis diſcuſſum deſcribit. p. 412.

Vltima obſeruatio de fabrica naſi exponit et coryzam duplici exemplo adducto declarat nonnullaque de polypi narium curatione ſubnectit. p. 418.

XII.

Vorläufige Beobachtungen der Schwämme um Regensburg angeſtellet und mit vier Kupfertafeln ausgemahlter Abbildungen erläutert von IAC. CHRISTIAN SCHAEFFER. *Sr. Kön. Maj. zu Dännemark, Norwegen Rathe; und der Weltweisheit* Profeſſore honorario *auf dem* Gymnaſio academico *zu Altona; Evangeliſchen Prediger zu Regensburg; der Kayſerlichen Academie der Naturforſcher; Kayſerlich Königlichen Academie zu Roveredo; Königlichen Preuſſiſchen Academie zu Berlin und Churfürſtlichen Bayeriſchen Academie zu München; der Königl. Geſellſchaft der Wiſſenſchaften zu Duisburg und Königl. deutſchen Geſellſchaft zu Göttingen; wie auch der freyen Künſte zu Leipzig Mitgliede. Regensburg, gedruckt mit Weiſſiſchen Schriften und in der Montagiſchen Buchhandlung in Commiſſion zu haben.* 1759. *in 4to.* 8½ *Bog.*

h. e.

Praeluſio de fungis in agro Ratisbonenſi obſeruatis a IAC. CHRISTIANO SCHAEFFERO.

Miramur profecto Cl. Auctoris induſtriam in explicanda et illuſtranda illa hiſtoriae naturalis parte, quae fungos complectitur; atque id eo magis, quod, vt ipſe ingenue fatetur, interuallo vnius circiter anni tam egregiam de hac tam intricata et multis difficultatibus inuoluta re ſibi comparauerit ſcientiam, vt non ſine laude de fungis diſſerere et vel plane noua, vel, quae iam ab aliis doctisſimis viris tradita ſunt, nouis experimentis confirmare potuerit. Sed age libellum ipſum adgrediamur; eſt vero haec de fungis generalis diſputatio in quinque partes diſtributa, quarum prima de fungorum ortu eorumque propagandi multiplicandique ratione exponit; altera pars eſt de fungorum ſtructura et qualitatibus tam cognitis et definitis, quam incognitis et non ſatis hactenus perſpectis. In tertia parte genera, formae et mutationes fungorum exhibentur; pars quarta, quaenam ſit vtilitas fungorum et pernicies, tradit; vltima denique pars continet conſilia quaedam et adminicula corrigendae et augendae fungorum hiſtoriae.

p. 3. Ad ortum et creſcendi modum quod attinet, inſtituit Cl. Auctor duodeuiginti experimenta, ex quibus legitima conſecutione haec conſectaria deduxit: Cum vaſcula illa et receptacula, quibus pollen ineſt, tantum in nonnullis fungorum generibus, e. g. in fungis lamellatis et perforatis, atque in his quidem pauciſſimis ſint conſpicuae; largiendum eſt, vel pollinem illum fore ſine omni effectu vel potius eius vtilitatem non talem eſſe futuram, qualem ſibi perſuadent periti quidam homines. Nam ſi v. c. fungum puluerulentum paulo attentius contemplari.

templari velis, inuenies, maturitatis momentum in ſemine, quod maſculinum appellant, valde eſſe dubium. Videtur itaque, quam alii defendunt, p. 18.
ratio propagandorum fungorum ab ea lege, quam reliquae plantae fere omnes propagando ſequi ſolent, maxime diſcrepare. Nec mira eſſe poterit vlli talis varietas, et id tanto magis, quo magis certum eſt, quod modus propagandi plantas per ſemen, non ſit vnicus. Quae cum ita ſint, faten- p. 25.
dum quidem eſt, id, quod hactenus in fungis ſemen habebatur, ad eas partes pertinere, quas procreatio requirat; ſed tantum abeſt, vt vaſcula illa eiusmodi ſemen contineant, quod ortum ſuum a florendi et fructificandi modo duceret; vt potius fungi ſine omni dubitatione alii legi, quamquam incognitae, qua propagentur, ſint ſubiecti. Etſi fungi primo adſpectu ad vnum omnes inter ſe conuenire videntur, tamen ſi intento oculo eos adſpicias, immenſam eorum variationem et diſcrepantiam facile deteges. Eſt vero fungorum diſcrimen vel externum, vel internum.

Extrinſecus fungos ab aliis internoſcere poſſumus, ſi eorum formam, figuram, ſitum, ſuperficiem, limbum et ambitum, peculiares partes, ſimilitudinem cum aliis rebus, colores etc. contemplemur. Quare fungi ratione formae et magnitudinis magni, mediocres, parui, longi, breues etc. ratione ſitus et poſitionis recti, verticales, ad planitiem expanſi, dependentes etc. ratione ſuperficiei vel vnam ſuperficiem habent, vel duplam, ſunt porro laeues, hirſuti, lamellati, poroſi, dentati etc. ratione limbi et ambitus, integri, crenati, lobati, acuti, conuoluti etc. ratione partium, quas integrales dicunt, radice donati vel non, annulo ornati vel non, pileati, pileo deſtituti etc. ratione ſimilitudinis, quae fungis eſt cum aliis rebus, ſunt indefinitae formae, cancellati, campaniformes, ſphae-

roides etc. ratione coloris ſunt vel vnius coloris vel varii, candidi, nigri, venis picti, maculati etc. Poſſunt quoque fungi, ſi in eorum naturam et indolem inquirimus, diuerſimode diſcerni; quorum alii carnoſi, lignoſi, tunicis praediti, alii cartilaginoſi, mucoſi, molles, duri, leues, graues etc. Differunt porro fungi, ſi naribus et lingua eos ſentimus, differunt loco, tempore, et creſcendi modo.

p. 29. Quibus ſeparatim conſideratis omnibus, inueniemus externam fungorum formam raro eſſe conſtantem, ſed plerumque variabilem. In ſuperficie internoſcenda veniunt primum, quae dicunt, eſſentialia, numerus ſcilicet ſuperficierum, conſtructio ſuperficiei inferioris, atque exterioris ſuperficiei forma; reliqua ad accidentalia pertinent.

Partes fungorum ita comparatae ſunt, vt earum quaedam ſemper adſint, quaedam deſint. Sunt vero partes, quae in fungis diſcernuntur hae: radices, ſtipes, volua et pileus. Quidam radice deſtituuntur, eiusque loco gerunt aliam quandam materiem, quaſi glutinoſam et corruptam. Aliis quidem ſunt radices, ſed ſine conſtantia et lege. Quare difficile dictu, quinam fungi prae reliquis ſemper radicem habeant. Stipes, altera fungorum pars, ſaepe apparet, interdum nullus eſt. Differunt quoque ſtipites, ſi externam eorum formam et figuram contempleris. Idem fere dicendum eſt de volua et pileo. Limbus et ambitus fungorum eſt variabilis, inconſtans color, lubrica ſaepe ſimilitudo, quam cum aliis rebus habere debeant. Interna fabrica et ſtructura, odor et ſapor in ſpeciebus conſtanter comprehenduntur, in generibus non eadem. Sunt fungi, qui ſtato tempore et certis locis e terra prorumpant, ſunt etiam alii, qui omni tempore et vbiuis locorum reperiantur. In diſtri-
p. 39. buendis et denominandis fungis Cl. Auctor Linnaeanam fungos diuidendi rationem ſequitur, hoc tamen diſcrimine,

diſcrimine, vt in diſponendis generibus diuidendi fundamentum e ſuperficie, tanquam praecipua parte, qua fungi vel maxime inter ſe conuenire et differe videntur, ſumſerit. Hinc nata eſt haec fungorum diſtributio.

Fungorum vaſcula ſeminalia, quae videntur propagationis cauſa adeſſe, inueniuntur

I. in ſuperficie inferiore, quae eſt
 1, lamellata, vt in *Agaricis*
 2, perforata et poroſa, vt in *Boletis*
 3, dentata, in *Hydnis*
II. in ſuperficie externa, quae eſt
 1, laeuis, vt in *Clauariis*
 2, cancellata et rugoſa, in qua
  a, areolae perforatae conſpicuae, vt in *Clathris*
  b, nullae perforatae, in *Phallis*
III. in ſuperficie interna, cui
 1, inſident, vt in *Eluelis*
 2, in ea iacent, quo caſu ſuperficies
  a, cyathiformis, vt in *Pezizis*
  b, ſphaeroides, in *Lycoperdone*
  c, capillaris et tenuis, in *Mucore*.

Qua poſita fungorum diuiſione vniuerſa genera poſſunt hoc modo definiri. *Agarici* ſunt illud fungorum genus, quorum ſuperficies inferior conſtat lamellis, quibus vaſcula ſeminalia adhaerent. *Boleti* ſunt fungi, quorum ſuperficies inferior poris et foraminibus eſt ornata, cui vaſcula ſeminalia inſident. *Hydnum* eſt fungus ſuperficie infima dentata, in qua vaſcula ſeminalia reperiuntur. *Clauaria* eſt fungus, vnica ſuperficie eaque laeui conſtans, per quam vniuerſam vaſcula ſeminalia ſunt diſperſa. *Clathrus* eſt fungus ſuperficie exteriore reticulata, perforata, cui fructificationes adhaerent. *Phallus* eſt fungus ſuperficie exteriore reticulata non perforata, quae vaſcula ſeminalia continet. *Eluela* eſt

 fungus,

fungus, variae et multiplicis figurae, cuius ſuperficiem interiorem vaſcula ſeminalia occupant. *Peziza* eſt fungus cyathiformis, cuius vaſcula ſeminalia velut in placentis incluſa inueniuntur. *Lycoperdon* eſt fungus figura rotunda, cuius interior ſuperficies ſemina innumera complectitur, quae ſaepe tanquam pollinem tenuiſſimum diſpergit. *Mucor* eſt fungus ex partibus villoſis et capillaribus compoſitus, cuius ſemina vel intus vel extrinſecus repeRiuntur.

Sic generatim fungi a Cl. Auctore diuiduntur et definiuntur; quo pacto autem genus quodque de-
p. 41 nuo deſtribuendum ſit, ſic docet; *Agaricorum* diſcrimina pendent, a materie: hinc quidam molles, carnoſi alii, alii paulo duriores, lignoſi; a pedunculo et ſtipite, ſunt enim quidam pedunculo intus vel cauo, vel ſolido, vel textili donato, alii pedunculo deſtituuntur; a radice, quae vel adeſt, vel deeſt; a proprietate interna; a modo creſcendi; denique a loco, quo naſcuntur. *Boletorum* ſubtiliores diuiſiones maximam partem cum agaricorum diſtributionibus, quas modo indicauimus, conueniunt, ſi ſuccum et creſcendi rationem excipias. *Hydnorum* diſcrepantiae eaedem ſunt, quae in boletis conſtitui poſſunt, ſunt tamen eis quaedam propriae, ſi craſſitiem, membranas, materiem, pileum, denticulorum loca in ſubſidium vocemus. *Clauariae*, vel ſimplices ſunt, vel ramoſae, differunt et colore, ſed haec differentia a colore ſumpta, ſimiliter a loco et tempore nobis tanti non eſſe videtur. De *Clathrorum* diuiſione nihil commemorat Cl. Auctor, quia nunquam, quod ipſe fatetur, eorum particeps fieri potuit. *Phalli* vel ex volua aliqua ſurgunt vel non, a pileo reliquae diuiſiones maioris momenti. *Eluelarum* diuiſiones propter variam et inconſtantem figuram difficiles ſunt, quod ſi vero ad pedunculum pileumque attendas, eas accuratius

ratius diſcernere poteris. In *Pezizis* forma, ſuperficies et color noua diuidendi fundamenta praebent. *Mucores* vel ſtatim ab initio corticem exareſcentem habent vel nullo cortice ornati ſunt, a pedunculo, radice, et ſuperficie reliquae diuiſiones pendent.

Cum non ſine vtilitate et iucunditate ſit fungorum hiſtoria et declaratio, eſt enim fungorum vtilitas, quanquam mortalibus non adeo cognita; non inutilem Cl. Auctor nauauit operam, quod in p. 51. fine ſui libelli, quo modo poſſit haec hiſtoriae naturalis pars magnum incrementum capere, conſilia quaedam adiecerit, quae nunc breuiter indicabimus: Sine iconibus, fungorum deſcriptiones et diſtributiones, etiamſi accuratiſſime elaboratae ſint, intellectu ſemper difficiles manent. Maxime conducit, ſi fungorum imagines viuis coloribus pingantur. In laude ſunt picturae generum et ſpecierum, ſed non ſufficiunt. Singuli fungi ita delineandi et pingendi ſunt, vt non modo, quae ſemper adſint diſcrimina, ſed quoque varietates omnes et ſitus varii exprimantur. Cum ſuperficies praecipua ſit fungorum pars, qua poſſint ab aliis internoſci, ideoque diligenter delineentur pinganturque neceſſe eſt. Fungorum variantes partes v. c. radix, annulus, color et reliqua, negligendae non ſunt, nam his poſtpoſitis facile fiet, vt, quae eiusdem ſint ſpeciei, pro diuerſis habeantur. Eſt quoque differentia in fungis aliqua, ſi aetatem eorum conſideres, quae ſaepe tanta eſt, vt inter iuniores et aetate maiores vix vlla ſuperſit ſimilitudo; atque propterea fungi in vtraque aetate pingantur, commendandae etiam ſunt eiusmodi delineationes et picturae, vbi fungi, inprimis illi, qui pedunculo innituntur, cognoſcendae ſtructurae cauſa, diuerſimode diſſecti repraeſententur. *D*elineentur fungi, qui cum gleba cui inhaerent, effoſſi ſeparatim quaſi educati et exculti ſunt; adiungantur tamen et

illorum imagines, qui ſub ioue creſcunt. Globuli illi, qui ſemen eſſe putantur, et naturali et aucta microſcopii ope magnitudine pingantur. Quaelibet pictura ſedulo et dilucide declaretur et deſcribatur. Examinentur fungi chimica ratione eorumque natura et indoles interna euoluatur. Si quaedam fungorum vtilitas et noxa cognita detectaque ſit, probe annotetur. Denique quae iam expreſſae et pictae ſunt fungorum imagines publici iuris fiant, deſcriptiones alio tempore opportuniori, nam temporis ratio habenda eſt. Nos qui cum voluptate legimus has praeceptiones omnes, optaremus quidem, vt et haec obſeruaretur, vt deſcriptiones fungorum vniuerſae et explicationes latine traderentur, ſic enim doctus quisque eiusmodi libro commode vti poſſet, nec vllus eſſet, qui de obſcuritate nominum vel alio incommodo, quod plerumque ex alio idiomate, latino excepto, proficiſcatur, librum accuſet.

XIII.

Plantarum americanarum faſciculus ſeptimus continens plantas, quas olim CAROLVS PLVMIERIVS Botanicorum princeps detexit eruitque atque in inſulis Antillis ipſe depinxit. Has primum in lucem edidit concinnis deſcriptionibus et obſeruationibus aeneisque tabulis illuſtrauit IOANNES BVRMANNVS M. D. Profeſſor Botanices Amſtelaedamenſis. Sumtibus Auctoris Amſtelaedami 1758. in fol. pl. 7. Tab. aen. XXV. a tab. 151 - 175. Eiusdem Faſciculus Octauus 1758. in fol. pl. 7. Tab. aen. XXVI. a tab. 176 - 201.

De

De ſeptimo et octauo plantarum americanarum faſciculo nunc exponere pergimus proxime finem operis indicaturi.

In ſeptimo nimirum faſciculo exhibetur Hieracium, quod ad ſic dictam Pulmonariam Gallorum propius accedit et eius forte varietas eſt; Iacobaea ſalicis folio ad Verbeſinam relata; duae Hypericoidis ſpecies, quae ad Aſcyrum pertinent; Iabotapita, quae Ochna eſt. Iacobaea helenii folio ad Solidaginem relata; duae Ianraiae ſiue Raiae vel Raianiae ſpecies; Iaſminum ſolani folio ad Loniceram, et aliud lauri folio ad Ixoram relatum, tertium quod ſolani folio minore eſt, in Iaſminis relinquitur, quartum tandem quod quoque lauri folio dicitur ad Citharexylon amandatur; Icago ſiue Chryſobalanus; Ketmiae ſpecies quatuor ad Hibiſcum repoſitae; Larix americana ad Pinum relata; Lauendula ſiue Sherardia nodiflora ad Verbenam pertinens; Meliſſae ſpecies quatuor, quarum prima ad Nepetam, ſecunda ad Ballotam, tertia ad Mentham, quarta ad Meſophaerum referuntur; Liguſtrum aculeatum quod Volkameria eſt; Lobelia portulacae folio; Linaria paluſtris, quae Vtricularia eſt; Lonicera ſiue potius Lorantus; Malpighiae ſpecies quinque; Maluae ſpecies tres, quarum prima et tertia ad Sidam, ſecunda vero ad Hibiſcum reducuntur; Mammei ſeu potius Mammea; Moncanillae ſiue Hippomane ſpecies duae; Manihot duae ſpecies, quarum prima ad Acalypham, altera ad Croton amandatur; Marcgrauia; Matthiola; Mentzelia; Onagrae ſpecies tres, quarum priores ad Oenotheram tertia ad Iuſſiacam reducuntur.

Ex obſeruationibus a Cl. Editore additis ſequentes repeti merentur. *Iabotapitae* ſiue *Ochnae* duae p. 147. ſpecies ſunt, quarum prima *Bockaerae*, altera *Malkaerae* Cingalenſibus dicitur, hanc illi adiunxit LINNAEVS, quoniam vero huius folia latiora, magis ouata et ſubtiliter ſerrata, flores non ſpicati ſed

 congeſti,

congeſti, et fructus ſimplices oliuaeformes ſine excreſcentiis deprehenduntur, genere diuerſas plantas
p. 149. eſſe Noſter iudicat. *Raia foliis quinis, oblongis, trineruiis* ſingularis prorſus planta eſt, folia quina enim non ex communi pedunculo digitata; ſed ſeparata ad ſingulum caulis geniculum petiolis propriis inſtructa emittit, florum racemus etiam non ex alis
p. 151. foliorum, ſed ex medio caule protruditur. *Icaginis* fructus nunc flauus, nunc niger, nunc purpureus eſt, *Chryſobalani* tamen nomen placuit LINNAEO, qui etiam *Myrobalanum* SLOANEI arborem foliis
p. 156. pinnatis, tota facie diuerſam, huic iunxit. *Liguſtrum aculeatum fructu teſticulato* PLVMERII, *Liguſtroides* Hort. Cliff. a SLOANE ad *Paliurum* ab AMANNO ad *Dugloſſiam* et a BROWNE ad *Clerodendrum* refertur, bacca tamen ſubrotunda bifida, binis nucleis referta pericarpio inſidente a Clero-
p. 159. dendro differt. *Lonicera flore coccineo, baccis nigris* PLVMIERII a reliquis huius plantae ſpeciebus corolla in ſex partes diuiſa, ſtaminibus ſex et bacca monopyrena differt, optime itaque a VAILLANTIO nouum genus *Loranthi* conſtitutum fuit. *Malpighia mali punicae facie*, quae foliis ouatis eſt ex delineatione Cl. Editoris additur, alia *vrens* folia ſetis rigidis recuruis adſperſa habet, et in ea racemi axillares ſunt, tertia, quae *foliis aquifolii amplioribus* inſtructa eſt, ad Mancanillam potius referri meretur, quarta *foliis dentato ſpinoſis* ad vrentem quodammodo accedit, vix tamen ex obſeruationibus hactenus collectis Malpighiae ſpecies ſatis definiri poſſunt.
p. 164. Ad *Mancanillae* ſiue *Hippomanes* ſpecies *foliis ſubouatis dentato ſpinoſis* et *foliis ouato oblongis ſerratis baſi glanduloſis* tertiam addit Cl. Editor, quae cum altera conuenit, ſed baſin glanduloſam non habet, fructum autem pyriformem, quam non diſtinxit BROWNIVS
p. 166. qui et *Huram* ad *Hippomanes* genus retulit. *Matthiolae* fructificatio tam ſingularis eſt, vt cum nulla

alia

alia conueniat, licet enim, cum germen infra fructum gerat, et corollam infundibuliformem limbo integro obtineat, ad Mirabilem proxime accedat, tamen cum ſtamina deficiant, diphyta forte videtur, genus itaque in loco natali accuratius definiendum eſt. Planta haec ad paraſiticas pertinere videtur. Monendum praeterea eſt *Lilioaſphodeli* ſeu *Amaryllidis* duas ſpecies *Magnoliam* et *Marantam* plantas, ab aliis Auctoribus melius depictas, Cl. Auctorem omiſiſſe.

Ad octauum faſciculum nunc progredimur, in quo viginti quinque *Helleborines* ſpecies primum proponuntur, ſub hoc nomine enim PLVMIERIVS varias plantas ob radicum et foliorum habitum conuenientes comprehendit, ita vt prima Conuallaria, ſecunda et tertia Ruſcus, quarta ad decimam, et decima octaua ad vigeſimam tertiam Epidendrum, vndecima et duodecima nec non vigeſima quarta et quinta Limodorum, decima tertia Serapias, decima quarta, quinta et ſeptima Ophrys, decima ſexta Orchis appellari mereantur. His interponitur Vanilla, quae quoque Epidendri ſpecies eſt. In hoc quoque faſciculo Cacti genus multis ſpeciebus illuſtratur et vndecim Melocacti et quatuor Opuntiae ſpecies delineantur et deſcribuntur, vltimo tandem loco Medicaginis ſpecies additur.

Addamus nunc quasdam Cl. Editoris obſeruationes. Species prima *Helleborines*, quam *Conuallariam caule articulato, vnifolio, bifloro* appellat corollam quinquifidam habet, et non niſi habitu ad hoc genus accedit, forte tamen eo iure, quo Vnifolium, ad Conuallariam pertinet. Sic quoque ſequentes duae ſpecies ad *Ruſcum* referuntur, quoniam habitu et floribus in baſi foliorum oriundis ad hoc genus accedunt, licet flos minus accurate depictus ſit. Ad *Epidendri* et plantarum congenerum ſpecies definiendas, multae quidem hic congeruntur deſcriptio- p. 171.

nes

nes et icones, dolendum tamen eſt, floris, in hoc genere inſigniter variantis, delineationes non ſemper accuratas exhibitas eſſe, cum itaque *Orchidum*, plantarum congenerum in noſtris terris creſcentium, definitiones maximis adhuc difficultatibus obnoxiae ſint, in his exoticis maior adhuc deprehenditur. Inter alias *Epidendri* ſpecies ea etiam, quae
p. 183. foliis ouato oblongis neruoſis, ſeſſilibus caulinis et cirrhis ſpiralibus inſtructa eſt, vt vera *Vanilla* officinalis a Cl. GEOFFROY deſcripta egregie delineata ſiſtitur. *Cacti* etiam variae ſpecies egregie delineatae et deſcriptae inueniuntur, in his quidem maior in floribus eſt conuenientia, cum tamen anguloſae figurae aliqua variatio occurrat definitiones ſpecierum quodammodo difficiliores ſunt. Inter alias *Cacti* ſpecies etiam *repens ſubquinquangularis* deſcri-
p. 191. bitur, quae et in noſtris hybernaculis flores amoeniſſimos profert, licet planta hic delineata frequentioribus faſciculis ſpinoſis obſita ſit. Flos huius, qui tarde euoluitur, conum format obtuſum, ſubtiliſſimis ſpinis refertum, dum ſe euoluit calicem magnum, quadruplici ſquamarum ſtrato conſtantem expandit, hora autem ſeptima veſpertina aperitur ipſe, duodecima tandem hora et candidiſſimo flore et ſuauiſſimo odore placet; ipſa autem planta licet flos ſolem fugere videatur, vernali tempore in hybernaculis ad feneſtras collocanda eſt, quo magis enim ſolis radiis illuſtratur, eo luxurioſior et magis florifera deprehenditur. Notandum quoque eſt, dulciſſimos harum plantarum fructus, qui aurantiorum malorum magnitudinem ſaepe attingunt, ob refrigerium, quod in feruentibus illis regionibus requiritur, maxime in deliciis haberi, ita vt hae plantae foliis deſtitutae et ſpinis horridae, primo aſpectu quidem fugiendae, ob praeſtantiſſimos tamen fructus aeſtimentur. Repentes ſpecies ſi nulla inueniunt

ueniunt ſuſtentacula, per terram proſerpunt, ſi vero arbores attingunt, fibrillis radicalibus in earum cortices, ſeſe dimittunt, et vt paraſiticae plantae nutriuntur.

XIV.

Diſſ. inaugur. de laeſa oſſium nutritione Praeſide D. CHRISTIANO GOTTLIEB LVDWIG. Therap. P. P. O. Fac. Med. Decano etc. Reſp. *Carolo Erneſto Oſchatz.* Lipſiae 1759. 4. pl. 4.

Occaſionem ſcribendi praebuit cadauer foeminae, p. 4. in quo oſſa emollita inuenta fuerunt. Diſquiritur ideo praecipue ea mutatio praeternaturalis, qua oſſa iam ſatis dura reddita in media aetate per deprauatam humorum indolem ad ſingularem prorſus fragilitatem ſeu mollitiem quandam deducuntur. Quo igitur haec apte declarari queant, phaenomena nutritionis oſſium cum incremento in iunioribus et ſine incremento in adultis allegat, et aliquam analogiam nutritionis partium mollium et oſſium aſſumit Cl. Auctor. In vtrisque nimirum p. 8. ſunt quaedam fibrae perſiſtentes et tenaces, quae baſin partium nutriendarum conſtituunt, in his vera quidem nutritio locum non habere videtur, ſed ſola humectatio, cum tamen haec non niſi cum ſeceſſione et acceſſione particularum fieri queat, vera etiam nutritio locum habet. Hoc quidem, ſi deſtructionem et receſſum particularum attendimus, ex ſenſu laſſitudinis, in ipſis oſſibus percepto, obſcure patet, ſed magis adhuc in ſenum oſſibus cognoſcitur, non lymphatico-oleoſas tantum particulas, ſed terreas quoque recedere, cum oſſa ſenum

non

non denſiora, ſed ſicciora, poroſa et fragilia inueniantur; in appoſitione autem vere oſſificus ſuccus, qui nimirum terreſtes particulas vt eſſentiales continet, adducitur, quod quidem ſi in ſana oſſium nutritione oſtendi non poſſet, in geneſi calli abunde declaratur.

p. 12. Praemiſſis his de nutritione oſſium phaenomenis ad nutritionem laeſam conſiderandam progreditur Noſter, et illum praecipue morbum declarat, quo ſecedentes particulae oſſeae non reſarciuntur, ſed ipſa dura materia prorſus euaneſcit; colligit itaque varias Auctorum obſeruationes, easque in claſſes diſtribuit, immobilitatem nimiam articulorum in ligamentis relaxatis minus recte ad oſſa referri, oſtendit et fragilitatis oſſium ſenilium nonnulla exempla profert, maxime vero a venerea labe, ſcorbuto et aliis cacochymiae ſpeciebus hanc oſſium fragilitatem et mollitiem inductam fuiſſe monet.

p. 20. Hos itaque oſſium morbos a defectu et deprauatione veri ſucci nutrientis, et ſpeciatim a peruerſa elaboratione et corruptione humoris ad intimam oſſium compagem deferendi dependere docet. Quaeſtionem vero num hac ratione oſſa arrodantur? an non nutriantur? ita definit: licet in attenuatis et non nihil emollitis oſſibus externa ſuperficies aſperior fiat, internae tamen oſſium, cylindraceorum praecipue, laminae magis ſecedunt et auferuntur, minime autem, vt in vlceribus oſſium internis et carie inde oriunda, vere eroduntur, ſed deterſione aliqua vniuerſali, cum defectu appoſitionis nouae, quae laeſam nutritionem vere declarat.

Cum autem multi auctores ad acidam acrimoniam oſſa arrodentem prouocauerint, operae pretium eſſe duxit, medullam ex oſſibus morboſis emollitis, et oſſa ipſa examini chemico ſubiicere, cum itaque medulla animalium ſolis herbis nutritorum acidi veſtigia oſtendat, in foemina, cuius nimirum

oſſa

oſſa diſquiſita fuerunt, victu parco vegetabili nutrita et vita ſedentaria vix non ſemper detenta, tanta forte acidi, non mutati copia adeſſe potuiſſet, qua oſſa eroſa et emollita fuerint. Experimenta tamen contrarium docuerunt, et licet ea repetere nequeamus, concluſa tamen inde collecta breuiter annotare placet. Medulla, morboſa reddita, ea acidi copia p, 27.
non ſcatet, quae cum vi arrodente acidorum menſtruorum immo mitiſſimo acido aceti comparari poſſit, neque acidum in oſſibus olei medullaris copia adhuc imbutis vt menſtrua fortius ſoluentia agunt, hinc omnino patet mixtionem humorum deprauatam, cauſſam huius morbi eſſe, licet difficile definiatur, num terreae particulae deficiant, an, licet praeſentes ſint, non rite apponantur. Ii vero, qui morbum grauiſſimum oſſium ſumme emollitorum foeminae *Supiot* deſcribunt, ad abuſum ſalis communis prouocant, quem quidem ex muriatica acrimonia nocere poſſe Noſter concedit, licet inde non euincatur, acidum ſalis communis ita extricari, vt eroſionis oſſium cauſſa ſit.

Ad cachexiam praecipue grauiorem veneream p. 29.
vel ſcorbuticam reſpicere tenemur, ſi in cauſſas laeſae oſſium nutritionis inquirimus, quamuis enim haec in mollioribus partibus haerens, non ſemper ad meditullium oſſium procedat, tunc tamen vehementius iam ſaeuit, ſi dolor aliquis vniuerſalis in oſſibus obſeruatur, qui et tunc ſurdus magis eſt, et cum eo non comparandus, qui ex vlcere interno oritur. Summum morbi gradum tandem declarant fracturae ex leui cauſſa euenientes, vel ipſa incuruatio per vim muſculorum facta. In curatione itaque ſuſcipienda leue initium morbi attendendum eſt, in quo vires vitae optima nutritione roborantibusque medicamentis ſuſtineri et acrimoniae cognitae demulceri, inuerti et eliminari poſſunt. An rubia

tinctorum, cuius color cum oſſibus communicatur, medelam afferre poſſit omnino tentandum erit. In externa tandem curatione balneis roborantibus vis conueniens denegari haud poterit.

XV.

PHILIPPI CONRADI FABRICII. Seren. Duc. Brunſuic. et Luneb. a Conſiliis aulicis, Med. Doct. et Prof. Publ. Ord. Helmſtadienſis etc. Programma Academicum, quo ſyllogen obſeruationum anatomicarum, ab anno 1754 ad annum 1759 in theatro academico Helmſtadienſi factarum, communicat, et nouas ſuas lectiones hybernas indicit. Helmſtadii typis Ioh. Drinbornii, 4. 1759 pl. $3\frac{1}{2}$.

Vt anatome corporis ſani phyſiologiae lucem accendit, quam in vniuerſam medicinam diffundit, ſic practica quoque anatome ſiue cadauerum morbo defunctorum diſquiſitio pathologiam et inde quoque medendi rationem egregie iuuat. Obſeruationes praeſentes ad hanc potiſſimum pertinent, Noſter enim omnes, quas in cadaueribus inuenit, mutationes morboſas vel inſolitas accurate conſignauit, quarum nos ſpeciminis loco nonnullas breuiter indicamus.

p. 5. In foemina macilenta octoagenaria longitudo canalis inteſtinorum, longitudine totius cadaueris vix triplo cum dimidio maior erat, tubus ipſe inteſtinalis ſolito anguſtior inueniebatur, alio vero in loco Noſter infantis trimeſtris exemplum affert, in quo canalis alimentorum nouies vel decies longior ipſo infante deprehenſus fuit, ex his itaque patet inteſtinorum longitudinem nunquam certam eſſe, nec ſexies maiorem homine, ex quo depromuntur.

In

In vetula nunc allegata alia viſcera ſana, alia labe quadam affecta erant, ideoque in genere monet, effectus ſenii non in omnibus viſceribus aequali ratione et gradu ſe ſiſtere. Sic etiam alio in caſu hydropicam commemorat, in qua hepar ſcirrhoſum et inſolitae magnitudinis erat, ad vmbilicum vsque extenſum, reliquis tamen viſceribus ſanis exiſtentibus.

In alia vetula cancer mammae ſiniſtrae cum p. 8. vlcere ſinuoſo verſus clauiculam et alas extenſo et glandulae ſubaxillares ſcirrhoſae deprehendebantur, brachium ideo ſiniſtrum inſigniter tumidum non veram pinguedinem, ſed craſſum, vbera vaccina cocta referentem, contextum celluloſum, ichoroſa ſanie ſcatentem exhibuit. Thymus ſteatoma referebat, pulmones cum pleura coaluerant cruſta lardo ſimili intercedente, polypi adipoſi in venis maioribus, glandulis praeterea variis ſcirrhoſis. Mirandum tamen eſt, in tanta humorum lymphaticorum corruptione lentem cryſtallinam non, vt in ſenibus, flaueſcentem, ſed puram, pellucidam, vt in infantibus, deprehenſam fuiſſe.

In hydropico abdomen tumidum ſplendens et p. 11. album inuenit, et pinguedini ſubcutaneae, in lympham acrem ex parte reſolutae et per cutim transſudanti, hunc cutis pallorem adſcribit Noſter, nimiae cutis tenſioni forte tribuendum. Vtraque thoracis cauitas lympha extrauaſata repleta erat, pericardii tamen liquore parciſſimo, quod quidem et aliis exemplis confirmatur. Lien in hydropicis vt plurimum in magnitudinem inſolitam increſcit, in atrophicis autem et macilentis vtplurimum exiguus eſt. Ventriculi laterales cerebri in hoc cadauere nullum ſerum continebant, licet glandula pinealis arenulis referta eſſet, in baſi cerebri et circa medullam oblongatam tamen inſignis ſeri copia reperiebatur. Scrotum hydropicum ita diſtentum

erat, vt vtraque membrana dartos, alias firmiter in ſepto coalita, facile diduci poſſet. Praeputium tandem tumidum glandem quaſi referebat, veram glandem retrorſum prementem.

p. 12. Suſceptio inteſtinorum, a vermibus orta, exponitur, quae raro adeo confirmata eſt, vt non facile iterum cedat et reſoluatur.

p. 15. In foemina, quae lue venerea laborauerat, et bis ſaliuationem mercurialem ſuſtulerat, pinguedo ſubcutanea ferme in gelatinam reſoluta erat. In alia foemina triginta annorum lobus dexter, pulmonum pleurae adhaerens, atro ruber et hepatis inſtar denſiſſimus reperiebatur et hic, et integer, et in partes diſſectus, in aqua ſubſidebat manifeſto indicio, hoc experimentum in infantum vita definienda non valere, niſi in pulmonibus ſanis viſis. In hoc ipſo cadauere bicipiti brachii muſculo tertia portio carnoſa a medio oſſis humeri accedens iungebatur.

p. 17. Iuuenis ruſticus viginti annorum robuſtus, a ramo arboris craſſiori abſciſſo percuſſus, in integumentis nullum, niſi ſuper ſupercilium ſiniſtrum exiguum vulnus habebat, oſſa tamen naſi, frontis, bregmatis, et temporum in plurimas partes diffracta erant, cum inſignibus menyngum et cerebri laeſionibus. Aorta in thorace et abdomine ſolito anguſtior, et truncus arteriae pulmonalis amplior quam aortae inueniebatur.

p. 20. In viro ſexaginta annorum in veſica prope inſertionem vreterum duae herniae ceu appendices conſpiciebantur, quae a ruptura tunicae internae nerueae ſine extrauaſato tamen ſanguine ortae fuerant. In hoc ipſo viro tres coſtae fractae, ſed callo facile ſolubili iunctae erant, calli ideo geneſin in coſtis nunquam quieſcentibus vix firmam reddi poſſe Noſter arbitratur, vidimus tamen et in his oſſibus interdum callos ſatis firmos.

Vetula

Vetula quaedam, procidentia vteri laborans, diſquiſita oſtendit, quasdam foeminas natura ad hunc morbum diſponi, illas ſcilicet, quibus peluis ſolito amplior et arcus oſſium pubis maior deprehenditur; in his tamen hoc vitium cum ſenſim increſcat, tolerabilius eſſe videtur, quam in aliis, vbi ex partu difficili vel alia violenta cauſſa oritur, vbi nimirum ſpaſmi hyſterici vehementiores ſunt. p. 24.

Dextrum thoracis cauum ſiniſtro amplius aſſumitur, obſeruationem tamen Noſter adducit, qua oſtenditur, ſine ſpinae dorſi diſtorſione praeternaturali, ſiniſtrum thoracis cauum dextro amplius deprehenſum fuiſſe. p. 27.

XVI.

Diſcours hiſtorique et critique ſur le Traité des Maladies des Os de feu M. PETIT. par M. LOUIS Profeſſeur et Cenſeur Royal Chirurgien-Maior-Adjoint de l'Hopital de la Charité de Paris, Aſſocie de l'Academie des Sciences, des Belles-Lettres et des Arts de Rouen etc. in 8. pag. 119. Fig. aen. 2.

h. e.

Sermo hiſtorico-criticus ſuper tractatu de morbis oſſium Cl. PETIT. Auctore Cl. LOUIS.

IOHANNES LVDOVICVS PETIT Clariſſimus inter Gallos chirurgus, cuius vitam et merita nos alia data occaſione ex elogio Cl. LOUIS indicauimus *, inprimis quidem oſſium morbos diligentius pertractauit, nunc cum anno 1758 tractatus Eius de

* vid. Comment. noſtr. Vol. I. P. I. p. 155.

oſſibus Pariſiis denuo in lucem ederetur et ipſe quidem ab editione, 1741 euulgata, vix differat, libri ſatis cogniti recenſionem exhibere ſuperuacaneum fuiſſet, non poſſumus tamen ſermonem praeliminarem negligere, quem Cl. LOUIS primo tomo nouae huius editionis adiunxit, cum fata huius libri eiusque praeſtantia egregie in eo declarentur.

p. 10. LAVRENTIVS VERDUC, Pater, iam anno ſuperioris ſeculi octuageſimo nono cum faſcias applicandi rationem traderet, de fractis et luxatis primariis morbis oſſium egregie diſſeruerat, nihilominus Cl. PETIT anno huius ſeculi quinto, libellum de curandis morbis oſſium, lectionibus ſuis chirurgicis accommodatum edebat, et cum poſt ea tempora omnem chirurgiam continuato ſtudio coleret, et varia ſpecimina in commentariis academiae ſcientiarum Pariſinae traderet, etiam hunc ſuum de oſſibus tractatum ita perficiebat, vt editio noua, quae anno vigeſimo tertio in duobus voluminibus eualgabatur, iam longe praeſtantior prodiret. Inuidiam nonnullorum Virorum, inprimis Cl. ANDRY non effugere poterat eruditum hoc opus, ille enim cum inſtitutum laudare cogeretur, quaedam tamen carpere non intermiſerat. Imprimis vero aſſertum de rupto vtroque Achyllis tendine, in celebri quodam ſaltatore *Cochoix* dicto, a multis negabatur; quam quidem controuerſiam Cl. LOUIS ſuccincte enarrat et, dum medendi methodum declarat, in commodum chirurgicae artis conuertit.

p. 20. In ruptura tendinis disiunctae partes ad ſe inuicem ducendae et tamdiu in tranquillo ſitu retinendae ſunt, donec coaleſcant. Hunc in finem Cl. PETIT faſciam primo eligebat, quae a planta pedis incipiendo vsque ad genu circularibus conuolutionibus aſcende-

aſcendebat, et ſplenium anguſtum poſterius a regione poplitaea ad calcaneum vsque applicatum vtroque extremo ita figebat, quo extenſionem pedis maximam ſuſtineret, et gemellum muſculum eo vsque deprimeret, quo disrupti tendinis partes ſe inuicem attingerent. Haec erat vera medendi ratio, quae faſcia applicata perfici poterat. Haec vero non niſi a chirurgo peritiſſimo applicanda erat, et interea partes nimium comprimebat, et applicationem topicorum remediorum ad partem laeſam non admittebat, ideoque in eo caſu, vbi tendo vulnere aperto diſciſſus eſt, locum non habebat. Cum igitur aptiori apparatu opus eſſet, illum Cl. PETIT inueniebat et Noſter eundem et deſcriptione concinna et icone addita illuſtrat. Cingulum paratur ex corio denſo, alio molliori intus obducto, quod ea parte, qua ad regionem poplitaeam apponitur, integrum eſt, poſtea vero in quatuor partes diuiditur, quarum duae ſupra genu, duae infra genu combinantur et firmiter adſtringuntur, quo punctum fixum obtineatur. Pes extremus ſolea excipitur, cuius poſteriori parti ſupra calcaneum aliud corium adſuitur, quod ſupra ſuram aſcendit, et circa cylindrum poſteriori cinguli ſupra deſcripti parti in regione poplitaea affixum ita voluitur, vt et adſtringi et quodammodo relaxari poſſit, quo hoc ipſo corio et pes extremus maxime extendatur et ſurae muſculi deprimantur. Adduntur alia de cauſſis et ſymptomatibus rupti tendinis Achyllis et ſimilis ferme apparatus, quem Cl. MONRO inuenit *, deſcribitur.

Alia controuerſia, quae ſuper hoc tractatu mota fuit, inſtrumentum, ad luxati humeri repoſitionem p. 38.

 tionem

* vid. Eſſays and Obſeruations phyſical and litterary read before a Society in Edinburgh. Vol. I. p. 450. Tab. VIII. et Comment. noſtr. Vol. V. Part. I. p. 77.

tionem aptum, quod ex ambe et polyſpaſto compoſitum, a Cl. PETIT ingenioſe inuentum fuerat concernit. Concedit Noſter explicationem mechanicam huius inſtrumenti, quam inuentor appoſuerat, cenſuram quandam promeruiſſe, et porro monet compreſſionem partium mollium, quae ab omni inſtrumento, repoſitioni humeri luxati dicato, euenit, nec in hac machina euitari poſſe; oſtendit tamen, cum accuſationes magis declinare, quam reuellere ſuſcipit, quam caute omnia haec incommoda a Cl. PETIT indicata fuerint, additis inſuper conſiliis, de cute retrahenda, et ſitu muſculorum obſeruando.

p. 47. Excurrit hac data occaſione in laudes HIPPOCRATIS aliorumque veterum ſcriptorum, ratione inuentionis eruditae machinarum chirurgicarum, et porro docet, quomodo chirurgus his morbis opem laturus partium fabricam et imprimis muſculorum varium ſub varia actione et extenſione ſitum, antagoniſmum et cooperationem, dignoſcere debeat, quando has luxationes ſcite dirigere ſuſcipit; tandem addit, has operationes tutius et melius manuum ope perfici, cum machinae haud raro maiora partium adiacentium incommoda inducunt, quam quae a laxatione pendent.

p. 69. Additis variis, quae hanc controuerſiam concernunt, annotationibus ad maxillae inferioris luxationem progreditur, in qua pertractanda, cum partium fabricam non ſollicite ſatis explicauerit Cl. PETIT, in cenſuram diſſentientium incidit: cum tamen ad chirurgiam tantum reſpexerit, Noſter ad aequum hac in re a Cl. MONRO propoſitum judicium prouocat. Hic enim ipſe in ſua hac de re exhibita

* Medical Eſſays and Obſeruations reviſed and publiſhed by a Society in Edinburgh. Vol. I. Obſ. XI. p. 124 ſeqq.

exhibita tractatione et partes deſcripſit et enchireſes, in repoſitione luxatae maxillae praeſtandas addidit. Agit vero Cl. LOUIS hac data occaſione de luxatione maxillae inferioris retrorſum facta, quam Cl. VOGEL aſſeruit, et quam nos paulo ante deſcripſimus *; quam vero fieri poſſe negat, et ad alios chirurgos veteres et modernos prouocat, qui quoque eandem cum Cl. MONRO negant, et prorſus impoſſibilem pronuntiant. Nec Cl. IOHANNIS DE VIGO aſſertum ** de hac luxatione verſus poſteriora valere contendit.

Arcula Cl. PETIT ad fracturam cruris complicatam melius tractandam inuenta, ab aduerſariis ipſis maxime laudata, et in variis libris delineata hic tangitur, et perfectior deſcriptio et delineatio traditur. p. 77.

His miſſis ad nouas reprehenſiones Cl. ANDRII circa luxationem humeri examinandas ſe conuertit Noſter, hae in theſi in cathedra medica Pariſienſi 1732 defenſa, *an in humeri luxatione ambe potius quam ſcala, ianua, polyſpaſtusque iterato renouata?* propoſitae fuerunt, ſed nouas vix continent accuſationes, praeter eas, quas paulo ante expoſuimus. Hac occaſione varia de controuerſiis aliis, a Cl. ANDRY motis, ſimul recenſentur, quo pateat, eum aliorum quoque virorum celeberrimorum acrem fuiſſe cenſorem. Tandem aſſenſum, quem Cl. PETIT inter exteros ab HEISTERO, BOERHAAVIO, VAN SWIETEN et PLATNERO promeruit, ad demonſtrandam excellentem eius doctrinam commemorat. p. 79.

* In hac ipſa Parte pag. 123.
** Opp. Chirurg. Lib. VI, cap. 2.

p. 98. Noſter vero non negligere poterat tractatum de morbis oſſium, qui poſt obitum Cl. PETIT Pariſiis editus fuit *. Cl. DU VERNEY, Academiae Scientiarum Pariſinae Socius, anno trigeſimo huius ſeculi mortuus, eundem exaratum in ſchedis manuſcriptis reliquerat, et fratris filius Academiae Regiae Chirurgicae Socius, et in Horto Regio Anatomiae et Chirurgiae Demonſtrator eum publici iuris facere decreuerat, ſed cum et hic anno quadrageſimo octauo diem obiret ſupremum, alius editor tandem eundem nobis tradidit. Hic quidem amplior eſt, Cl. LOUIS tamen in aeſtimando libro ad doctrinam potius reſpiciens iudicat, praeſtantiam operis Cl. PETIT poſt editionem tractatus Cl. DU VERNEY non diminui. In hoc tractatu poſſibilitas fracturae longitudinalis oſſium cylindraceorum adſtruitur, quam Cl. PETIT ideo negauerat, quoniam impetus fiſſuram longitudinalem inducens cogitari non poſſet, niſi is ſimul fracturam transuerſam efficeret. Hanc ob cauſſam Noſter tria exempla, quae Cl. DU VERNEY ad euincendam fiſſuram longitudinalem adduxerat, ſub examen reuocat, et aſſertum ex iis minime comprobari oſtendit, ſimulque monet, Cl. HEISTERVM has ipſas fracturas, non vt decet, declaraſſe et ad exempla a Cl. HAYNE et FELICE a WÜRTZEN allata minime prouocare potuiſſe.

* Traité des maladies des Os par M. DU VERNEY. a Paris. 1751. 12 mai. Tom. I et II. vid. Comment. noſtr. Vol. I. Part. IV. p. 640.

XVII.

Der Arzt, eine mediciniſche Wochenſchrift. Erſter und andrer Theil. Hamburg bey G. C. Grunds Wittwe, 1759. 8. 2 alph. pl. 7.

i. e.

Medicus, ephemeris medica. Pars I et II.

Mirum forſan quibusdam videbitur, nos huius ſcriptionis mentionem iniicere, cum hucusque eum ſeruauerimus ſemper morem, vt eiusmodi tantum eruditorum ſcripta indicaremus, quae dogmatice elaborata, vel verum ſyſtema cuiusdam medicae aut phyſicae doctrinae tradant, vel alia quacunque ratione ipſam medicinam perficiant. Nec tamen ſua prorſus deſtitui vtilitate eos exiſtimamus libellos, qui vel iocoſe proferunt talia, quae diſplicerent plurimis, ſi ſerio tractata fuerint, vel et grata ac iucunda dictionis forma verborumque facundia ea proponunt, quae, quamuis omnibus ſcitu ſint neceſſaria, ob rei momentiue grauitatem vix a paucis legi ſolent. Hocce artificio iam plures illuſerunt ciuibus ſuis, vti ADDISSONIVS et FONTANELLE, qui in ſuis diariis morum ſuſceperunt culturam, et iocoſe perſtringendo ciuium ſuorum vitia feliciori omnino ſucceſſu in iis emendandis allaborarunt, quam alii morum doctores, qui huius ſcientiae praecepta ſolide ac docte tradiderant. Nec deſiderantur in iurisprudentia, nec in ipſa ſanctiori doctrina auctores, qui eodem artificio vſi fuere et facunde proponendo effecerunt, vt arriderent lectoribus ea, quae ſerio dicta ipſis nauſeam ac faſtidium crearent. His tam praeclaris exemplis Cl. Auctor incitatus, conſtituit pro ciuium

ſuorum incolumitate ea ex arte medica diſputare, quae ad eorum ſanitatem ſpectare poſſent. Hunc igitur ſibi praefixit ſcopum, vt, cum prodeſſe velit, ſimul et delectare queat. Perſtringit hanc ob cauſam mores noſtros peruerſos, tam eos, quibus medicus et arti et ſibi nocet, quam eos, quibus aeger in vituperium medici vtitur. Tradit diaetae vniuerſales aeque ac ſpeciales quasdam regulas, vituperat, quos committunt in tuenda corporis ſalute, errores vitiaque, quae in educatione infantum animaduertit. Remouet opprobria, quae rationalibus medicis obiiciunt cenſores a medicaſtrorum et agyrtarum exemplis petita: et interdum quoque breuibus corporis animalis mechanismum et oeconomiam explicat, vel corporum quorundam naturalium hiſtoriam adfert. Cum enim recte putaret Noſter, quemuis poſſe facillimo negotio maxima et vitae et ſanitatis diſcrimina euitare, ſi quodammodo ſui corporis cognitione inſtructus ſit, id agere anniſus eſt, vt varia pro hoc ſcopo alleget. Inuenimus hic multa vtilia argumenta, quae maximam partem diaetae regulas exponunt. Periodicum ſcribendi genus ideo elegit, quoniam hac ratione ipſi ſemper licebit, eiusmodi ad tractandum eligere momenta, quae vſui eſſe poſſunt, et quae temporis ratio ac genius ſeculi poſtulare videntur. Hunc quoque praefixum ſcopum laudabiliter eſſe conſecutum Cl. Auctorem ingenue fatemur. Ipſa enim ſcribendi elegantia non ſolum quosuis delectabit lectores, ſed et tantos ipſis praeſtabunt in libello tractata argumenta vtilitatem vt vitia diaetae corrigere, varia, quae ſanitati obeſſe poſſent, emendare, et quorundam naturalium corporum cognitionem acquirere poſſint. Sunt nimirum multa in hoc diario congeſta, quae iis, qui artem non profitentur, ex vniuerſa medicina ſcitu vtilia videntur, ſimul vero et ex theoretica

parte addita ſunt varia, ſine quibus intelligi non poſſunt regulae practicae, quas tradidit. Vt vero Lectori de ipſius libri praeſtantia certius conſtet, opportunum erit, recenſere quasdam libri particulas, quae noſtram attentionem prae aliis incitarunt.

Part. I. n. 3: *de aquarum medicatarum vſu vernali.* Quae vita ſedentaria per hyemem corporibus inducere ſolet damna ea potiſſimum hacce conſuetudine ob exercitationem corporis diaetamque accuratiorem, quae ſimul obſeruatur, corriguntur. Addit eorum fontium, quos pro vſu medico in Germania adhibere ſolemus, deſcriptionem breuiuſculam, et Pyrmontanas, Egranas, Selteranas, Antonianas, Wildungenſes, Swalbacenſes, Spadanas; ex martiatis Radebergenſes, Lauchſtadienſes, Bebranas, Freyenwaldenſes et Weiſſenburgenſes; inter ſalinas Sedlitzenſes et Seydſchützenſes commendat, quibus ob aquae puriorem indolem adnectit Schleuſingenſes ac Schlangenbadenſes. Pauca denique de cura lactis vernali adiicit, quosque ab ea expectare poſſimus vſus, et in quibusnam corporibus adhiberi queat, explicat, et docet qua ratione ſerum lactis et acidulum et dulce parandum ſit.

No. 6. *de natura corporis humani.* Cum vtile omnino ac neceſſarium iudicet, homines eſſe inſtructos de corporis ſui machina iisque, quos producere valet, effectibus, pauca de hoc mechanismo diſputare operae pretium duxit. Finis actionum quarumuis in noſtro corpore eſt vel nutritio ac conſeruatio machinae, vel ſenſatio, vel motus, vel propagatio. Prima hinc addit phyſiologica fundamenta de digeſtione, praemiſſa ſuccincta ac breui organorum, huic negotio dicatorum, anatomica deſcriptione. Ex quibus diſtincte expoſitis quiuis ſibi notitiam huius operis formare poterit. Ex

digeſta

digeſta, hoc dicto modo, materia et partium nutritio, et earum particularum quae vel ad ſenſus, vel ad motum, vel ad generationem requiruntur, praeſtatur in variis corporis partibus ſecretio.

No. 9. *de arte morbos ex ſignis externis tantum, praecipue vrina, diiudicandi.* Acriter inuehitur in medicaſtros, qui lucro commoti omnem morbi decurſum ex vroſcopia determinare audent, et in eos quoque aegros, qui tale quid a medico poſcunt, aut expectant. Monſtrat poſſe quidem medicum interdum et ſigna prognoſtica et diagnoſtica ex lotio aliisue externis ſignis, pulſu v. c. ſudore, linguae habitu cet. petere, nec tamen ea omnia ſufficere, recte monet, ad morbi veram ideam formandam, et tunc demum indicium ex iis deſumi poſſe, ſi ex aliis ſignis ex corporis actionibus impeditis iam de cauſa morbi rite inſtructus fuerit medicus. Hanc quoque ob rationem addit catalogum quaeſtionum earum, ad quas attendere quiuis aeger debeat, ſi abſenti medico ſuae aegritudinis ideam efficere cupit.

No. 23. *Hiſtoria corticis Peruuiani.* Praeſtantiſſimi huius corticis effectus, cum periculoſiſſimis duobus morbi generibus, putredini nempe ac gangraenae is medeatur, ſummi omnino momenti videtur.

Ex Cl. CONDAMINE deſcriptione optimus cortex in monte *Cajanuma* prope *Loxam* colligitur. Adulteratur *Chacarillae* et *Alizier* cortice, quos exercitatus tamen oculus probe diſtinguit. In Peruanis regionibus non *Quinquina* ſed *Cortega de Loxa* vel *Caſcarilla* dici ſolet, miratur hinc Noſter, quid ſit, quod in noſtris aliisue prouinciis hoc nomine inſigniatur. Contra febres intermittentes in vſum vocare primo conſueuerunt medici, cum tamen ex peruerſo eius vſu multa oriri viderent incommoda,

reiicere

reiicere eum, imo pro veneno habere inceperunt ii, qui de effectibus tantum, non vero de eorum cauſis ſolliciti erant. Diſquirit ideo Noſter, quae ſint mali euentus huius cauſae, et tandem recenſet alios morbos, quibus tuto ſatis ac cito cortex hic ſaluberrimus medeatur eumque pro vero contra gangraenam ſpecifico meritis laudibus extollit.

Part. II. no. 41. *de opio* diſſerit. Succus hic ex papaueris capitibus elicitus, a veteribus *meconium* dictus, varias ſui differentias offert. Album opium, *Mesri* quod appellatur, optimum eſt, et ex *Cairo* apportatur; nigrum et duriuſculum ex *Aden*, et flauum, quod molliuſculum, ex *Cambaia* et *Decan* venit. Doſis a conſuetudine determinatur. Adfert noſter Turcae cuiusdam exemplum, qui quotidie 3 drachmas et vltra deuorabat. Effectus nociuos longo catalogo recenſet, quanquam et fatetur, mira poſſe eius vſu effici a rationali medico, qui rite et iuſto tempore illud adhibere noſcat. Licet vero opium in inteſtinorum canali fortius agat, mitiſſimos tamen tantummodo producit effectus ſanguini animalis cuiusdam infuſum. Vulneribus autem inſperſum melancoliam et miras conuulſiones excitat. Omnes vero effectus et nociuos et ſalutares ſola experientia nos docet. Hinc prodeſſe monet Auctor opium ſi rite adhibetur in nephritide, in parturientium doloribus et mitigandis et prouocandis, in infantum diſpoſitione rhachitica; nocere vero in hecticis, quamuis hi poſt eius vſum mire delectentur, in vulnerum ſuppuratione cet.

No. 46. *de torpedine* eiusque miris effectibus in concutiendis corporis partibus agitur in literis adiectis, veroque ſimile ipſi videtur et experientia commonſtratum, eosdem poſſe expectari ab hac concusſione in paralyticis membris vſus, quos dicitur praeſtare vis electrica in corporibus mota.

XVIII.

XVIII.

Noua phyſico - medica.

Nomina Doctorum Regentium Facultatis Medicae Pariſienſis *.

IACOBVS BENIGNVS WINSLOW, Antiquior Scholae Magiſter, Cenſor Regius, Regiae Scientiarum Academiae, Regiaeque Societ. Berolinenſis Socius, Teutonicae Linguae Regius Interpres, in Horto Regio Anatomes et Chirurgiae Profeſſor Antiquus.

M. CA-

* Reddimus hic catalogum Doctorum Facultatis Medicae Pariſienſis, non mutatum, qualem Pariſiis praecedenti anno 1759 ab amico, fide digno, accepimus et licet ex his nonnulli ex eo tempore e vita diſceſſerint, vt Cl. WINSLOW, illum tamen integrum tradere conſultius duximus, quam noſtra emendatione errores committere. Nec ingratum lectoribus noſtris fore, nobis perſuadere videmur, ſi paucula illa, quae de hoc ordine academico edocti fuimus, cum iis communicauerimus.

Praeeſt huic ſocietati medicorum academicae Decanus, (*Doyen en Charge*) cuius vero munus, cum non perpetuum ſit, ex ordinis huius legibus poſt anni decurſum in alium tranſit; plerumque tamen duo conſumuntur anni, priusquam noua inſtituitur electio, quae primo die Saturni poſt feſtum, in memoriam omnium ſanctorum celebratum, fieri ſolet. Auctoritas vero huius muneris non ſolum intra hanc ſocietatem recluditur, ſed quoque latius patet, locum etenim Decanus etiam occupat in iudicio Rectoris Academiae. Munere functi vocantur *Decani antiqui*. Eodem die, quo hic Decanus eligitur, Profeſſores quoque conſtituuntur, quibus per hunc annum artem medicam docendi demandatur officium. Horum ſunt ſex, phyſiologiae ſcilicet, pathologiae, pharmaciae et botanices. Cum vero chirurgia non ſolum artis medicae ſtudioſis, ſed etiam iis,

M. CAMILLVS FALCONET, Salubris Conſilii Regii Socius, e Regia Inſcriptionum et Numismatum Academia.

M. FRANCISCVS POUSSE, Eques.

M. PETRVS ANTONIVS LEPY.

M. CLAVDIVS ANTONIVS RENARD.

M. MICHAEL LVDOVICVS VERNAGE, Eques et Regius Cenſor.

M. LVDOVICVS CLAVDIVS BOURDELIN, Antiquus Facultatis Decanus, Regiae Scientiarum Academiae Socius, Regiaeque Societatis Berolinenſis, et in Horto Regio Chymiae Profeſſor.

M. EMA-

iis, qui vnice chirurgiae ſunt dediti, tradatur, hi vero linguae latinae vtplurimum rudes eſſe ſoleant, duo conſtituuntur Profeſſores, quorum alter chirurgiam lingua latina, alter gallica in commodum chirurgorum doceat. Inter plurima, quae hic ordo academicus exequitur officia, hoc admodum ſalubre videtur et potiſſimum in ſalutem pauperum cedit, quod qualibet hebdomade, die quippe Saturni, Decanus, qui tunc temporis ordini praeeſt, et ſex Doctores, ſecundum ordinem inſcriptionis electi, in auditorio ſcholae ſuperioris conueniant eo conſilio, vt pauperibus contra morbos, quibuscum vel ipſi, vel alii conflictantur, ſalutaria gratis exhibeant conſilia. Praeterea hoc quoque conſuetudinis eſt, vt Decanus modo dictus et duodecim membra huius ſocietatis conuentum habeant, in quo morbi epidemici, ſi qui forte praeſenti vel præterito menſe ſaeuirent, et inprimis maligni referuntur, expenſaque illorum indole et collectis conſiliis methodi ſtabiliuntur, quibus hi morbi ſint oppugnandi. Huic conuentui dies Saturni is, qui primus eſt ſingulorum menſium, conſtitutus eſt.

Ab eo, qui ad hunc ordinem academicum adſpirare vult, plura poſtulantur, quae praeſtare debet, vt conſtet, illum tanto eſſe non indignum honore. Ante omnia requiritur, vt ſit vel artium liberalium Magiſter et demonſtret, ſe quadriennium in arte medica

M. EMANVEL MAVRITIVS DU VERNEY.
M. GVILIELMVS DE MAGNY.
M. DAVID VASSE.
M. NICOLAVS LE ROY DE SAINT AIGNAN, Eques.
M. LVDOVICVS HIERONYMVS COSNIER.

M. IOAN-

medica addiſcenda in hac Pariſina Academia conſumſiſſe, vel ſit Doctor exterae alicuius Academiae. Deinde ſe primo ſubmittat examini, quod integram hebdomadem perdurat, in qua in eius ſcientiam, in phyſiologia, hygiene et pathologia acquiſitam, inquiritur, viresque eius tentantur in explicandis aphorismis HIPPOCRATIS. Hoc facto, nondum ipſi licet vlterius progredi, ſed duos annos expectare iubetur, intra quos quatuor theſes medicae, quae cum quaeſtionum forma proponantur, *Quaeſtiones* vocantur, palam in cathedra ipſi ſunt defendendae. Tres deſumuntur ex phyſiologia, pathologia et chirurgia et barbaro nomine dicuntur *Quaeſtiones Quodlibetariis Diſputationibus diſcutiendae;* vna vero, ex hygiene depromta, *Quaeſtio Cardinalitiis Diſputationibus diſcutienda* nuncupatur. Quatuor praeterea ſunt ſubeunda examina, quorum quodlibet iterum integram durat hebdomadem. In primo examinatores expiſcari ſolent, quantum profecerit candidatus in hiſtoria materiae medicae. Secundum anatomiae et tertium chirurgiae eſt deſtinatum. In vtroque vero non ſolum hiſtorica ſcientia, ſed et dexteritas quaedem poſtulatur ex vtriusque doctrinae legibus et apte cadauera diſſecandi et operationes chirurgicas inſtituendi. Quo itaque hanc oſtendere poſſit candidatus, cadauer ipſi proponitur, quod non ſolum manu ſua artificioſe diſſecare, ſed etiam in illo operationes chirurgicas perficere debet. Quartum tandem examen inſtituitur in medicinam clinicam. Quibus omnibus praeſtitis denique a membro quodam facultatis Doctor creatur, pileo, honoris iſtius documento, capiti impoſito formulaque Benedictionis ex ritu eccleſiaſtico a Cancellario Noſtrae Virginis ſuper eo recitata.

M. GVILIELMVS IOSEPHVS DE L'EPINE, Antiquus Facultatis Decanus, Rei Herbariae pro temp. Profeſſor.

M. IOANNES BAPTISTA DU BOIS, Profeſſor Regius emeritus.

M. FRANCISCVS MERY.

M. IOANNES ASTRUC, Salubris Conſilii Regii Socius, Regis Poloniae AVGVSTI II. et Electoris Saxoniae, dum viueret, Medicus Primarius, Profeſſor Regius.

M. BERNARDVS DE IUSSIEU, Regiae Scientiarum Academiae, Regiaeque Societatis Londinenſis Socius et in Horto Regio Botanices Prodemonſtrator.

M. IOANNES BAPTISTA BOYER, Facultatis Decanus, Eques Ordinis Regii S. Michaelis, Regis Conſiliarius Medicus in Supremo Senatu ac in Generali Praefectura Pariſienſi, Militarium Regni Noſocomiorum Inſpector, Regius Librorum Cenſor et Societatis Regiae Londinenſis Socius.

M. PAVLVS IACOBVS MALOUIN, Reginae Medicus Ordinarius, Regiae Scientiarum Academiae, Regiaeque Societatis Londinenſis Socius, Regius Librorum Chymicorum Cenſor.

M. ANTONIVS NICOLAVS GUENAULT.

M. LVDOVICVS PETRVS LE HOC.

M. RAYMVNDVS DE LA RIVIERE.

M. ANTONIVS CASAMAIOR, Cenſor Regius.

M. LVDOVICVS MARIA POUSSE, Eques, Cenſor Regius.

M. HYACINTHVS THEODORVS BARON, Pharmaciae pro tempore Profeſſor, antiquus Facultatis Decanus, nec non Caſtrorum Regis ac Exercituum in Germania et Italia Proto-Medicus.

M. IOANNES BAPTISTA LVDOVICVS CHOMEL, Facultatis Exdecanus et Academiae Cenſor, Medicus Regis Ordinarius.

M. ACHILLES FRANCISCVS FONTAINE.

M. IOSEPHVS DE IUSSIEU, Regiae Scientiarum Academiae Socius.

M. IOANNES DE DIEST.

M. FRANCISCVS FELICITAS COCHU.

M. CLAVDIVS CAROLVS DEIEAN.

M. IACOBVS ALBERTVS HAZON.

M. GASPARDVS COCHON DU PUY, Eques, Regis Conſiliarius et in arce maritima Rupifortenſi Anatomes ac Chirurgiae Profeſſor Regius.

M. TVSSANVS GILBERTVS BOULLAND, Conſiliarius et Medicus Regis Ordinarius in eius Caſtelleto.

M. CAROLVS PAYEN.

M. BARTHOLOMAEVS MURRY.

M. ANTONIVS FERREIN, Profeſſor Regius, Regiae Scientiarum Academiae Socius, in Horto Regio Anatomes et Chirurgiae Profeſſor.

M. MICHAEL IOSEPHVS MAIAULT.

M. MICHAEL PHILIPPVS BOUVART, Regiae Scientiarum Academiae Socius.

M. IOANNES IACOBVS BELLETESTE.

M. LAVRENTIVS FERRET, Eccleſiae Cameracenſis Canonicus.

M. GUIDO ANDREAS GARNIER, non Regens.

M. GEDEON DE RABOURS.

M. CAROLVS DIONIS.

M. IOSEPHVS EXVPERIVS BERTIN, Supremi Valachiae et Moldauiae Principis Medicus olim Ordinarius et Regiae Scientiarum Academiae Socius.

M. LVDOVICVS GVILLELMVS LE MONNIER, Conſiliarius Medicus Regis Ordinarius, Regiique Noſocomii S. Germani in Laya, Regiarum Pariſienſis, Londinenſis ac Berolinenſis Academiarum Socius, in Horto Regio Botanices Profeſſor ac Demonſtrator.

M. LVDO-

M. LUDOVICUS ALEXANDER VIEILLARD.

M. LEANDER PEAGET, Chirurgiae pro tempore Profeſſor, Conſiliarius et Medicus Regis Ordinarius in eius Caſtelleto.

M. BENIAMIN LUDOVICUS LUCAS DE LAUREMBERT.

M. ANDREAS CANTWEL, Regiae Societatis Londinenſis Socius.

M. THEODORUS BARON, Pharmaciae pro tempore Profeſſor, Regiae Scientiarum Academiae Socius et Cenſor Regius.

M. PETRUS BERCHER, Celſiſſimae Principis Parmae et Placentiae Duciſſae Archiater.

M. IULIANUS BUSSON.

M. IOSEPHUS MARIA FRANCISCUS DE LA SÔNE, Cenſor Regius et Regiae Scientiarum Academiae Socius.

M. PETRUS IOSEPHUS MACQUER, Regiae Scientiarum Academiae Socius et Cenſor Regius.

M. PETRUS LALOUETTE.

M. CAROLUS FRANCISCUS BOUTIGNY DES PREAUX.

M. IACOBUS FRANCISCUS LE CHAT DE LA SOURDIERE.

M. FRANCISCUS DAVID HERISSANT, Regiae Scientiarum Academiae Pariſienſis, Regiaeque Societatis Londinenſis Socius.

M. NATALIS MARIA DE GEVIGLAND.

M. IOANNES STEPHANUS GUETTARD, Regiarum Academiarum Pariſienſis ac Florentinae Socius, Cenſor Regius et Muſaei Hiſtoriae Naturalis S. Aurelianenſium Ducis Cuſtos.

M. CAROLUS LUDOVICUS LIGER.

M. LUDOVICUS RENATUS DESBOIS.

M. IACOBUS VERDELHAN DES MOLES, S. Principis CONDAEI Conſiliarius et Medicus.

M. IOANNES LE THIEULLIER.

M. FRANCISCUS BERNARD.

 M. PE-

M. PETRVS CHEVALIER.

M. PETRVS ARCELIN.

M. CLAVDIVS BOURDIER DE LA MOULIERE, Eques.

M. ANTONIVS LE CAMUS, Academiae Regiae Rupellenſis et Societatis Litterariae Catalaunenſis.

M. PETRVS POISSONNIER, Profeſſor et Cenſor Regius, nec non Militarium Regis Noſocomiorum in Alſatia Medicus et Inſpector Primarius.

M. IOSEPHVS LALLEMANT.

M. LVDOVICVS RENATVS MARTEAU.

M. IOANNES CLAVDIVS MUNIER, Conſiliarius Medicus Regis Ordinarius et Domus Regiae Inualidorum Ducum ac Militum.

M. FRANCISCVS BIDAULT.

M. LVDOVICVS PATHIOT.

M. FLORENTIVS CAROLVS BELLOT, Profeſſor Regius.

M. PASCASIVS BORIE.

M. STEPHANVS POURFOUR DU PETIT.

M. ANTONIVS PETIT, Chirurgiae gallico idiomate in gratiam chirurgorum pro tempore Profeſſor.

M. LVDOVICVS GABRIEL DUPRE.

M. BARTHOLOMAEVS TVSSANVS LE CLERC.

M. DIONYSIVS CLAVDIVS DOULCET, Publicae Facultatis Bibliothecae Praefectus.

M. IOANNES FRANCISCVS PARIS.

M. NATALIS ANDREAS IOANNES BAPTISTA CHESNEAU.

M. DIONYSIVS PAUTIER DE LA BREVILLE.

M. STEPHANVS LVDOVICVS GEOFFROY, Scholarum pro tempore Profeſſor.

M. BERNARDVS NICOLAVS BERTRAND.

M. ANNA CAROLVS LORRY.

M. CAROLVS FRANCISCVS THERUOLDE DE VALLUN, Eques.

M. IOANNES IACOBVS MESSENCE.

M. IACOBVS BARBEV DU BOURG, Regiae Scientiarum Academiae Stockholmienſis Socius.

M. PE-

M. PETRVS AVGVSTVS ADET.
M. HVGO CAPET.
M. FRANCISCVS DE PAVLA COMBALUSIER.
M. LVDOVICVS IOANNES BAPTISTA COSNIER, Scholarum pro tempore Profeſſor.
M. CAROLVS AVGVSTINVS VANDERMONDE.
M. ANNA CLAVDIVS DORIGNY.
M. FRANCISCVS THIERY.
M. IOANNES MAC-MAHON, Antiquus Militarium Regis Noſocomiorum Medicus, Regiae Scholae Militaris Medicus Ordinarius.
M. AMBROSIVS HOSTY.
M. LVDOVICVS ALEXANDER GERVAISE.
M. MARTINVS NOUGUEZ.
M. IOANNES FRANCISCVS CLEMENS MORAND, Eques, Regiae Societatis Lugduni Socius, Regii Medicorum Nanceianorum Collegii Socius Honorarius.
M. CLAVDIVS FRANCISCVS GRANCLAS, Eques, STANISLAI, Poloniarum Regis, Lotharingiae et Barri Ducis Conſiliarius et Medicus, nec non Anatomes et Artis Obſtetriciae in gratiam Matronarum pro tempore Profeſſor.
M. IACOBVS LVDOVICVS ALLEAUME, Militarium Noſocomiorum ad Regis Exercitum Medicus.
M. ANTONIVS GARNIER, non Regens.
M. CAROLVS GEILLE DE SAINT LEGER.
M. ALEXANDER DIONYSIVS DIENERT.
M. PETRVS LVDOVICVS MARIA MALOET.
M. LVDOVICVS PETRVS FELIX RENATVS LE THIEULLIER, Regis Conſiliarius et in maiori Conſilio, nec non in magna Regiae Familiae et Franciae Praefectura Medicus Ordinarius.
M. LVDOVICVS ANNA LAVIROTTE, Cenſor Regius.
M. CAROLVS GILLOT.

M. IOANNES BAPTISTA THURANT.

M. EDMVNDVS THOMAS MOREAU.

M. CLAVDIVS IOSEPHVS GENTIL, Militarium Noſocomiorum ad Regis Exercitum Medicus.

M. IACOBVS FRANCISCVS LATIER.

M. IOANNES BAPTISTA BARJOLLE, non Regens.

M. SIMON ANTONIVS BRINGAUD.

M. IOANNES BAPTISTA BASSEVILLE.

M. IACOBVS GOURLEZ DE LA MOTTE.

M. CLAVD. THOM. GVILIELM. GUILBERT DE PREVAL.

M. PETRVS ABRAHAMVS PAION DE MONCETS, Eques.

M. THEOPHILVS DE BORDEU, Eques, Noſocomii Regii et Militaris Baregienſis Medicus deſignatus.

M. HENRICVS IACOBVS MACQVART.

M. IOANNES NICOLAVS MILLIN DE LA COURVEAVLT.

M. IOANNES BAPTISTA HATTE.

M. HENRICVS MICHAEL MISSA, Militarium Noſocomiorum ad Regis Exercitum Medicus.

M. IOANNES LVDOVICVS MARIA SOLIER.

M. PETRVS IOSEPHVS MORISOT DESLANDES.

M. CLERIADVS VACHIER.

M. GVIDO DAN. DESPATUREAVX.

M. IOANNES BAPTISTA FRANCISCVS DE LA RIVIERE.

M. LVDOVICVS MARIA GIRARD DE VILLARS.

M. IACOB SAVARY.

M. IOANNES DESCEMET.

M. GVILIELMVS BERTHOLD.

M. MAXIMILIANVS IOSEPHVS LEYS.

M. GVILIELMVS FVMEE.

M. MARIN

M. MARIN IACOB CLARVS ROBERT.
M. FRANCISCVS LVDOVICVS THOMAS D'ONGLEE.
M. NATALIS NICOLAVS MALLET.
M. IOANNES ST. JOIRE.

Imperialis Scientiarum Academia *Petropolitana*, in ſolemni, nuper die ſeptembris ſexto ſtyli veteris 1760 habito, conuentu, de commentariorum dignitate ſuper quaeſtionibus ad annos 1757, 1758, 1759 et 1760, ab ipſa propoſitis *, iudicium ſuum tulit praemiaque decreuit dignioribus viſis. Illud *de motibus diurnis planetarum circum axes proprios* reportauit Vir. Cl. IOANNES ALBERTVS EVLER, Academicus Berolinenſis; alterum vero *de magnetibus artificialibus* Vir quidam doctus Lutetiae Pariſiorum degens, qui in adiecta ſchedula nomen ſuum munusque, quo fungitur, ita expreſſit: *L'Auteur de ce Memoire eſt* ANTHEAULME *Syndic des tontines à Paris.* Tertium *de ſexu plantarum* praemium adiudicatum fuit Illuſtri illi botanico atque medico, CAROLO LINNAEO; quartum vero *de indaganda refractione radiorum lucis in diuerſis corporibus*, ad aliud tempus differri debuit, quum vnicam tantum de hoc argumento diſſertationem acceperit academia neque noua aliqua experimenta continentem.

Inſuper in eodem conuentu duas alias quaeſtiones eruditorum ſtudio obtulit *eadem* Ill. *Academia*, quarum prima ad annum 1760 pertinet: *determinare* nimirum *theoriam perturbationum*, quas *patiuntur cometae in motu ſuo ab attractione planetarum, et demonſtrare, quantum haec theoria cum obſeruationibus cometae anni* 1759 *conueniat?*

 Alterius

* vid. Comment. noſtr. Vol. VII. P. I. p. 184.

Alterius nouae quaeſtionis praemium in annum 1762 proponitur. Hiſce eam verbis ab Ill. Academia expreſſam legimus: *Inueſtigare, quantum imperfectiones tuborum opticorum et microſcopiorum, ex diuerſa refrangibilitate radiorum ac figura vitrorum ſphaerica ortae, per combinationem plurium lentium corrigi, aut imminui, queant, atque theoriam praxi aptare et per experimenta comprobare.* Ante primum diem iunii cuiusque anni tradi debent Academiae ſuper his argumentis conſcripti commentarii, quae, vti huc vsque ſolita fuit, ſub conditionibus ſatis notis optimae cuiusque quaeſtionis ſolutioni praemium centum aureorum ſtatuet.

Alia porro *Petropoli* ad nos relata habemus noua literaria, ad noſtrum inſtitutum pertinentia ideoque cum lectoribus noſtris communicanda:

Inter amoena loca, in quae aeſtatis tempore ſecedere ſolet Imperialis Aula Ruſſica, quam maxime referri debet magnificum illud palatium, a PETRO *Magno* exſtructum ideoque nomen ſuum, *Peterhof*, ab illo adeptum. In illo aulam ſecutus, nuper, die auguſti trigeſimo, vel ſi ad noſtros faſtos numeres, ſeptembris decimo huius anni 1760, ſubitanea morte ex hac vita diſceſſit Vir, dum viueret, Illuſtriſſimus, PANAIOTA (Ruſſis *Pawel*, Latinis *Paullus*, dici ſolitus) CONDOIDI, Corcyraeus, Medicinae Doctor, Auguſtae Ruſſiarum Imperatricis et Autocratoris Conſiliarius Intimus, Perſonae Auguſtiſſimae Medicus Primarius et Rei Medicae per totam Ruſſiam Supremus Director, ſiue Archiater *, aetatem

* Archiatri, *quem alii quoque archiatrorum Comitem appellant, nomine in Ruſſia non is inſignitur, qui principi eſt a ſanitatis conſiliis, ſed qui rei medicae per vniuerſum regnum curam habet ideoque ſic dictae* Cancellariae *medicae praeeſt, honoris dignitate admodum inſigni*

aetatem quinquaginta trium annorum conſecutus. Anno huius ſeculi viceſimo quinto ad ſuum patruum, ATHANASIVM, qui tum temporis *Archimandritae* ſic dicti munere fungebatur, Wologdae deinde Archiepiſcopi dignitate exornatus, moriebatur, *Noſter* ſe conferebat Petropolin. Recens tum ibi conſtitutae ſcientiarum academiae a patruo commendatus, literarum ſtudio nauabat operam per integrum biennium. Lugdunum Batauorum deinde petebat, vt HERMANNO BOERHAAVIO in ſcientia medica vteretur praeceptore. Quo ſtudiorum curſu ibi finito, eruditionis augendae gratia anno ſeculi triceſimo primo iter faciebat per Galliam atque Angliam, tumque in Academiam Lugduno-Batauam reuerſus, Doctoris Medici honoribus ab eadem exornabatur. Poſthaec anno triceſimo tertio ſe recipiebat Petropolin pauloque poſt caſtrenſis medici obtinebat prouinciam. Quum LESTOCK'IVS adhuc ad rerum medicarum gubernacula ſederet, ab ipſo *Noſter* in *Cancellariam medicam* per aliquod tempus introductus, in negotiis curandis ipſum adiuuabat *. Poſt illum hoc munere fungebatur etiam nunc laudatus HERMANNVS KAAV BOERHAAVE; quo autem anno ſeculi quinquageſimo tertio vita defuncto, cuncta ab hoc geſta munera anno ſequenti

L 5 defere-

inſigni coboneſtatus. Qua de re, ſi velis, legere poteris relationem a IO. BERN. DE FISCHER *traditam in Actis Acad. Nat. Cur. Vol.* IX. *anni* 1752. *pag.* 340.

* Archiater *ea quoque gaudet poteſtate, vt, ſi velit, vnum alterumque medicorum ſibi eligat laborum in Cancellaria medica obuiorum ſocium, qui vel cum ipſo praeſente, vel abſente etiam, eius tamen iuſſu, curet negotia: qua tamen re nullam prae aliis medicis conſequitur is praerogatiuam. Praeter alia ad hoc munus neceſſaria merita, Ruſſicam quoque linguam perfecte callere, vel per plures iam annos artem medicam in Ruſſia exercuiſſe eum oportet, quo medicorum ſtatuta cognita habeat.*

deferebantur in *Noſtrum*, ita vt ipſius *Auguſtae* perſonae medicus, archiater atque conſiliarius intimus crearetur. Ex quo tempore officiis ſuis ſedulo et cum fide atque dexteritate ſatis faciens, morumque ſuauitate excellens, multum valebat gratia apud Aug. Imperatricem, auctoritate apud eos, qui ipſum venerabantur ſibi praepoſitum, amore tandem honorisque cultu apud reliquos, quibuſcum vel contraxerat amicitiam, vel qui ſaltem eius merita cognoſcendi habuerant opportunitatem.

In h. CONDOIDI locum ab Auguſtiſſima Imperatrice, qui ipſi ſint a ſanitatis tuendae conſiliis, electi ſunt Viri Illuſtres, MOUNSEY, Scotus, et SCHILLING, Medicinae Doctores, Conſiliarii huc vsque Aulici, nunc vero actualium, qui dici ſolent, Conſiliariorum Status honoribus ac dignitate exornati. Ille Moſcua, vbi apud exercitum conſtitutus medicus olim iam meruit, honorifice euocatus fuit Petropolin; hic vero medicus ex aliquo tempore fuit cohortis generoſorum puerorum, qui artes bellicas terreſtres edocentur Petropoli. Cui vero praeter hos delatum fuerit archiatri munus, nobis nondum conſtat. Tertium autem, quem huc vsque habuit, medicorum locum et nunc obtinuit Ill. DAVIDES DE GORTER.

CAROLVS porro FRIDERICVS KRVSE, M. D. legionum praetorianarum hactenus medicus, hoc munere ſatis inſigni admodumque fructuoſo iam ex aliquo tempore ſe abdicauit, in gratiae tamen retentae documentum Conſiliarii Collegiorum dignitatem adeptus. Ex illo otio, quod Vir hic doctiſſimus quaerit, eximia expectare poterit orbis literarius. Ante plures enim iam annos HERMANNI KAAV BOERHAVII filiam is duxit in matrimonium, hacque ratione, optimo illo Viro ipſiusque fratre, ABRAHAMO, vtroque ante aliquot

annos

annos mortuo, cuncta ab auunculo, magno illo HERMANNO BOERHAAVIO relicta, opera manu ſcripta accepit. Inaeſtimabilem hunc theſaurum, quem inprimis chemica, practica multa, conſultationes potiſſimum medicas doctumque literarum commercium continere legimus, iam olim ſe editurum eſſe promiſit b. ABRAHAMVS KAAV BOERHAAVE, eoque mortuo Noſter Ill. KRVSE *. Ne vero diutius viri docti expectent hoc opus *Boerhaauianum* poſthumum, ab aliis laboribus liberum ſe eſſe voluit Cl. KRVSE, vt tempus ſibi supereſſet, quod in colligenda illa ſcripta eaque in ordinem redigenda impendere poſſet; quam ob cauſſam optimo Viro praeter otium, quod nactus fuit, vitam ſanitatemque ex animo apprecamur.

In locum igitur, legionum praetorianarum medici, quo abiit Ill. KRVSE, ſurrogatus ſtatim fuit Ill. IOANNES ANDREAS VNGEBAVER, M. D. Conſiliarius Aulicus, maximi noſocomii terreſtris dicti, atque ex anno 1756 ſupremus copiarum Ruſſicarum medicus.

Illae tandem ſummi copiarum medici partes, quas hactenus expleuerat Ill. VNGEBAVER, datae nunc ſunt Cl. Viro, IOANNI CHRISTOPHORO KVHLEMANNO, Medicinae Doctori, doctiſſimis ſuis *obſeruationibus circa negotium generationis in ouibus* factis claro, Gottingae anno ſeculi quinquageſimo tertio ſub diſſertationis forma pro capeſſendis Doctoris Medici honoribus editis ac publice defenſis.

Regia Chirurgiae Academia *Pariſienſis* nouam propoſuit nuper quaeſtionem, cuius ſolutiones a Viris

* vid. Nou. Commentar. Acad. Scient. Imperial. Petropolit. Tom. IV. ad annum MDCCLII et MDCCLIII. Petropoli 1758 pag. 382 et in Summario p. 43.

Viris doctis factas ſubſecuturo anno 1762 publico poſt feſtum paſchatos dictum habendo conuentu diiudicabit, optimae conſuetum praemium adſignatura: *Modum* ſcilicet, *determinare, quo aperiri abſceſſus et ex artis legibus, pro diuerſis, quas occupant, corporis partibus curari debeant?* Commentarii ideo conſcribendi ante finem anni 1761 Academiae tradendi ſunt, iisdem, quae huc vsque obtinuerunt, conditionibus obſeruatis.

De quaeſtionibus ab Academia *Burdigalenſi* ad annos 1761 et 1762, praemio promiſſo propoſitis, ſupra quidem retulimus *: nunc tamen nouam aliquam, praeter illam *de vi electrica, corpori humano vtili, an nociua?* ad annum quoque 1762 referendam, ab illa deprehendimus oblatam: *Quaenam vera nimirum ſint fundamenta, quibus ars ſurculos inſerendi innitatur? et quaenam inde elici queant adminicula artem illam et felicem et perfectam reddendi?* Ante primum maii diem eiusdem anni Academiae tradi debent commentarii, conſuetis legibus ſaepius a nobis iam commemoratis, et nunc quoque obſeruandis.

Regia Scientiarum et Elegantiorum Literarum Academia *Berolinenſis* in numerum Extraneorum Membrorum ſibi nuper adſciuit ſocios ſequentes Viros Clariſſimos: Caſſellis, IOANNEM IACOBVM HVBER, Ph. et Med. D. Anat. et Chirurg. Profeſſ. et Ser. Landgrauii Haſſiae Conſiliarium Aulicum atque Archiatrum; Bononiae FRANCISCVM ZANOTTI, Academiae ſiue Inſtituti, quod dicitur, Litterarii Secretarium, EVSTACHIVM ZANOTTI, Aſtronomiae, atque CALDARI, Anatomiae Profeſſorem; Hagae Comitum, celebrem illum hiſtoriae naturalis cultorem, LYONET, cauſſarum patronum; Lutetiae Pariſiorum, dexterrimum chymicum

DE

* vid. Comment. noſtr. Vol. VII. P. II. p. 363. et Vol. VIII. P. II. p. 352.

DE MACHY; Ponte Arolae tandem in Heluetia, IOANNEM GEORGIVM ZIMMERMANN, Med. Doct. inque modo dicta vrbe medicum publica auctoritate conſtitutum ſiue ſic dictum phyſicum.

Auguſtae Taurinorum a Pot. Sardiniae Rege Vir Cl. nobisque amiciſſimus, CAROLVS ALLIONE, Ph. et Med. D. nonnullarum Academiarum Socius, nuperrime tantum a nobis laudatus *, praegreſſo menſe maio 1760 nominatus fuit, qui horti publici curam ſuſciperet et Botanices Profeſſoris munere fungeretur.

Tertium Profeſſorum Medicinae locum, qui in Academia *Helmſtadienſi* adhuc vacuus erat, nunc obtinuit Vir Cl. IOANNES TRAVGOTT ADOLPH, Med. et Chirurg. Doct. Anatomiae nunc et Chirurgiae Profeſſor Ordinarius, programmate ad indicandas lectiones ſuas edito *de capſa Petitiana pluribus cruris complicate fracti caſibus aptanda*, icone ſatis eleganti addita, quae formam eius atque vſum illuſtrat.

Vindobonae Ill. ANTONIVS DE HAEN, Med. D. Conſiliarius Aulicus ac Medicinae Practicae in Vniuerſitate Vindobonenſi Profeſſor Primarius, cuius merita depraedicandi paulo antea habuimus occaſionem ** ab Auguſtiſſimo Imperatore noſtro in numerum Caeſareorum Archiatrorum relatus fuit, hac in primis muneris parte ipſi data, vt Sereniſſimae Coniugis Archiducis IOSEPHI ſanitatis curam habeat.

Berolini

* vid. Comment. noſtr. Vol. VIII. P. VI. p. 600.

** vid. in hac ipſa Parte p. 84.

Berolini viuere nuper deſiit par medicorum, ſenio quidem confectorum, at meritis illuſtrium, IOANNES nimirum THEODOR ELLER, Med. D. Potent. Boruſſorum Regis Conſiliarius Intimus et Archiater primus, Vir multis muneribus praefectus *, qui nuper die decimo quarto ſeptembris anni 1760 obiit aetatis anno ſeptuageſimo primo. Alter vero paulo poſt, die viceſimo quarto nouembris, aetatis anno octogeſimo ſexto vita defunctus fuit CHRISTIANVS SIGISMVNDVS ZEIDLER, Conſiliarius et Medicus Aulicus, Supremi Collegii Medici Berolinenſis Membrum Ordinarium.

* vid. Comment. noſtr. Vol. III. P. II. p. 346 et 348.

Memoria IOANNIS FRIDERICI SCHREIBERI, Medicinae Doctoris, Auguſtiſſimae Ruſſorum Imperatricis Conſiliarii Aulici, Anatomiae et Chirurgiae apud Imperialia noſocomia conſtituti Profeſſoris, Imperialium Academiarum et Petropolitanae Scientiarum Membri Honorarii et Germanicae Naturae Curioſorum Socii.

Qui in Ruſſici imperii prouinciis ſalutaris artis incremento quam maxime inſeruire ſtuduit, IOANNES FRIDERICVS SCHREIBER, Vir de re medica inſigniter meritus, is noſtrae etiam vniuerſitati decori olim fuit atque vtilitati: qua de cauſſa duplicem exiſtimamus eſſe rationem, cur memoriam eius poſteris commendemus. Natus ille erat anno huius ſeculi quinto, die menſis maii viceſimo ſexto, Regiomonti, quae vrbs Boruſſici regni caput, iam ferax huc vsque fuit felicium ingeniorum mater. Patre vtebatur MICHAELE SCHREIBERO, S.S. Theologiae Doctore eiusque in Regiomontana Academia Profeſſore Publico, conſilii ſacri Senatore, in eccleſia cathedrali dicta ſacrorum oratore, et librorum ſupellectili *Wallenrodianae* praepoſito; matre vero AGNESIA, ex gente *Baueria* orta. Quum parentes ipſius ex illis eſſent, qui maximas filiis colligendas poſtque mortem relinquendas diuitias illas eſſe recte iudicabant, quibus ipſorum animus rite formaretur, diuinarum humanarumque rerum cognitione acueretur, veraeque honeſtatis religionisque ſanctitatis amor atque ſtudium excitaretur in iisdem, *Noſtro* quoque tam felici eſſe contingebat, vt a prima iam inde aetate, qua mens demum humana vires ſuas exſerere ſolet, in ſacrorum vero cultu omniumque ſcientiarum elementis a priuatis,

quibus

quibus tradebatur, praeceptoribus ſolertiſſime erudiretur. Vitae quidem ſtudiorumque moderatorem, optimum patrem, praematura morte amittebat, duodecim tantum annorum aetatem adeptus: attamen iam tum temporis adeo ſelices in literis fecerat progreſſus, vt in publicum introduci poſſet gymnaſium. In illo igitur, per quatuor annos ſingulari induſtria in literas, quarum ſcientiam debebat conſequi, incumbebat ideoque iuuenis ſedecim modo annorum dignus iudicabatur, qui altioris indaginis doctrinas poſſet percipere. In numerum itaque patriae academiae ciuium anno huius ſeculi viceſimo primo relatus, praeclaram, quam huc vsque iam prae ſe tulerat, indolem magis magisque nunc publice demonſtrandi nanciſcebatur occaſionem. Praeter varias enim linguas, quibus addiſcendis multum iam temporis tradere debet ſcientiarum cupidus, animum ab initio impellebat in philoſophiam, in primis tamen matheſin, in cuius quippe culturam inſigni ferebatur inſtinctu. Poſt hanc vero principem ſtudii ſui laborumque finem volebat eſſe artem medicam. Quidquid igitur ad hanc percipiendam inuenire poterat in Academia Regiomontana, illud quoque ſedulo conquirebat ſibique faciebat cognitum. Illud autem omne, quum voluntati ſuae non ſatis faceret, apud exteros augere ſuaeque cognitionis ambitum amplificare conſtituebat. Anno igitur ſeculi viceſimo ſexto iter ſuſcipiebat Francofurtum ad Viadrum ſitum, pauloque poſt illud dirigebat Lipſiam. Lugdunum deinde Batauorum petens, illud potiſſimum in votis habebat, vt viri immortalis memoriae, HERMANNI BOERHAAVII, intereſſet lectionibus. Per biennium ſequebatur hunc praeceptorem ſumma cura atque diligentia vixque totus ab eius ore pendebat. Interim tamen reliquos in illa celebri academia doctores

doctores medicos haud negligebat; quin potius quauis data occaſione ſecedebat Amſtelodamum, vt cadauera ſecanti RVYSCHIO a latere eſſe et anatomen magis magisque poſſet colere. Anno deinde ſeculi viceſimo octauo ab academia Lugdunenſi, cui huc vsque interfuerat, Doctor medicus creabatur, poſtquam inauguralem a ſe conſcriptam diſſertationem *de fletu* publice defenderat. Vt nunc, quam in arte ſalutari conſecutus erat, doctrinam in aliorum vſum conuerteret ipſamque in primis medendi artem comprobaret vſu atque experientia, Saardamum, quod oppidulum in Hollandia ſeptentrionali ſitum eſt, ſe conferebat ibique per aliquod tempus ſuum aegrotantibus afferebat auxilium. Vtrumque vitae quidem genus, et academicum, et practicum, placebat *Noſtro*; illud tamen apud ipſum praeualebat. Id neque mirum. Quid enim viro literarum amantiſſimo vereque docto, quae laus *Noſtro* ſine dubio competebat, gratius, quid ipſi aliorum doctorum vſu atque conſuetudine acceptius eſſe poterit vmquam? Ante tamen, quam certum ſibi aliquod ſeligeret domicilium, Marburgum adibat, vt CHRISTIANI WOLFFII, philoſophi atque mathematici iam tum temporis celeberrimi, quem modo nominaſſe loco laudis vel poſt mortem erit, iniret conſilium ac de quaeſtionibus et philoſophicis et mathematicis cum eo ſermones miſceret, ſuper quibus ex aliquo iam tempore literarum cum ipſo habuerat commercium. Quem igitur finem conſecutus, Lipſiam accedebat noſtramque vniuerſitatem votis ſuis quam maxime iudicabat accommodatam. Quum vniuerſitas noſtra nomen ſuum prae academiis tueatur ita, vt cuilibet viro docto, vel in extera quadam academia gradum aliquem adepto, doctrinam ſuam publice profiteri liceat, dummodo legibus noſtris ſatis fecerit: *Noſter* etiam

his obſecuturus, *meditationes philoſophico - medicas de lacrumis et fletu repetitas magisque euolutas* ex cathedra academica publice defendebat indeque et philoſophicas et mathematicas, quarum erat ſtudioſiſſimus, lectiones habendi poteſtatem ſibi conciliabat. Aperiebat quoque illas ſcholas aeque ac medicas multo cum applauſu, reliquum ab iis tempus priuato muſeo impendens. Nam in conſcribendis non ſolum *actis* noſtris *eruditorum nouisque literariis* ſocius laborum erat atque conſors, ſed alios quoque eruditos ſuſcipiebat labores, inter quos non eius ſolum verſionem latinam IACOBI DOVGLASSII *deſcriptionis comparatae muſculorum corporis humani et quadrupedis* et CLOPTONII HAVERSII *nouarum quarundam obſeruationum de oſſibus et partibus eo pertinentibus*, ſed *elementorum* potius *medicinae phyſico - mathematicorum tomum primum*, anno ſeculi triceſimo primo ab ipſo editorum referimus. Lipſia placebat *Noſtro* ita, vt absque dubio non facile diſceſſiſſet, niſi poſt biennium cum inſigni emolumentorum ſpe in Ruſſiam euocatus fuiſſet. Eodem quidem anno, ſeculi nimirum triceſimo primo, vt Halam Magdeburgicam abire ibique Profeſſoris philoſophiae et medicinae Extraordinarii munus vellet ſuſcipere, rogabatur, quod vero humaniſſime recuſans, in Ruſſiam ſecedere conſtituebat. Sex enim doctores medici a ſupremo collegio medico Petropolitano euocabantur, vt apud exercitus Ruſſicos ſtipendia mererentur, medici caſtrenſes dicti, quorum tres ab HERMANNO BOERHAAVIO, tres alii vero a Germanorum BOERHAAVIO altero, FRIDERICO nimirum HOFMANNO, commendarentur. Inter hos, quos commendabat HOFMANNVS, *Noſter* quoque erat, qui ea de re cum illuſtri hoc viro, ex auctoritate ſenatus Petropolitani medici

dici, ſeu *Cancellariae medicae* dictae, pactione facta, Lipſiam eodem anno relinquens, iter ſuſcipiebat in Moſcouiam. Moſcuam, quae Ruſſici regni caput eſt, peruenienti praecipiebatur, vt illum exercitum, qui ſub imperio Illuſtriſſimi Comitis DE LACY, poſthaec ſummi copiarum Ruſſicarum praefecti, erat, ſequeretur. Quoniam vero Comes DE LACY tunc temporis praeerat Liuoniae prouinciae, Rigam quoque repetere oportebat *Noſtrum;* quo in itinere Petropolin tranſiens, ab Imperiali Scientiarum Academia membrum ipſius eligebatur honorarium dictum, die menſis octobris quinto eiusdem anni 1731 publice ab ea receptus. Per duos annos deinde commorabatur Rigae; bello autem anno ſeculi triceſimo quarto, proh dolor! in Polonia coorto, caſtra ſequebatur Dantiſcum, copiisque poſtea Ruſſicis in auxilium Imperatoris CAROLI ſexti miſſis, in Germaniam reuertendi nanciſcebatur opportunitatem. Quo tempore accidit, vt a Potentiſſimo Magnae Britanniae Rege Gottingae conderetur academia, ad quam illuſtriorem reddendam celeberrimi viri vndiquaque aduocabantur. SCHREIBERI noſtri eruditio atque merita ſatis iam tum erant cognita; quo fiebat, vt quidam aulae Britannicae miniſter, cui academiae iam dicta cura ſimul tradita erat, Profeſſoris Medicinae munus in eadem ipſi offerret. Quanti autem ſemper is aeſtimauerat vitam academicam, in praeſenti tamen, quum munere, quo fungebatur, ſe abdicare non poſſet, illam hac vice miſſam facere cogebatur. Neque tamen conſilii huius ipſum poenitere poſtea debuit. Quum enim modo nominatum Comitem DE LACY in alio bello contra Turcas geſto comitaretur, ſupremi copiarum Ruſſicarum medici munus ſatis inſigni honore conſpicuum ipſi tradebatur; bello autem finito, publicae ſanitatis cura, ſiue ſic dicti

 vrbis

vrbis phyſici prouincia, in totius Ruſſici regni capite, Moſcuae puta, demandabatur. Ea nunc, quam ſaepius ſibi optauerat, felicitatis parte fruebatur vt tempus ipſi ſupereſſet, quod literarum ſtudio poſſet tribuere, qua de re nonnulla illo temporis ſpatio, quo in illa vrbe degebat, edita ab ipſo ſcripta non tantum teſtantur, ſed vniuerſae medicinae ſyſtema, quod meditabatur, ſub *Almageſti* nomine prodire deinde coeptum, comprobat, quippe cui exarando plures omnino annos impendendos fuiſſe, librum ipſum inſpicienti protinus clarum erit. Quum ſalutarem vero ſcientiam artemque non calleret ſolum, ſed eam docendi quoque felici gauderet facultate, hunc in finem anno ſeculi quadrageſimo ſecundo euocabatur Petropolin, vt anatomiae et chirurgiae apud noſocomia conſtitueretur Profeſſor et chirurgis tironibus vtramque medicinam traderet, quo periti artis ſemper adeſſent, qui inter copias Rusſicas opem afferre poſſent aegrotantibus. Muneri nunc huic nouo, quod prae aliis ad ipſius erat genium, eadem induſtria eademque fide praeerat ac aliis, quibus antea defunctus fuerat, ideoque ſanitatis ſenatus Petropolitani ſeu *Cancellariae medicae* applauſum non merebatur ſolum, ſed eius ſibi potius iam acquiſitam confirmabat beneuolentiam, vt maiores ſatisque largos pecuniae reditus ſaepius augendo ipſi attribueret, annoque tandem ſeculi quinquageſimo ſeptimo de ipſius meritis ad ſummum, qui vniuerſo imperio praeeſt, ſenatum Petropolitanum referret, quo in praemii documentum Conſiliarii aulici honoribus ipſum cohoneſtaret. Quum exercitus in Rusſia valde numeroſi ſint medicique igitur caſtrenſes iis non ſufficiant, chirurgis aliqua omnino et internis morbis medendi concedenda eſt poteſtas. Ne artis autem ſcientiaeque expertes eſſent atque ignari, hanc ipſos quoque

Noſter

Noſter docuit ideoque breuem aliquam inſtitutionem conſcripſit publicique iuris ante hos quinque annos fecit, a nobis ſuo tempore laudatam *. Priuatum vero ſtudium reliquumque ob officiis tempus exarando, quod ſuſceperat, ſyſtemati potiſſimum medicinae impendebat, quorum laborum primum fructum anno ſeculi quinquageſimo ſeptimo accepimus, quum *Almageſti* ſui primam partem ederet, cuius rationem atque ſummam lectores noſtri a nobis habuerunt relatam **, Vniuerſae medicinae ambitum ad methodum mathematicorum ideoque ea, quae demum eſſe poſſet, diligentia traditurus, longiore omnino vita frui debuiſſet, ſi vaſtum hoc opus ad finem fuiſſet perducendum. Secundam vero eius modo partem prorſus finitam, vt prelo ſubiici queat, reliquit; reliquo labori, qui ad operis perfectionem requiritur, vti et multis aliis ab ipſius ſtudio expectandis fructibus, praematura morte ereptus. Per quinque enim iam annos aſthmate laborare coeperat, cui inſuper proximo ante ipſius mortem anno ſuperueniebat apoplexia leuior, quam excipiebat hemiplegia, paulo tamen poſt ſublata. Obſtructiones tamen, quae iam diu in ipſius pulmonibus atque hepate radices egerant, remanebant, adeo vt eas per vltimos vitae menſes ſequeretur hydrops, cum tuſſi, febre aliisque hoc in morbo non inſuetis ſymptomatibus, quae omni quoque arti omnique medicinae ita reſiſtebant, vt phthiſi tandem ſcrophuloſa dicenda *Noſter* extingueretur anno 1760 die ianuarii viceſimo octauo, ſi ad Ruſſici imperii faſtos numeres, vel ad noſtros, die februarii octauo, deſiderium ſui apud proceres, amicos, quin et vniuerſum orbem literarium, conſecutus. Poſteros quidem haud reliquit, ſed tantum

M 3 opti-

* vid. Comment. noſtr. Vol. VI. P. III. p. 448.
** ibidem p. 483.

optimam integerrimi et amiciſſimi mariti obitum iure ſummo lugentem viduam, ELEONORAM CHARLOTTAM, vel ſi latinius loqui velis CAROLINAM, ex generoſiſſima gente Sileſiaca *Franckenbergia* oriunda, cuius pater, CASPAR MAGNVS DE FRANCKENBERG vigiliarum praefecti dignitate apud exercitum Ruſſicum exornatus fuerat, quacum matrimonium ſterile quidem, at iucundum, inierat *Noſter* anno ſeculi quadrageſimo die februarii decimo ſeptimo. Illud adhuc commemorari fas erit, tribus iam ante ſui obitum annis a Caeſarea Naturae Curioſorum Academia *Noſtrum* in ipſius ſociorum numerum relatum fuiſſe.

Scripta a b. SCHREIBERO edita, haec ſunt:

Litterae ad SAM. CHR. HOLMANNVM, Philoſophiae Profeſſorem apud Vitembergenſes, ſcriptae, vbi obiectiones, quas viri clariſſimi commentatio in harmoniae praeſtabilitae ſyſtema Leibnitianum exhibet, philoſophice ſoluuntur, Amſtelodami, 1727. 4.

Meditationes philoſophico-medicae de fletu; pro gradu Doctoris. Lugd. Bat. 1728. 4.

Ratio praelectionum ſuarum. Lipſ. 1729. 4. (*de medicina in genere eiusque definitione agit*).

Meditationes philoſophico-medicae de lacrumis et fletu repetitae magisque euolutae. Praeſide I. F. SCHREIBERO, Reſp. *Georg. Dan. Funcke*. Lipſ. 1729. 4.

Idea diſtincta quorundam medicinae principiorum. Exſt. in Actis Erudit. Lipſ. Menſ. Nouemb. 1729. pag. 500 ſeqq.

Frutex, ad verum genus ſuum relatus a I. F. S. Exſt. in Actis Erud. Lipſ. Menſ. April. 1730. pag. 172. ſeqq. (*deſcribit plantam, qnam* BOER-

HAAVIVS *in indice altero plantarum horti Lugdun. Bat. pro* PLVMIERII *Tithymaloide frutefcente foliis Nerii habuit*).

Elementis medicinae phyſico - mathematicae praemittenda. Liber vnus. Lipſiae, 1730. 8.

Elementorum medicinae phyſico - mathematicorum. Tomus Imus. Praefatus eſt CHRISTIANVS WOLFFIVS. Francof. et Lipſiae. (*Halae*) 1731. 8.

Corporis ac motus conſideratio inſtituta coram Academia Scientiarum Petropolitana, quum III. Nonarum Octobris 1731 in eandem reciperetur Petropoli. 1731. 4.

Additiones neceſſariae ad conſiderationem corporis ac motus. Rigae, 1732. 4.

Hiſtoria vitae et meritorum FREDERICI RVYSCH. Amſtelodami. 1732, 4.

Argumentum hypotheſi influxus phyſici recens oppoſitum, nunc data occaſione euolutum. Vratislauiae, 1735. 4.

Inſerta quoque eſt epiſtola Commercio litterario Norimbergenſi. Ann. 1736. p. 81. *quae de arbore Liſtwinitza ferri naturam induente agit.*

Obſeruationes anatomico - practicae. Exſtant. in Commentariis Academ. Scient. Imperial. Petropolitanae. Tom, VII.

Obſeruationes et cogitata de peſte, quae annis 1738 et 1739 in Vkrainia graſſata eſt. Petropoli, (1740). 4.

Eaedem recuſae, quibus acceſſit appendix, continens obſeruationes de eadem lue, quae iisdem annis Odzacouium vaſtauit. Berolin. 1744. 8.

Eaedem denuo recuſae. Editio vltima Petropolitana correcta et aucta. Petropoli, 1750. 4.

Syllabus ſeu Index omnium partium corporis humani figuris illuſtratus, in vſum chirurgiae ſtudioſorum, qui in Noſocomiis Petropolitanis

 aluntur,

aluntur, publica auctoritate conſcriptus et vulgatus. Petropoli, 1744. 4.

Epiſtola ad veterem amicum ALBERTVM HALLER de medicamento, a IOANNA STEPHENS contra calculum renum et veſicae diuulgato, et inefficaci et noxio. Gottingae, 1744. 4.

Obſeruationes anatomico - practicae. Exſtant in Nouis Comment. Acad. Scient. Imperial. Petropolitanae. Tom. III.

Kurze doch zulängliche Anweiſung zur Erkenntniß und Cur der vornehmſten Krankheiten des menſchlichen Leibes, doch vornehmlich in Abſicht auf erwachſene Mannsperſonen, wie ſolche in den groſſen Hoſpitälern zu St. Petersburg alle Jahr ſeit 1742 *bis hieher iſt vorgetragen und erkläret worden. Leipzig,* 1756. 8.

Almageſtum medicum. Introductio et Phyſiologiae medicae Pars I. Lipſiae et Viennae Auſtr. 1754. 4.

Huius libri Tomus II. iam abſolutus inter Mſcpta b. SCHREIBERI *repertus fuit, vt prelo ſubmitti poſſit.*

Ex anglico in latinam transtulit linguam

IACOBI DOVGLASSII deſcriptionem comparatam muſculorum corporis humani et quadrupedis, eorum inuentores, ortus, progreſſus, inſertiones, actiones ac differentias exhibentem. Cui adceſſerunt hiſtoria muſculorum feminae ſingularium; tabula explicans muſculorum nomina, plurimique neceſſarii indices Lugd. Batau. 1729. 8. (*Praemiſit etiam huic libro praefationem*).

CLOPTON HAVERS obſeruationes de oſſibus et partibus eo pertinentibus, vbi et ratio, qua creſcunt et nutriuntur, exponitur. Verſio noua, cui accedit I. C. HEYNE tract. chirurg. med. de praecipuis oſſium morbis. Amſtelod. 1731. 8. c. f.

XIX.

XIX.

Supplementum alterum indicis ſcriptorum phyſico - medicorum, quae anno 1757 prodierunt.

Obſeruations periodiques ſur la Phyſique, l'Hiſtoire Naturelle et les Arts. Ianuier - Decembr. 12 Parties. Tom. II et III. à Paris.

Hiſtoire generale des Voyages ou Nouvelle Collection des toutes les relations des Voyages par Mer et par Terre. Tome XIV. à Paris, 4. c. f.

Eiusd. libri. Tomus 49. 50. 51. 52. Pariſiis, 12. c. f. Voll. 4.

Danmarks og Norges Oeconomiske Magazin, 1 *Bind. Kioebenhavn.* 4.

Chymiſche Experimente einer Geſellſchaft in dem Erzgebürge. 3 *und* 4*tes Stück. Berlin,* 8.

Noticia de la California, y de ſu conquiſta temporal y eſpiritual haſta el tiempo preſente. En Madrid, 4. Voll. 3.

Il Corſo de Pianeti detto Efemiridi; o ſia il Diario de moti celeſte planetari, vero ſpecchio Aſtronomico, nel quale in ogni giorno dell' anno di meſe in meſe ſi fa in quali gradi e minuti de' dodici ſegni celeſti ſi trovano i ſetti Pianeti: quando paſſano da un ſegno nell' altero, e quando Saturno, Giove, Marte, Venere, Mercurio, ſi faccino retrogradi, Stazionari, e ritornino Diretti; e ſotto vi ſono le loco latitudini di 5 in 5 giorni, e le ore Italiane delle Lunazione. Alla dextra pagina ſi vedono gli aſpeti che fanno i Pianeti con la Luna tra loco medeſimi e di piu le ore Italiane, in cui ſieguono li medeſimi aſpetti malefici etc. Siccome anche le ore Aſtronomiche del Sole con la Luna, e le mutazioni de tempi. Opera neceſſaria a Signori excellentiſſimi Medici e Chirurgi, per ben ſalaſſare, e

M 5 dare

dare Médécine ſotto buoni aſpetti di Luna. In Milano, 4.

An eaſy Short and certain method of treating perſons bit by mad animals. London, 8.

IOAN. BAPTIST. ANTON. ANDOUILLE. Theſ. anat. et chirurg. de cataracta. Reſp. *Iacob. Renat. Tenon.* Pariſ. 4. c. f.

IOAN LE BAS Theſ. anat. et chirurg. vtrum cataractae tutior extractio forficum ope? Reſp. *Iac. Henr. Dauiel.* ibid. 4.

PETR. BASSVEL. Theſ. anatom. chirurg. de hypopio. Reſp. *Petr. Steph. le Maire.* ibid. 4.

RVDOLPHVS EVERTSEN, Diſſ. de chylificatione inteſtinali. Lugd. Bat. 4.

Sulla Inſenſitivita ed Irritabilita Halleriana, opuſculi di vari Autori, racolti da GIACINTO BARTHOLOMEO FABRI, Parte Ima, nella quale ſi contengono tutte le coſe favorevoli al Siſtema del Chiariſſimo Signore HALLER: Parte IIda, nella quale ſi contengono tutte le coſe oppoſte al Siſtema del chiariſſimo Sign. HALLER. in Bologna, 4. c. f. Voll. 2. (*Exſtat iam index huius libri in Commentar. noſtr. Voll.* VII. p. 565. *ſed incompletus et corruptus*).

IOAN. IVNCKER. Diſſ. inaug. de effectibus menſium morbis ſuperuenientium. Reſp. *Io. Sigismund Sicheling.* Halae, 4.

PEHR KALM, Tankar wiſande hwad en Präſt kan bidraga til Oeconomiens uphielpanda. Reſp. *Abrah. Indrenius.* Abo.

Eiusd. Oförgripelige Tankar om det ſa Kallade Gröne Linets plantaring och Skötſel i Orchweſi Sokn. Reſp. *Samuel Saluius.* Abo.

Praelectiones medicae duodecim in theatro collegii medicorum Londinenſium habitae a THOM. LAWRENCE. Londini, 8 mai.

PEHR

PEHR LIDBEK, Diſſ. de ſyluicultura Scaniae. Reſp. *Ebbe Bing.* Lundini Scaniae.

IAMES LIND's treatiſe on the Scurvy in three parts. London, 8.

CAROL. LINNAEVS, Diſſ. inaug. Flora Danica. Reſp. *Georg. Tycho Holm.* Vpſaliae, 4.

Eiusd. Diſſ. Panis diaeteticus. Reſp. *Iſaacus Suenſſor.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. Natura pelagi. Reſp. *Ioan. Henric. Hager.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. Buxbaumia. Reſp. *Anton. Roland Martin.* ibid. 4. c. f.

Eiusd. Diſſ. Transmutatio frumentorum. Reſp. *Bogislaus Hornborg.* ibid. 4.

Herrn ANDREAS SIGISMVND MARGGRAFS *chymiſche Unterſuchung eines ſehr merkwürdigen Urinſalzes, welches das Saure des Phosphori in ſich enthält. Aus des gelehrten und erfahrnen Herrn Verfaſſers eignen Handſchrift überſetzt und mit einigen Anmerkungen erläutert. Leipzig,* 4.

IOAN. RVD. METTLERI Diſſ. inaug. de vſu et abuſu inſtrumentorum in partu. Baſileae, 4.

Some Obſervations on the uſe of the Agarik and its inſufficiency in ſtopping haemorrhagies after Capital Operations by GEORGE NEALE. London, 8 mai.

Relazoni d'Innesti del Vaiuolo fatti in Firenze nell' Autonno dell' anno 1756 diſteſe dal Dottor GIOVANNI TARGIONI NOZETTI. in Firenze, 8.

An Account of a particular Kind of Rupture frequently attendant upon New-born Children and ſometimes met with in adulto viz. That in which the Inteſtine, or Omentum, is found in the ſame Cavity, and in contact with the Teſticle: By PERCIVALL POTT. London, 8.

L'Eco-

L'Economia Animale del Sig. Dottor BRIANO ROBINSON, dal medeſimo difeſa et illuſtrata, con una Lettera apologetica, diretta al Sign. Dottor CHEYNE, concernente le oppoſizioni del Sign. Dottor MORGAN. Et un piu chiaro eſame del moto de i fluidi pe' tubi cilindrici. Traduzioni dall' Ingleſe di BONAVENTVRA PEROTTI die Siena, con alcune annotazione. In Siena, 4.

RAPHAEL BENVEN. SABATIER, Theſ. anat. chirurg. de hernia incarcerata. Reſp. *Thom. Coſte.* Pariſiis, 4.

Eiusd. Theſ. anat. chirurg. de cyſtis felleae tumoribus. Reſp. *Iulianus Gueret.* ibid. 4.

Librorum botanicorum catalogus tertius, in quo recentiores quosdam ad ductum propriae collectionis porro recenſet D. CHRISTOPHOR. IAC. TREW. Norimberg, fol.

I. GOTTSCHALK WALLERIVS, Diſſ. de cupri montis Falunae oeconomia priſca metallica. Reſp. *Ioan. Morenius.* Vpſal.

PAVL GOTTLIEB WERLHOF Obſeruationes de febribus praecipue intermittentibus et ex earum genere continuis. Venetiis, 4.

XX.

Supplementum indicis ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1758 prodierunt.

Eſſais et Obſeruations Phyſiques et Litteraires de la Société d'Edinbourg. Tome Premier. Traduits de l'Anglois par M. P. DEMOURS. à Paris, 12.

Danmarks og Norges oeconomiske Magazin. II *Bind. Kioebenhavn,* 4.

Neue

Neue geſellſchaftliche Erzählungen für die Liebhaber der Naturlehre, der Haushaltungskunſtwiſſenſchaft, der Arzneykunſt und der Sitten. Hamburg und Leipzig, 8. *m. K.*

A methode of producing double Flowers from ſingle by a regular Courſe of Culture. London, 8. c. f. (*Ex dedicatione ad Ill.* HALLERVM *directa, patet, Cl.* HILL *eſſe Auctorem*).

Prairies Artificielles, ou Moyen de perfectionner l'Agriculture dans les Terreins ſecs et ſteriles de toutes les Provinces, ſur tout en Champagne. Seconde Edition augmentée. à Bruxelles.

Beſcrivelſe over Eylandet St. Croix i America i Weſt-Indien. Kioebenhavn. 4.

The conſtruction of the nerves and cauſes of nervous Diſorders by *Wedale* (*Nomen fictum;* IOANNES HILL *ſibi ipſe poſtea tribuit*). London, 8.

Noua, ad praxin medicam praecipue vtiliſſima vniuerſae Botanices rudimenta. Patauii, 4. (*Auctore* IOAN. ANTON. DE MONTE PIGATI)

A Letter from a Phyſician at Bath to Dr. HERBERDEN. Wherein are ſet forth the Nature, Symptoms, and Cure of the malignant Sore-throat; with a Hint or Two concerning the Efficacy of the Bark on ſome Important Occaſions. London, 4.

PETR. AVGVSTIN. ADET, Quaeſt. med. an leucophlegmatiae leues ſcarificationes? Reſp. *Ioannes St. Ioire.* Pariſiis, 4. (*Auctore olim* ELIA DE VILARS, *nunc denuo recuſa*).

PEHR ION. BERG Inträdes tal om Stokholm för 200 aor och Stokholm nu för tiden i anſunde til handel och wetenskaper färdeles den mediciniska. Stokholm, 8 mai. (*Praeter alia docet, quale medicina Holmiae habuerit incrementum*).

Eiusd. Förſök til de uti Swerige gangbara ſiukdomars ut rönande för aor 1756. ibid. 8.

Dei vermi cucurbitini dell' Uomo: Diſcorſo D'ANTONIO COCCHI Mugellano: Letto in Firenze nell' anno 1734 in una Adunenza della Societa Botanica. in Piſa, 8.

ANDREAS COLLIN Diſſ. ſiſtens fata Botanices in Finnlandia. Abo.

FRANCISC. DE PAVLA COMBALVSIER. Quaeſt. Med. danturne morbi ſalutares? Reſp. *Natal. Nic. Malcet.* Pariſiis, 4. (*Auctor olim fuit* ELIAS COL DE VILARS; *nunc modo recuſa*).

IOANNIS FORDYCE hiſtoria febris miliaris et de hemicrania diſſertatio. Accedit de morbo miliari epiſtola CAROLI BALGUY. London, 8 mai.

CAROLVS LINNAEVS, Diſſ. inaug. Medicamenta graueolentia. Reſp. *Ioan. Theodorus Fagraeus.* Vpſalia, 4.

Eiusd. Diſſ. Pandora Inſectorum. Reſp. *Ericus Ol. Rudbeck.* ibid. 4. c. f.

IOAN. IAC. MESSENCE. Quaeſt. med. an caries in extremitatibus oſſium vix ſanabilis. Reſp. *Natalis Nic. Malcet.* Pariſiis, 4. (*Auctor quondam fuit* IOAN. FRANCISC. ISEZ; *nunc denuo defenſa*).

PETER POELTZER, Diſſ. de ſudore. Viennae Auſtr.

Obſeruations on that Diſorder of the Corner of the Eye commonly called fiſtula lachrymalis. By PERCIVALL POTT London, 8.

Diſcorſo

Diſcorſo letto nell' Academia Botanica di Cortona del P. F. V. (*Sine loco et anno*), 4. (*De venenis agitur et caſus recenſetur de laureolae ſemper virentis indole venenata. Auctor eſſe creditur* REGINALDO SELLARI.

Le Georgiche di P. VIRGILIO MARONE, tradotta in Verſo dal P. ANTONIO AMBROGI, in Roma.

IOH. GOTTSCHALCK WALLERIVS, Diſſ. de origine fontium. Reſp. *Laurentius Eckſtrand.* Vpſal, 4.

Contenta in hac parte.

1. Verhandelingen uitgeeven door de Hollandſe Maatſchappy der Weetenſchappen te Harlem Pars III p. 3.
2. Dictionaire raiſonné et uniuerſel des animaux Tom. I. II. III. IV p. 22.
3. LVDWIGII Definitiones generum plantarum. Edit. D. BOEHMERI p. 27.
4. SIGWART Quaeſtiones medicae Pariſinae p. 33.
5. Quaeſtiones chemicae Monſpelienſes p. 37.
6. POTT, an Account of a particular Kind of Rupture p. 54.
7. Recueil des Pieces, qui ont concouru pour le Prix de l'Academie Royale de Chirurgie. Tom. III p. 57.
8. DE HAEN Ratio medendi in noſocomio practico etc. Pars I et II p. 84.
9. *Vermehrtes und verbeſſertes Blackwelliſches Kräuterbuch* III *und* IV *Hundert* p. 103.
10. *Hamburgiſches Magazin, oder geſammlete Schriften aus der Naturforſchung.* 18 - 22 *Band* p. 109.
11. VOGELS *Anatomiſche, chirurgiſche und mediciniſche Beobachtungen und Unterſuchungen* p. 115.
12. *Schaeffers vorläufige Beobachtungen der Schwämme um Regensburg* p. 129.
13. PLVMIERII Plantarum americanarum Faſc. VII et VIII p. 136.
14. LVDWIG. Diſſ. de laeſa oſſium nutritione p. 141.
15. FABRICII Sylloge obſeruationum anatomicarum p. 144.
16. LOVIS, Diſcours hiſtorique et critique ſur le Traité des Maladies des Os de feu M. PETIT p. 147.
17. *Der Artzt, eine mediciniſche Wochenſchrift* 1 *und* 2 *Theil* p. 153.
18. Noua phyſico - medica p. 158.
19. Supplementum alterum ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1757 prodierunt p. 185.
20. Supplementum ſcriptorum phyſico - medicorum, quae anno 1758 prodierunt p. 188.

COMMENTARII
DE REBVS
IN
SCIENTIA NATVRALI
ET
MEDICINA
GESTIS.



VOLVMINIS IX. PARS II.

LIPSIAE MDCCLXI.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.
Venduntur etiam
Amſtelodami apud I. Schreuder et P. Mortier iun. Londini apud C. G. Seyffert, Pariſiis apud Briaſſon, Patauii apud I. Manfré, Venetiis in B. Albrizzi et S. Coleti officinis, Romae apud Venant. Monaldini.

I.

Noui Commentarii Academiae Scientiarum Imperialis Petropolitanae. Petropoli typis Academiae, 4. Tomus III. ad annum 1750 et 1751. impreſſus 1753. Alph. 2. pl. 18. tab. aen. 13. Tomus IV. ad annum 1752 et 1753. impreſſ. 1758. Alph. 3. plag. 1. tab. aen. 14.

Quum hactenus ob nimiam librorum iudicandorum copiam impediremur, quo minus horum egregiorum commentariorum mentionem iniiceremus; non in malam partem accipiet beneuolus lector, quod paullo tardius eorum ſummam tradimus.

In claſſe phyſico mathematica, hae reperiuntur diſputationes.

G. W. RICHMANNI *de argento viuo, calorem celerius recipiente et celerius perdente, quam multa fluida leuiora, experimenta et cogitationes.* p. 309 Communis fere apud omnes rerum phyſicarum gnaros fuit opinio, denſiora corpora difficilius calefieri atque adquiſitum calorem amittere, quam rariora. Quare ſibi perſuadent, argentum viuum pertinacius calore

 affici

affici aqua aliisque rebus fluidis atque difficilius refrigerari. Monet tamen, Cl. Auctor, denſitatem ſolam vix eſſe cauſam celeriter vel difficulter admittendi caloris. Iam cum haec forſitan legenti admodum mira videri poſſet ſeatentia, ad eam confirmandam, vt ſolent docti rerum naturalium perſcrutatores, 23 experimenta inſtituit, ex quibus facili negotio colligi poſſunt haec: a) Argentum viuum, ſiue in medio aere denſiore aqueo, ſiue in niue frigidiori, maiora, quam aqua, ſpiritus vini communis, petroleum, oleum therebinthinae, ſpiritus rectificatiſſimus et oleum lini, caloris pati decrementa. b) Idem in medio aqueo calidiori affici maiori caloris gradu, quam petroleum, oleum therebinthinae et ſpiritus vini communis. c) Augmenta et decrementa caloris in mercurio et petroleo; porro decrementa caloris in oleo therebinthinae, petroleo et mercurio in aëre ferme eſſe aequalia. d) Aquae et ſpiritus vini ordinarii decrementa et incrementa caloris in aëre eſſe minora, augmentis et decrementis caloris argenti viui et petrolei; etiam olei lini eſſe in aëre decrementa minora petrolei et mercurii decrementis. Cel. NOLLET quidem in lectionum phyſic. Tom. IV. idem afferit atque experimentis declarat; ſed, ſi quis, quae ab hoc doctiſſimo viro inſtituta fuerunt experimenta, cum eis ab Auctore excogitatis comparare velit, profecto intelliget, plane diſſimilem eſſe experimentorum rationem et modum. Ipſe enim ingenue fatetur, ſe tunc temporis, cum in hanc inquireret rem, neque legiſſe neque vidiſſe NOLLETII huius rei placita. Expe-
p. 325. rimento vigeſimo quarto noua ratione confirmat thermometrorum vaſorumque diuerſitatem nullam parere dubitationem. Quodſi enim ponatur diuerſitas aliqua, haec in fluidis, in calore recipiendo et perdendo, forte a magnitudine particularum

eiusdem

eiusdem generis primae compoſitionis pendet; at in corporibus diuerſi generis ratio et multitudo pororum ad materiam plane aliter ſeſe habet. Quae in fine deſcribuntur experimenta 25, 26 et 27 de- p. 335.
clarant, mercurium maius, quam dicta fluida, caloris decrementum capere.

De ratione calorum et ratione denſitatis radiorum directorum ad denſitatem per lentem perfractorum definienda cogitationes Auctore G. W. RICHMANN. p. 340.
Non ſatis notum eſt, quomodo poſſit definiri, quoties vnus caloris gradus alium ſuperet; nec quaenam ſit mutationum in expanſione et mutationum in calore relatio, vt inter ſe ex comparatis dilatationibus caloris gradus conferri poſſint. Similiter et hoc valde obſcurum eſt, quo pacto denſitas radiorum, per lentem refractorum, in diſtantia quauis a foco, quouisque tempore ratione denſitatis radiorum directorum ſit declaranda. De vtraque re Cl. Auctor cum cogitaſſet, quaedam inuenit digna, quae illuſtri academiae traderentur. Inter omnes enim ſatis conſtat, radiorum ſolarium efficaciam in vitra cauſtica ingredientium augeri et maiorem deprehendi in minori, minorem vero in maiori a foco vitri diſtantia. Iam cum denſitates radiorum ſolarium in foco concurrentium ſint in diſtantiis a foco variis ferme in ratione inuerſa quadratorum numerorum diſtantias exprimentium; non mirum cuiquam videri poterit, ſi caloris ratio thermometrorum ope defineretur. Facile tamen perſpicitur. 1) *non eodem tempore in* p. 341.
diuerſis a foco diſtantiis thermometra in axe coni radiantis locari et obſeruationes ſimultaneas poſſe inſtitui. 2) *Succeſſiuas obſeruationes cum vnico thermometro in diuerſis a foco diſtantiis erroribus occaſionem praebere poſſe, cum radiorum ſolarium efficacia perpetuo mutetur.* 3) *Cum ipſo vitro et vaporibus multi radii intercipiantur,*

 ita

ita, vt omnes non penetrent, et in foco concurrant, patet, radios naturalis denſitatis cum radiis arte condenſatis poſſe inter ſe difficulter comparari. Largiendum quidem eſt, radiorum ſolarium efficaciam, ſi per aërem his radiis calefactum tranſeat, poſt vitra cauſtica minui, cauſam tamen eſſe in largiori ignis tranſitu in aërem calefactum, quam in alia corpora, quaerendam, vix veriſimile videtur; ſed veram debilitatae efficaciae cauſam ineſſe in radiis interceptis a vaporibus intra vitra cauſtica et ſolem pendentibus. Verum vt eo melius, quantum ſit huic ſententiae tribuendum, intelligatur, Cl. Auctor quaedam experimenta magna cum cura inſtituit. Ex quibus patet, radios directos cum radiis refractis
p. 354. haud commode poſſe comparari. Ponamus enim licere comparare, ſequeretur, vt creſcente radiorum directorum vi, creſcere quoque deberet conſtantia aliqua radiorum refractorum effectio, et contra. Porro ſtatuendum eſſet, vt cum eodem gradu a radiis directis effecto ſemper idem gradus a refractis productus eſſe oporteret coniunctus, et cum eodem gradu a radiis refractis producto idem gradus a radiis directis ortus. Hinc intelligitur, quale iudicium ſit de vi caloris in coni radiantis ſectione a lente producti ferendum; deinde et hoc, quo modo denſitatis radiorum ratio lente refractorum ad rationem radiorum directorum poſſit definiri. His traditis Cl Auctor, remotis impedimentis omnibus, ipſas radiorum varias vires in diuerſis ſpatiis collectas comparare conatus eſt; ſuadet tamen, non inutile fore, ſi duae lentes ſimiles et pares eligerentur atque in variis a foco diſtantiis in vtriusque coni radiantis axe thermometri
p. 359. bulbus collocaretur. Quibus enim rite conſtitutis facile obtineretur, a) tantum radiorum intercipi ab vna lente, quantum ab altera; b) tot radios ex vna lente egredi, quot ex altera egredirentur; c) eodem tempore ſolis radios in alterius thermometri

metri bulbo efficere, quo in alterius bulbo efficerent; d) futuras eſſe radiorum denſitates ferme in ratione quadratarum diſtantiarum thermometrorum a focis inuerſa et in eadem quoque ratione radiorum refractorum effectiones. In fine, qua lege poſſint commode eiusmodi experimenta inſtitui, docetur.

Emendatio laternae magicae ac microſcopii ſolaris Auct. L. EVLERO. In hac egregia ad opticam doctrinam pertinente diſputatione non modo, quibus tam laterna magica, quam microſcopia ſolaria laborant vitiis, explicatur, atque qua ratione ab his liberari poſſint, oſtenditur; ſed nouus quoque traditur conficiendorum horum inſtrumentorum modus. Sunt autem vitia, quae a Cl. Auctore in his inſtrumentis vulgari ratione confectis deteguntur, inprimis haec: primo non omnis generis res obiectas repraeſentare et radiis quaſi pingere licet, ſed tantum eas, quae maximam partem pellucidae et diaphanae ſunt. Hoc in cauſa eſt, cur, quae in tabula vitrea expreſſae ſint imagines coloribus admodum dilutis pingantur; cur porro microſcopia ſolaria tantum apta ſint in repraeſentandis eiusmodi rebus, quae ita tenuia ſint, vt lumini tranſitum liberum permittere queant. Quod incommodum, cum magnum ſit, impedit, quo minus permultae res horum inſtrumentorum ope repraeſentari poſſint. Alterum vitium eſt in expreſſa et diſtincta pictura quaerendum. Etſi enim, quae modo diximus, corpora ſatis pellucida ſunt, multum tamen abeſt, vt nitide et diſtincte imagines horum inſtrumentorum ope exprimantur. Cum enim circumiacentes res in parte auerſa lumine colluſtrentur, vnde partes eorum depingendae non niſi ob pelluciditatem lumen adipiſcuntur, radii liberi transgreſſi ſimul in tabulam, ſuper qua imago rei excipitur, illabentes imaginem non ſolum perturbant, ſed quoque, dum p. 363.

 tabulam

tabulam colluſtrant, ipſam repraeſentationem non mediocriter debilitant. Eſt enim, vt compertum habemus, omne lumen peregrinum ſollicite a tabula arcendum, nec vllus alius radius, niſi, qui ad pingendam imaginem requiratur, admittendus. Solent quoque illi radii peregrini lucis, ob variam, qua pollent, refrangibilitatem, quam dicunt, picturam ſuper tabula iridis coloribus circumfundere, quod incommodum inprimis in microſcopio ſolari cernitur. Huic duplici incommodo Cl. Auctor ita occurrit, vt obiectas res non per radios a tergo transmiſſos, ſed a parte antica incidentes colluſtrari ſuadeat. Hoc enim modo illae etiam obiectae res, quae diaphanae non ſunt, commode adhiberi poterunt; neque vlla imaginis perturbatio ab alieno lumine effecta erit pertimeſcenda. Vt enim in camera obſcura obiectae res, dummodo ſufficienter fuerint illuminatae, admodum clare et perſpicue exprimuntur, ita quoque haec inſtrumenta hanc imaginum perſpicuitatem imitari debent; quod quidem facile obtinebitur, ſi a parte antica ſatis
p. 365. fuerint illuminata. Ergo omnis res eo redit, vt eo, quo opus ſit, lumine res obiectae colluſtrentur, nec vllus luminis radius directe in tabulam illabatur; quod quidem facile hoc modo obtinebitur, ſi illa lux illuminans, a qua illuminandi vis pendeat, ad latera tubi dirigatur, eique omnis aditus ad tabulam, in qua imago quaſi pingitur, praecludatur. Qua adhibita cautione non difficile erit, eam componendi rationem adhibere, qua rebus obiectis, ſiue a ſole, ſiue a lumine plurium lampadum tanta illuminatio effici poſſit, quanta ad imaginis claritatem requiratur. Hac poſita rei obiectae illuminatione Cl. Auctor in ſplendorem ſeu luminis quantitatem inquirit, quo ipſa imago per lentem refringentem exprimi debeat. At cum ſplendor ille non adeo fortis poſſit obtineri, eum cum lumine, quo luna

luna plena obiectas res colluſtrare ſoleat, comparat, atque ſic lumen a priori, vt dicunt, quo imago quouis caſu ſit apparitura, definit. Iam pro ob- p. 370.
iectorum ratione, quae repraeſentanda ſunt et multiplicationis ratione in imagine factae, quatuor praecipua machinarum genera explicat; quorum primum eſt de obiectis ſex pedum repraeſentandis; alterum de obiectis vnius pedis; duorum digitorum tertium; et quartum denique duarum linearum. Quod vltimum quidem magnam in conficiendis microſcopiis ſolaribus vtilitatem afferre poteſt; priora vero conſtructionem laternae magicae apprime perficere debent. In quolibet tamen explicato genere non modo magnitudinem, ſed quoque aperturam lentis maxime idoneae diligenter definit, ſimulque imaginis ſplendorem, ad eam pingendam aptum declarat, vt adeo nulla ſupereſſe videatur dubitatio, quin praeceptionibus Cl. Auctoris legitime obſeruatis haud ſpernenda huius generis inſtrumenta cum ad vtilitatem, tum ad delectationem promouendam confici queant.

Annotationes circa conſtructionem horologii marini Auctore C. G. KRATZENSTEIN. Impellens cauſa p. 381.
harum annotationum fuit propoſitum a Cl. KOESFELDIO horologium autobarum, quod in nauigatione ad obſeruationes aſtronomicas inſtituendas et maris longitudinem definiendam vtilitatem aliquam habere debeat. Commendauerat quoque DVDLAEVS in arcanis ſuis maris loco vulgarium clepſydrarum mercuriales quasdam. Sed hoc quidem clepſydrarum genus profecto magnis laborat incommodis, quae ſunt: *alteratio aëris vitro incluſi propter calorem et frigus, modo plus, modo minus fluxui reſiſtens; dilatatio et contractio vitri atque luminis mercurium transmittentis caloris mutationibus oriunda; humiditates modo plus, modo minus mercurio adhaerentes*

 fluxumque

ſluxumque retardantes; acceleratio vel retardatio ſluxus per vim centrifugam oſcillatione nauis mercurio impreſſam; denique *irregularitas ſluxus ex diuerſa cohaeſione mercurii cum vitro.* Iam quibus adminiculis poſſint euitari haec incommoda cuncta, Cl. Auctor ſuadet aëris euacuationem, et vnius eiusdemque caloris gradus perpetuitatem. Ad quartum tamen incommodum quod attinet, ingenue fatetur, id ita eſſe comparatum, vt vix vlla arte adhibita tolli poſſit. *Cum enim centrum arcus oſcillationis nauis, partim pro diuerſa celeritate curſus nauis et velorum diſpoſitione partim pro vndarum agitatione admodum variet, parum iuuabit, clepſydram circa illud centrum conſtituiſſe.* Deinde tradit proprietates illas praecipuas, quibus gaudere debet quodlibet horologium marinum. Scilicet vt *nulla motus variatio ex oſcillatione et ſuccuſſione nauis ex differentia grauitatis ſub diuerſis ab aequatore diſtantiis ex penduli elongatione et contractione calore et frigore oriunda; ex mutatione denſitatis et humiditatis aeris; ex aucta tenacitate olei ad inunctionem adhibiti; ex variatione vis elaſticae ſub diuerſo caloris gradu, ſi elater adhibetur; denique ex noua intenſione vis motricis proficiſcatur.* His rite obſeruatis omnibus concludit, tale horologium nautarum ſcopo omnino ſatisfacere poſſe.

p. 386. *Obſeruationes meteorologicae factae Tubingae annis* 1747. 1748. 1749 a G. W. KRAFFT. Ex inſtitutis cum barometro obſeruationibus apparet, maximam Tubingae altitudinem barometri eſſe 29, 36 et minimam 27, 64 (intelligendo pedis Londinenſis pollices duodecimales atque eorundem partes centeſimas). Ex obſeruationibus thermometri in aëre vmbroſo boream verſus poſiti clarum eſt, calorem per iſtos annos fuiſſe 87 graduum ea ratione numerandorum, quam FAHRENHEITIVS elegit. Deinde commemorat nonnullas auroras boreales,

quas

quas vel ipſe obſeruauerat, vel alii, vt M. BISCHOFF et Cl. VOLZIVS. Lumen Zodiacale anno 1748 dieb. 18. 21. 22 Febr. ſatis perſpicuum obſeruatum fuit, item an. 1749, 5 Apr. aliisque diebus. Declinationes acus magneticae medias ſex pollices longae deprehendit ſequentes: an. 1747, 13°34'; an. 1748, 14°22'; an. 1749, 14°15'. Coronidis loco addit quasdam in defectione lunae an. 1747 factas obſeruationes; porro tonitruum, grandinum, temporis, quo primae hirundines apparuerunt, et halonum mentionem facit.

In claſſe phyſica inueniuntur.

Obſeruationes anatomico-practicae communicatae a IOAN. FRID. SCHREIBER. In *prima* tria oſſa ſupernumeraria maiora caluae, triquetra vulgo dicta, omnem ambitum ſuturae lambdoideae occupantia deſcripſit et in addita icone delineata exhibuit; horum medium pentagonum, duo lateralia quadragona erant. In *ſecunda* variae res praeternaturales in cadauere viri deprehenſae enarrantur, hic quidem per aliquot annos reſpirationis impedimenta in pectore ſenſerat, et tandem ſubito attonitus vita priuatus fuerat. Inter piam matrem et arachnoideam materia albida gelatinae ſimilis, quae preſſa ſerum fudit, deprehendebatur; arteriae piae matris ſanguine turgebant, ſinus autem durae matris collapſi inueniebantur; ad lobum medium cerebri ſiniſtrum profuſus ſanguis erat, et corticalis ſubſtantia tota rubra, id quod et alibi paſſim in cerebro obſeruabatur; in cauitatibus cerebri ſuperioribus materia gelatinoſa quoque conſpiciebatur. In pectore, praeter pulmonem ſiniſtrum accretum et polypos quosdam cordis, aorta indurata et intus excreſcentiis gelatinoſis referta erat, tunica interna a muſculoſa ſeparata tumores exiguos ſteatomaticos referebat, p. 395.

rebat, quibus orificia arteriarum intercoſtalium coarctabantur. In *tertia* vehementiſſima capitis contuſio deſcribitur. Ea, quae ad mortem vsque ſubſequuta ſunt, ſymptomata enarrantur, et fracturae variae in additis iconibus ſiſtuntur. In *quarta* tumor ſub muſculo pectorali ex contuſione natus, deſcribitur, qui inſigne aneurysma aortae diſruptum monſtrabat, in hoc polypi triginta octo reperiebantur, qui coniunctim aequabant pondus librarum trium, vnciarum vndecim et duarum drachmarum. In *quinta* varia ſymptomata hydropis pericardii enormis deſcribuntur, et cor delineatur, quod carnis fungoſae eminentiis refertum fuit. In *ſexta*, dubia redditur exiſtentia trium teſticulorum in vno homine: licet enim in quodam viro tria corpora ſibi inuicem aequalia et rotunda in ſcroto deprehenderentur, tamen poſtquam tabe conſumtus obiret, et diſquiſitio anatomica inſtitui poſſet, tertium corpus hydatis erat inter duos teſticulos media, quae aliquas arterias a ſeminalibus accipiebat, et venas ſimiles reddebat, praeterea cum vaſe deferente teſticuli ſiniſtri cohaerebat.

p. 405. *Obſeruationes generales vniuerſam hiſtoriam piſcium concernentes Auct.* GEORG. WILH. STELLERO. Opus hoc poſthumum quamquam cum ad Ichthyologiam Sibiricam et Kamtſchaticam, quae olim proditum iri promittitur, tum ad deſcriptiones piſcium in hoc tomo indicatarum pertineat, e re tamen eſſe duxit Academia, vt illud ceu prooemium hic inferet. Primo diſſerit b. Auctor de generatione piſcium. Omnia cetaceorum et cartilagineorum genera in hunc modum coeunt, vt femella ſupina in dorſo iaceat et marem ſuperuenientem pinnis amplectetur. Omnes ſpinoſi et cartilaginei, ouipari, ouaria ſaltem et veſiculas ſeminales, nec vlla alia ad generandum

randum apta organa obtinent, exceptis tamen muſtela viuipara SCHOENEFELDII et forte muraena. Sed, quae iam cauſa eſt, cur Deus ſpinoſis piſcibus nulla organa generationis externa largitus fuerit? De quo ſic facile reſponderi poteſt; primo, quod fruſtranea eſſent eiusmodi organa, quae, ob corporis fabricam ſpinoſam profecto inepta redderentur. Deinde, vt ſpinoſorum piſcium copia organis dictis carentium longe amplior eſt, quam reliquorum talibus organis donatorum, ita et vſu, ſapore atque ſpecierum diuerſitate reliquos omnes admodum ſuperant. Iam ſi eiusmodi organa adeſſent, quo pacto poſſent vno actu tot milliades ouorum intus inpraegnari? mittamus reliquas rationes ſat graues lectuque digniſſimas, quae idem, quod diximus, mirifice confirmant. Hac ſoluta quaeſtione, ſequuntur theſes quaedam v. c. ouaria maxima in piſcibus magni eſſe vſus; quo maiora ſint oua et quo magis nutriant, eo magis nutrire piſces; quo maiora ſint oua, eo citiora haec capere incrementa; lactes et oua eſſe concreata piſcibus; ſpinoſos piſces quoque aliquo venereo ſenſu gaudere etc. De venereo eorum luſu haec obſeruauit Cl. Auctor: p. 408. in vadoſis locis ſalmones mares et feminae ventrium attritu ouorum et ſeminis profluuium promouent; ſi ſolitarii ſunt, attritu ad ſaxa idem efficiunt; Mares femellarum caudas dentibus auide arripiunt easque adeo arcte deſiderio quodam tenent, vt non modo caudam cute denudent, ſed et ipſos radios prorſus praemordeant. In fluminibus brumali tempore tranquille in locis profundioribus viuunt atque vnus alteri tam arcte apprimitur, vt ex humana induſtria in tot ſeries et lineas diſpoſiti videantur. Atque probabile eſt, hanc piſcium ſpeciem tam connexam ſocietatem non caloris fruendi cauſa colere, ſed propter quandam dulcedinem veneream, quam ex hoc mutuo acceſſu hau-

hauriunt. Stimulare vero ſemen profluens ſphinčterem ani ex eo patet, quod ſphinčter eo tempore magis intumeſcat et fermentationis quadam lege ſemen maſculinum ac femininum ſubtilius perficiatur; quo fit, vt ad blande afficiendas corporis partes genitales aptius reddatur. Ad hoc accedit, quod ſalmonum lačtes aeſtate in terris Kamtſchaticis crudae comeſtae alui profluuium excitarunt, cočtae tamen laxarunt. In calidis vero regionibus ſalmonum lačtes et oua periculoſas dyſenterias excitare ſolent. Quod Cl. LINNAEVS in cyprinis obſeruauit, hoc Cl. Aučtor in corregonis et ſalmonibus obſeruauit; femellas ſcilicet haurire ore ſemen auidiſſime. Praeterea comperit, mares femellarum oua deglutiuiſſe. Sed porro quaeritur, quo modo fiat concubitus et foecundatio? In cauſa eſt attritus ventris mutuus, quo vnus alterius genituram elicit; deinde in ſpermate maſculino, quo irrigando oua feminina impraegnat; denique in pinnis ventralibus, quae ſcrobem excauant et oua in locis quietis eo deponunt, vt aqua, mediante arena, obruantur. In vadoſis fluuiis ſalmones dum pariunt, pereunt; in profundis vero annum quidem ſuperuiuunt, ſed
p.412. non amplius generant. Organa generationis in hunc vsque diem detečta nulla ſunt. Quo magis Deus terram piſcibus nutrire et ditare voluit, eo plures eiusmodi piſces et inter hos magna ouaria et oua habentia dedit. Hinc et ſalmones in vniuerſa terrarum orbe nullibi copioſiores, quam in imperio Ruſſico, reperiuntur. Ob eandem cauſam in terris Kamtſchaticis nullus alius habetur piſcis, vbi magna et panis et aliorum alimentorum inopia ob immenſam niuis copiam deprehenditur. De trutaceo piſcium genere hanc dedit deſcriptionem, omnibus eſt non modo roſtrum acutum, ſed quoque dorſum accuminatius. Feminarum tamen paulo rotundius et conuexius reperitur. De aetate trutaceorum, quae

quae perſpecta ſunt, videatur Auctoris relatio. Extra omnem dubitationem poſitum eſt, piſcium linguas ſaporem poſſe percipere, quod ex eo manifeſte intelligitur, quoniam vnam eſcam alteri praeferunt, alias vero in vniuerſum reſpuunt. Appendices in piſcibus inteſtinales praeter ſecretionem ſucci nutritii in ſanguine, quem in inteſtinum perficiendae concoctionis cauſa affundunt, et hunc habent vſum, vt ſint diuerticula et receptacula chyli, quo piſces tempore inopiae vitam diu ſeruare poſſint. Omnes piſces ſpinoſi propter generationem profunda loca deſerunt et vadoſa quaerunt. Corregoni a ſalmonibus differunt paucitate oſſiculorum branchioſtegorum, paruitate et colore ouorum, colore carnis et inteſtinis praepinguibus. Salmonum caro non tam noxium eſt corpori humano, quam ſibi hactenus medicae artis periti perſuaſerunt. Quibus traditis, docet Cl. Auctor, quae in hiſtoria ſalmonum, corregonorum et osmenorum obſeruanda ſint. In fine ſequitur accurata deſcriptio partium earumque differentia in variis ſalmonum ſpeciebus.

In claſſe phyſico-mathematica Tomi quarti ſequentes inueniuntur diſputationes.

Reſolutiones problematum ſpectantium ad architecturam ciuilem Auct. GEORG. WOLFFG. KRAFFTIO. Cum ampliſſimus ſit matheſeos vſus, profecto mirum videri id nemini poterit, quod in architectura quoque ciuili reperiantur problemata a matheſi quodam modo pendentia; talia inprimis ſunt, quae ad firmitatem aedium ſtabiliendam pertinent. Sunt tamen et alia, quae magnam eis venuſtatem concernere valent. Vtriusque generis problemata Cl. Auctor in hac diſſertatione ſoluit, initium faciens a diligentiori concamerationum, quas fornices appellant, p. 199.

appellant, contemplatione. Qua abſoluta, qua ſolet induſtria, de tectis rectilineis exponit.

p. 230. *De virtute magnetica absque magnete communicata experimenta* Auct. G. W. RICHMANN. Hae et quae ſequuntur diſputationes Cl. Auctoris poſthumae quidem ſunt; verum quia ipſe eas, dum viueret, illuſtri academiae tradidit, multaque eis ineſſent, quae lectoribus pergrata eſſe poſſent, operae pretium exiſtimatum eſt, eas publici iuris facere. Anſam ad haec experimenta circa vim magneticam inſtituenda dederat vir S. Reu. DANIEL DVMARESQVE SS. Theol. D. et eccleſiae anglicanae, quae Petropoli colligitur, paſtor meritiſſimus, qui, cum multos libros ex Anglia acceptos tulit, et eos quoque accepit, in quibus de magnete artificiali conficiendo mentio fuit iniecta. Haec mirabilis inuentio, cum eius Cl. RICHMANNVS certior eſſet factus, eum impulit, vt experimenta ad hanc rem pertinentia fingeret. Fatendum quidem eſt, doctrinam hanc ab aliis eſſe ſatis excultam; tantum tamen abeſt, vt Auctoris conatus plane inutiles ſint exiſtimandi. Primo ſtatim experimento deſcribit modum, quo duplo maiorem, quam MICHELIVS vis magneticae gradum laminae chalybeae communicauit. Tradidit deinde quaedam lectu iucunda de virtutis magneticae deſtructione, eiusque poſtquam fuit deſtructa, inſtauratione. Porro docet rationem, qua poſſit magnetica vis inſigniter augeri. Denique refert experimenta quaedam circa attractionem laminarum magnetismo artificiali imbutarum.

p. 241. *Inquiſitio in decrementa et incrementa caloris fluidorum in aere* Auct. G. W. RICHMANNO. Corpora illa, quae maioris caloris capacia ſunt, minorem ſaepe caloris retinendi vim oſtendunt, veluti

conſtat

conſtat de mercurio, ſi cum aqua aliisque fluidis craſſioribus comparatur. Fuerunt quidem permulti hactenus phyſici, qui ſtatuerent, corpora eo tardius definitum calorem aſſumere, quo denſiora ſint, atque eo tardius iſtum calorem amittere. De argento viuo alibi oſtendit Cl. Auctor, perperam doceri a quibusdam, hanc corporum proprietatem, de qua ſermo eſt, denſitatum ſequi rationem, ita, vt corpus denſius difficulter, rarius facile aut priuetur calore, aut imbuatur. Experientia enim duce inuenit, mercurium tanquam fluidum omnium denſiſſimum craſſiora inter fluida eſſe obedientiſſimum; itaque optimo conſilio factum eſſe cenſet, vt ipſum in perficiendis thermometris prae reliquis fluidis recentiores elegerint. Hoc loco ſolida ſub examen vocare in animum induxit, adhibitisque multis experimentis inuenit, *neque mobilitatem maiorem a calore,* 1) *denſitati minori, neque* 2) *cohaerentiae minori* 3) *neque vtrique ſimul, neque* 4) *duritiei minori, neque tandem* 5) *omnibus ſimul eſſe adſcribendam.* Legem tamen, quam natura hic obſeruare ſolet, plane eſſe incognitam, profitetur; deſunt enim eiusmodi experimenta, ex quibus haec tam admiranda caloris in corporibus effectio colligi poſſit. Ineſt quoque in hac Cl. Auctoris diſputatione alia quaedam diſquiſitio, quae omnem attentionem meretur. Quidam rerum naturalium perſcrutatores iam obſeruauerant, aquam in phiola contentam, ebullienti immiſſam aquae, vehementer incaleſcere, ſed nullo pacto poſſe eo reduci, vt ipſa ebulliat. Cum haec res cum eis, quae hactenus illuſtrauerat, quodam modo eſſet coniuncta, paulo diligentius in eam inquiſiuit atque inuenit, *vix vnquam vltra gradum* 205 *aſcendere thermometrum Fahrenheitianum, ſi immergatur aquae vaſe metallico, quod vndiquaque maiori ebullientis aquae copia eſt cinctum, contentae;*

quod tamen thermometrum ebullienti aquae immediate immerſum nunquam ad gradum 212 *adſcendit.* Poſſet quidem aliquis ſuſpicari, rationem veram in eo eſſe quaerandam, quod aqua non ſit capax eius caloris, qui 212 gradum thermometri Fahrenheitiani reſpondet; vel ita ſtatuere, vt vas aquam continens, quando eiusmodi experimenta inſtituuntur, non totum in ebulliente aqua ſubmerſum eſſe ſoleat, ſed ex parte ipſa promineat. Verum vtramque hanc dubitationem funditus debilitat. Fatendum tamen eſt, latere etiam hic naturae quoddam arcanum, cuius cauſa plane ſit incognita.

p. 270. *Tentamen ſolutionem in diuerſa temperie ad menſuram reducendi* Auct. G. W. RICHMANN. Experientia docet, ſalia ab aqua, ſi maiori caloris gradu gaudeat, velocius ſolui, quam ab ea, quae minorem poſſidet caloris gradum; ſed de lege, quam natura hic ſequi ſolet, nihil hactenus cognitum eſt atque exploratum. Quae cum, vt facile perſpicitur, eo demonſtrationis genere, quod a priori ducitur, vix explicari poſſit, experimenta ſola superſunt, quae cum in omnibus rebus phyſicis, tum in hac potiſſimum magnam vim habent. Hoc conſilio Cl. Auctor cubulos ex ſale gemmae inter ſe aequales effici curauit, quorum alterum in temperie 42, alterum in temperie 84 graduum thermometri, cui nomen a FAHRENHEITIO eſt, ſolutioni immiſit, atque magna diligentia in eam partem, quae dato tempore ſoluta eſſet, ope librae exquiſitiſſimae inquiſiuit, eamque ſedulo annotauit. Tandem reperit, eſſe ſolutionum celeritates ſub dictis iam temperiebus 42 et 84 graduum, prope vt 1 ad 2, ex quibus manifeſte apparet, velocitates in hoc caſu eſſe, vt gradus thermometri Fahrenheitiani temperiebus fluidi ſoluentis reſpondentes. Num idem vero in ſolutionibus ſub reliquis thermometri

gradibus obtineat, dubia res eſt vel non ſatis explicata. Quod ſi approbari poſſet, profecto eiusmodi thermometra optime celeritates ſolutionum exprimere poſſent, atque tanta futura eſſet eorum praeſtantia, vt reliquorum thermometrorum diuiſiones nimirum Deliniani et Reaumuriani quam longiſſime ſuperaret.

Tentamen rationem calorum reſpectiuorum lentibus et thermometris definiendi Auctore G. W. RICHMANN. p. 277
Quod calor mercurium vel aliud fluidum quoduis, ſi augeatur, in maius volumen extendat, quodque eo maius volumen euadat, quo maior efficiatur caloris gradus, experientia docet. Attamen de eo nihil certi hactenus conſtitit, vtrum duplum v. c. caloris incrementum duplum quoque producat expanſionis incrementum, an minus et ſic porro. Poſſet itaque aliquis non inepte dubitare, an thermometra noſtra in definiendis caloris incrementis tam apta ſint, vt eis adhibitis veri expanſionis gradus intelligantur. Quo magis mercurius extenditur, eo minor fiat cohaerendi vis neceſſe eſt; quare calor, hac imminuta cohaeſione maiorem effectum producere validus eſt. Cum haec res diligentiori exquiſitione eſſet digna, Cl. Auctor de experimentis ſedulo cogitauit, ex quibus poſſet definiri, numne dilatationis augmenta in maiori creſcant ratione, quam incrementa caloris; quaeque ſit lex ipſa, quae caloris augmentum perſpecto dilatationis augmento et contra, explicaret. Ad inſtituenda iam eiusmodi experimenta opus erat diuerſis caloris gradibus cognitae inter ſe rationis. Tales vero gradus lentium conuexarum ope obtinentur, quae, vt manifeſtum eſt, cylindros radiorum ſolarium in conum colligunt, atque calores poſt eas in diuerſis diſtantiis inuerſam quadratorum diſtantiarum a foco rationem ſequentes produ-

producuntur. His ita conſtitutis, thermometra exquiſite concordantia et aequabiliter mobilia poſt lentes ſoli oppoſitas in diuerſis ſtatuit diſtantiis atque dilatationis mercurii exceſſus ſuper mercurii a calore dilatationem in vmbroſo loco inueſtigauit; porro thermometrorum exceſſus caloris in variis diſtantiis ſuper calorem in vmbra annotauit. Denique ex inſtituta comparatione exceſſuum dilatationis argenti viui ſuper dilatationem a calore in vmbra legem aliquam definire conatus eſt; vt cognitis exceſſibus dilatationis argenti viui ſuper dilatationem a calore conſtanti, quilibet caloris exceſſus reſpondentes erui commode poſſint. Quibus omnibus rite obſeruatis reperit quidem, dilatationis incrementa in maiori creſcere ratione, quam caloris augmenta, atque ſic theoriam cum experientia ſatis accurate conuenire; ſed legem ipſam nullo modo eruere valuit. Pollicetur quidem, ſe omnem operam eſſe daturum; vt nouis aliisque experimentis ope thermometrorum amplioris ſcalae in hanc rem definiendae legis cauſa inquireret; at proh dolor! improuiſa mors huius doctiſſimi in doctrina phyſica viri inquiſitionem vlteriorem vetuit.

p. 301. *De indice electricitatis et de eius vſu in definiendis artificialis et naturalis electricitatis phaenomenis diſſertatio* G. W. RICHMANNI. Haec diſſertatio omnium, quas Cl. Auctor permultas egregie et ſolide ſcripſit in rebus phyſicis, coronidis quaſi loco eſt, eaque tanto notabilior, quod, quam continet, iucunda inuentio ei mortem inopinatam parauit. Per octo enim annos in electricitatis phaenomena inquiſiuerat, omnique ſtudio elaborauerat, vt machinam aliquam, electricitatis gradus et vim indicantem, quam electrometrum appellat, excogitaret. Tandem felici quidem ſucceſſu, ſed infauſto aliquo fato ſibi ipſe periculum mortis comparauit.

Nam

Nam ſaeuiori fulmine tactus repente periit ſuoque exemplo docuit, quanta cautione ſaepe in experimentis naturae arcana denudandis, inprimis eis ad electricitatem pertinentibus ſit opus. Ex voto autem fuiſſe indicem illum electricum, quem inuenerat, approbant horum commentariorum tomus XIV; ſed ipſe ingenue fatetur, indicem iſtum priorem electricum duplici laborare vitio, primum, quod corpori electricitate affecto adplicatus cito perdat electricitatem; deinde, quod in quouis corpore non ſatis apte poſſit adhiberi. Vtrumque hunc defectum conſiderans, nouam aliquam conficiendi indicis rationem repetit, quem in hac diſſertatione delineatum atque exacte, vt ſolet ſemper, deſcriptum dedit. Iam ad deſcriptionem ipſam, quod attinet, cum ſine icone haud poſſit eius ſumma tradi, praetermittamus eam et potius de eis rebus, quae notatu dignae videantur, vnum atque alterum excerpamus. Huc pertinent ea, quae de lumine conico ex angulis ſolidis acutis corporum electricitate affectorum erumpente, et de coniuncto cum luminis huius apparentia inſigni electricitatis decremento aliisque annotauit. Exiſtit enim quaeſtio, cur lumen conicum in angulis ſolidis acutis potius et partibus oriatur corporum prominentibus? Quod materia electrica agitata tale ſpatium circa corpus electrificatum occupet, vt a quolibet ſuperficiei puncto eandem diſtantiam ſeruet, ſatis probabile eſſe videtur. Iam cum corporum ratione figurae et magnitudinis magnum ſit diſcrimen, electricae quoque materiae agitatae volumina valde diſcrepent, neceſſe eſt. Quare diſcrepantibus his voluminibus corporum electrificatorum actiones ſub eodem electricitatis gradu admodum differre debent. Cognito itaque actiuitatis radio electrico in priſmatibus rectis, cylindris, ſphaeris, facili negotio

 volumen

volumen materiae electricae agitatae erui poteſt. Tanto maius eſt huius materiae volumen angulo ſolido incluſum, quanto acutior eſt angulus baſeos prismatis, baſeos lateribus incluſus. Atque eo minus eſſe illud volumen, quo dictus angulus obtuſior, poſito ſcilicet eodem actiuitatis radio. Materia electrica agitata a corporibus eo difficilius ſeparatur, quo in pluribus punctis haec attingit corpus, et eo facilius, quo in paucioribus id fit punctis; Ex quo intelligitur, cur in ſuperficiebus corporum planis materia electrica in motum conſtituta corpori in pluribus punctis adhaereat difficulterque poſſit ſeparari, atque nullum lumen continuum, vt in corpore non electrificato ad corporis electrificati angulum adpropinquante, oriatur.

p. 321. Altera huius diſſertationis pars phaenomenis praecipuis continetur, quae indice iſto electrico detecta ſunt. Horum experimentorum duo genera, alterum ea, quae ad electricitatem artificialem pertinent, complectitur; in altero inſunt experimenta quae electricitatem atmoſphaerae aëreae ſiue fulmineam aut naturalem concernunt. In vtroque genere Cl. Auctor permulta habet ipſi propria lectuque iucundiſſima.

In Claſſe phyſica proponitur.

p. 343. ABRAHAMI KAAV BOERHAAVE *diſſertatio de cohaeſione ſolidorum in corpore animali.* Pertinet haec de ſolidorum cohaeſione diſputatio egregia ad ſcripta Cl. Auctoris poſthuma, qua illuſtris Academia ſuos commentarios ornare voluit. Ampliſſima eſt multisque rebus copioſa, vt dubitandum ſit, an de ſingulis capitibus, quae noua luce colluſtrata ſint, ſummatim aliquid dici poterit. In quolibet animali diſtinguenda veniunt ſolida fluida, eorumque motus. Primae partes, quibus conſtant, ſolida fluidaque, ita

ita inter ſe cohaerent, vt a ſe inuicem ad certam diſtantiam recedere et accedere poſſint. Haec elementa in omnibus rebus conditis plane immutabilia, ſimpliciſſima et prorſus eadem ſunt. Ex combuſtis vegetabilium et animalis corporis partibus remanentes cineres meram dant terram chemicis virginem appellatam, nec in aqua ſoluendam, neque per ignem liquefaciendam, ſed fixam et immutabilem. Haec fere in omnibus corporibus ſiſtit firmamentum, fulcrum et ſtabile principium. Quo itaque partes in corpore ſunt firmiores, eo propius ſibi nexa habeat elementa prima, neceſſe eſt, ita tamen, ne vnum alterum ſimpliciter tangat, ſed molle aliquod vinculum, gluten dicunt, in ſicciſſimis etiam partibus aquoſum, vel oleoſum elementa copulet. Haec ſolidorum elementa aeque ac gluten iſtud, quod illa connectit, principio haeſerunt in liquidis cum eis in motum conſtituta, tandem ex iisdem ſubtiliſſimis ſunt ſecreta, vt patet ex homine adulto, qui olim vix ſtamen fuit conſpicuum, quod, niſi a fluido, cui innatat, ſuſtentetur, in mucum mutabitur. Quae in diuerſis corporibus tam magna deprehenditur varietas in ſolo glutine laxiori vel ſtrictiori modo elementa connectendo quaerenda eſt. Atque gluten illud in omnibus idem eſſe videtur, hoc tamen diſcrimine, vt in diuerſis partibus et diuerſa earum aetate ob variam ſolidorum oſcillationem auctamque eorum reſiſtentiam diuerſimode ſit compactum. In plantis res euidens eſt; ſol enim ſuo calore limpidiſſima olea inſpiſſat et in terebinthinam commutat; verum aeſtu magis agitata in reſinam tranſeunt. Calculi in animali corpore naſcuntur, dum particulae aliae aliis apponuntur, quae paulatim ex humoribus ſecernuntur. Ex quibus efficitur, primo fluida quaeque in corpore animali per motum et calorem fieri ſolida, idque eo magis, quo ſubtiliora p. 352.

 ſint

ſint ſecreta de prius commiſtis. Deinde patet, ſecreta illa inorganica partes organicas componere, quae de tenuiſſimis humoribus ſibi ſimillima ſolida ſecernant et ſecretis prius adponant, vt ex nutritione, incremento etc. manifeſte apparet. Firmae in corpore animali ſunt eae partes organicae, quae ex vltimis ſolidis glutine coniunctis conſtituuntur. Ex elementis terreſtribus iuxta longitudinem glutine copulatis naſcitur fibra ſimpliciſſima, quae velut geometrica linea ſine latitudine conſideranda eſt. Ex eiusmodi fibris pluribus iuxta ſe inuicem molliter connexis oritur membrana ſimpliciſſima, quae conuoluta canalem minimum exhibet. Ex hac membrana ſecundi ordinis vaſa proueniunt. Cum in maioribus partibus atque aliis paulo ſubtilioribus tela cellulosa reperiatur, quae inter ſe partes molliter coniungit, vt facile recedere et accedere poſſint; eam quoque in vltimis adeſſe, quae ex gelatinoſo et plaſtico humore agitato fiat, veriſimile videtur. Fibra enim, quae minima diſſoluenda conſpicitur, apparet cum ſimili ſocia interuentu celluloſae tenuiſſimae iuxta longitudinem connexa. Robur in muſculis non repetendum eſt a craſſitie vniuſcuiusque et ſingularis fibrae, ſed a multitudine earum, vt ex praeparatis elephantis partibus cognouit Cl. Auctor. Quare inanis eſt opinio de actionibus muſculorum fibrisque eorum obliquis vel transuerſis longitudinales contrahentibus. Quoties enim agit muſculus h. e. quoties longitudine imminuta in latitudinem extenditur, toties eiusdem fibrae ex cylindrica figura in ſphaericam commutantur; ſiue per interſtitia in veſiculas communicantes diuiſae exporriguntur. Quare ſimpliciſſimae fibrillae ratione cohaeſionis immutantur, Deinde cum fibrae latera elongantur, dum veſicula magis impletur, atomi, ex quibus fibra conſiſtit, magis a ſe inuicem remouentur vt ductile gluten plus exten-

extenditur. Ceſſante vero actione, muſculus fibrarum reſtitutione elongatur, atque atomi propinquiores redduntur et gluten denuo magis compingunt. Haec inſita contractionis vis eſt conamen minimarum particularum prius remotarum ſe iterum coniungendi ob vim illam, quam attrahentem dicunt. Itaque fibra quaelibet ſimpliciſſima et quae ex his connexis componitur, maximam vim exſerit in muſculo et membrana, quando contracta eſt, et tamdiu in eo perſeuerat ſtatu, donec alia accedat cauſa extendens prioremque ſuperans. Nulla fibra ſimplex agit ſolitaria, vt ex illis, quae con- p. 367.
nexae muſculum conſtituunt, euidenter apparet, ſed aetate ad validiorem actionem non modo propria cum fibris ſimilibus cohaeſione arctiori firmior redditur. Sic mucoſa in incremento ob atomorum augmentum earumque coniunctionem arctiorem, glutine inter easdem condenſato, tenacior fit; ſic vaſcula minima ex ſimpliciſſima membrana conuoluta vna cum liquido, quod continent, concreſcunt.
Cum ergo vltimorum conſtituentium ſolidorum p. 371.
terreſtrium maxima ſit conſenſio tam in animali quocunque, quam in omni vegetanti, quaeritur iam, an in vtrisque vinculum illud vltimum ſit idem aquoſo - oleoſum gluten? an porro prima compoſita corporum principia in animalibus et vegetabilibus ratione materiae et cohaeſionis ſint prorſus eadem? Certe ſimilitudo magna inuenitur ſiue ortum, incrementum, alimentum ſiue nutritorum ſecretionem et exhalitionem in animantibus et vegetantibus contemplemur; quam ſimilitudinem etiam magis confirmat vnius in alterius corpus metempſychoſis. Permagna illa corpora elephantis, cameli, equi etc. ex herbis commeſtis et aqua pura conſtant. Quae aſſumptae res prius in animantium corpus mutatae iterum exhalant, mortuoque animali totum corpus diſſoluitur, ex

quo, vt ſatis conſtat, vegetantes res optimum alimen-
p. 374. tum recipiunt. Sic quotidie animantium partes in materiam vegetabilem commutantur. Sic ex plantis commeſtis omni temporis momento animalium corpora aluntur. Ex quibus admodum facilis eſt concluſio, omnium rerum elementa prima in vegetantibus animantibusque eſſe ſimpliciſſima, terreſtria, immutabilia et prorſus eadem; eſſe quoque gluten has primas res coadunans eiusdem indolis, ſed non ita ſimpliciſſimum, vt potius ex aqua ſaltem et oleo ſit compoſitum. Porro ſtatuenda eſt in vtrisque compoſitorum principiorum paritas et ſimilitudo. Quare ex eadem materia tot tamque diuerſa corpora exſurgunt. Eſt quoque foſſilium cum vegetantibus et animantibus conuenientia, in materia fixata. Differunt tamen ratione alterius terreſtris principii nimirum mercurialis, quae differentia maior eſt in metallis et maxima in perfectiſſimis.

p. 383. *Mus aquaticus exoticus* CLVS. *Auctar.* RAI. *Syn. Quadrup. p.* 217. *Auct.* IO. GEORG. GMELIN. Decreuit illuſtris Academia ex ſcriptis poſthumis Cl. Auctoris digniora his commentariis per partes inſerere, atque illa potiſſimum, quae ad animantium hiſtoriam pertinent *. Mus aquaticus, cuius deſcriptio

* Celebr. GMELINVM in itinere per *Sibiriam* ſuſcepto, plantas non ſolum collegiſſe, ſed et rariora animalia indigena contemplatum et perſcrutatum eſſe, teſtantur opera ab eo emiſſa, Flora Sibirica nimirum et commentarii itineris Goett. 1751. 8. Dolemus quam maxime interceptam morte eius praematura vlteriorem huius florae emiſſionem, cuius Tom. III. eodem ſtudio et diligentia ac antecedentes elaboratum, ante obitum Academiae Petropolitanae obtulerat. In tabulario Academiae adſeruantur etiam multa ſcripta, b. GMELINI manu exarata, quae regnum ſic dictum animale et augent et illuſtrant, partim abſoluta, partim vero inchoata. Potiora ex his Cl. GERHARDVS FRIDERICVS MÜLLERVS, Acad.

deſcriptio hic adornatur, *Ruſſiae* indigena eſt, *Volgae* et *Iaico* fluuiis familiaris. In *Sibiria* nusquam reperitur. Tres huius generis mures a piſcatoribus Caſanienſibus obtinuit, quorum maſculi omnes erant coloris per totum dorſum et capitis ſuperiorem partem ex cinereo nigricantis, in ventre ex cinereo albentis. Omnes ſpargebant moſchi vehementem odorem, qui nonſine moleſtia percipi poterat. Horum animantium, cum ſola magnitudine differre videbantur, maximum deſcripſit. Tota longitudo erat 1 ped. rhen. 2 poll. circiter, cauda 6 $\frac{1}{8}$ poll. Caput ratione corporis ſatis paruum. Rictus latera ſetis albentibus ornata. Dentes vt in reliquis huius generis. Auriculae nullae praeter rimam, quae ad meatum auditorium duceret. Pilorum duplex genus, alterum longiuſculum, molle, rarum, alterum breue, copioſum, molliſſimum, coloris magis diluti. Pedes anteriores digitis quinque nudis membrana

Acad. Scient. Imper. Petropolit. Secretarius perpetuus, GMELINI fidus itineris ſodalis et amicus ſuperſtes, ex tenebris protrahere et in lucem publicam in Commentariis, Tomo hoc IVto et ſequentibus emittere inchoauit. Et quis quaeſo huic labori maiori fiducia ſeſe accingere potuiſſet, ac Cl. MÜLLERVS, qui viua animalia ipſa, vna cum GMELINO ante oculos habuit? Hic ſolus bona fide ſupplere valet, quae in expoſitionibus Gmelinianis deficiunt. Accedit et hoc, quod ſingulari voluptate horum ſtudiorum genere capiatur inſtructusque ſit non ſuperficiaria rerum naturalium cognitione, quam ſibi hoc, de quo diximus itinere Sibirico, et aliis, adquiſiuit, hancque quotidie indefeſſa opera augere conatur. Niſi nos omnia fallunt, confirmant ſatis, quae adſeruimus, primum hoc ſpecimen, datum auctuarii, et diſſertationibus Gmelinianis adiecti non ſolum, ſed etiam libelli a Cl. Viro editi, qui inſcribuntur: *Sammlung Ruſſiſcher Geſchichte*, de quibus, quantum res hiſtoriae naturales pertractant, alia occaſione pluribus diſſerere conſtituimus.

membrana connexis, quatuor oſſiculis conſtantibus in unguem aduncum tenuem deſinentibus. Idem digitorum numerus in poſticis membrana latiori coniunctorum, vnguiculis acutis magis aduncis. Foramen ſingulare pro vrinae fluxu, quamquam omnis adhibebatur diligentia, reperiri nullum poterat. Tota cauda ſquamoſa maxime moſchum redolet. Squamae figura ouali. Color caudae ex cinereo ferreus, ſub ſingulis ſquamis 2 vel 3 ſetae prodeuntes. Pulmonum quatuor maiores lobi, ſunt et aliquot minores. Hepar in quinque lobos maiores et aliquot minores ſectum. Veſica fellea nulla. Ventriculum dimidiae lunae figuram repraeſentans cornubus ſurſum ſpectantibus. Inteſtina coeca nulla. Renes figura humanis ſimiles. Cl. LINNAEVS hunc murem moſchatum recte inter caſtores retulit. Quam dedit deſcriptionem Cl. REAVMVRVS de mure quodam Americano in Canada habitante ab eo, cuius modo mentionem fecimus, paululum differt. Ad mores huius animantis, quod attinet, illuſtri academiae Cl. PETR. RITSCHKOW haec retulit: Mus moſchiferus fluuios minores et lacus, qui cum fluuiis cohaerent, intrat. Nunquam procul a ripa exſpatiatur. Greſſu incedit lento. Latebras caſtorum more in riparum praeruptis excauat. In his parturit, pulloſque educat. Egreditur quando libet quolibet anni tempore. Veſcitur piſcibus interdum herbis. Cum in ſicco raro capiatur, modus alius eos capiendi vſurpandus eſt nempe piſcatura. Saepe enim in retia ingrediuntur. Saepe etiam a piſcibus maioribus degluttiuntur, vt in ſiluris et luciis quandoque obſeruatum fuit. Carnem huius muris neque Tartari, neque Calmucci comedunt. Caudam et pellem blattis eſſe odioſam tradunt. Sunt, qui fruſtula pellis veſtium fimbriis intexant, vt aduerſus aërem nociferum tuti ſint.

Rupi-

Rupicapra cornubus arietinis Auct. IO. GEORG. GMELIN. p. 388. Animal hoc, quod hactenus nemo tam accurate deſcripſit, pilis et corporis agilitate ceruo aſſimulatur. Maris deſcriptio haec eſt: cornua aetate ſatis prouecta nigreſcunt, ſupra oculos ante aures exſurgunt, ad dimidium rugoſa, retro in orbem flectuntur, ita tamen vt eorum acumen ſupra et extra vertatur. Aures plerumque erectae in acumen deſinentes Pedes vngulis bifidis poſteriores longiores. Stando animal anteriores recta extendit, poſteriores incuruat. Cauda vt in ceruis. Sub collo paleare dependens. Capitis et corporis color gryſeus ad fuſcum vergens, medii dorſi, ventrisque luteſcens ad ruffum inclinans. Admodum validum eſt animal; cornibusque quaquauerſum ita ferit, vt ne a decem quidem hominibus coerceri poſſit. Maximi mares ceruum adaequant. Adultorum cornua in magnam molem excreſcunt ac ſaepe 30 libras pendunt. Mas feminam magnitudine ſuperat, in reliquo corporis habitu nullum diſcrimen. Feminae cornua vt in hircis rectiora, paululum rugoſa, paruae molis, tenuia. Habitat hoc animantium genus non modo ad fluuium, ſed per vniuerſam Sibiriam, qua montibus obſita eſt. Frequenter in confiniis *Sinicis* verſatur. Inacceſſis plerumque rupibus delectatur. Cl. MESSERSCHMIDIVS, qui etiam hoc animal vidit, delineauit et exuuias Petropolin ad Cancellariam medicam miſit, in Xenio Iſidis Sibiricae hanc deſcriptionem dedit: „*Archali* Mas, *Cholza* Mongodis in Daurici, „Indis cis Gangem *Dſhaengaeli Bheda*, *Acriodorcas*, „*Pygargus rupeſtris*, viſu eximie pollens; cornibus arie„tenis mole ſtupendis, habitu, ſtatura et pelli cerui, „clunibus et cauda capri, albidis, hiſulca, ruminans. „Au *Pygargus* Plinii, Aldrouandi et Ionſtoni? An „Ebraeorum *Dyſchon Deut.* 14, 5? Reliqua, quae ſequuntur, critica ſunt et partim nomen Indicum reſpi-

reſpiciunt, partim ad declaranda nomina *Muſmonium* et Ophion apud PLINIVM pertinet.

p. 393. *Deſcriptio animalis moſchiferi Kabarga dicti. Auct.* IO. GEO. GMELIN. Cum multa de hoc animali moſchifero non ſatis accurate ab eruditis eſſent tradita, Cl. Auctor cum *Krasnoiarii* commoraretur, in eo elaborauit, vt exquiſitiorem deſcriptionem adornaret. Delineationem eius nullam quidem curauit, quod, quam ISBRAND IDES confecit, tam egregiam eſſe contendit, vt hac melior nulla ex exemplis mortuis deſumpta elaborari poſſit. Eſt tamen delineatio ab omni errore non plane libera, venter enim nimis prominens, animalque ipſum ſine pilis repraeſentatum eſt. Horum animantium Cl. Auctor trium particeps factus fuit, quae tamen paululum minora erant eis, quae GREWIVS et ex eo RAIVS deſcripſit. Atque in omnibus, quae examini ſubiecit, eandem fere proportionem inuenit, niſi quod in femella caput breuius, roſtrumque obtuſius reperiebatur. In auriculis, collo, pedibus et cauda ſimilitudo eſt cum capreolo. Vterque pes in quatuor vngulas fiſſus. De cauda, quid ſit dicendum, anceps manſit. In duobus maſculis, quos omni cum cura contemplatus eſt, nihil eiusmodi cernit. In eam tamen pronus eſt ſententiam, maris oſſa coccygis eſſe pilis nuda, feminarum vero piloſa. Color in dorſo et collo vtplurimum fuſcus eſt ex cinereo paululum intermixtus. Tibiae et pedes colore intenſe fuſco, ſub maxilla inferiori ad mentum vsque internaque femorum parte color gryſeus. Gula linea fuſca alba vtrimque faſcia cincta. Pectus et venter ſupremus colore fuſco cinereus, pubis et reliquae partes adiacentes pure cinereo colore. Pili longiſſimi et magna copia adſunt, ita craſſi, vt vix ſetae porcinae craſſitie cedant, molliores tamen et criſpi. Vtriusque ſexus animal in inferiori

maxilla

maxilla octo dentes inciſores, in ſuperiori nullos ſex vtrinque molares, totidemque in inferiori habet. Diſcrimen inter ſexum maſculinum et femininum ſatis magnum eſt. Differt enim ille ab hoc, 1) *totius corporis mole maiore*, 2) *roſtro magis acuto*, 3) *duobus dentibus exertis e ſuperiori maxilla egredientibus ſubſtantia ebur referentibus*, 4) *ventro eo in loco, vbi penis eſſe ſolet*, *dimidium circiter pedem prominente*. Quae prominentia gallinaceo ouo valde ſimilis eſt, ac pilis vndique hirta. Pilis his remotis duo in illo tumore apparent oſtia, vnum ſuperius oblongum et maius, alterum inferius rotundum et paruum. Preſſo iam tumore ex ſuperiori foramine fuſca quaedam et pinguis materia egreditur, quae moſchum redolet. 5) *Teſticulis*, 6) *extremitate coccygis pilis nuda*. In femella duae papillae tenuiſſimae, nec culmo craſſiores a cartilagine xiphoidea decem fere poll. diſtantes. Vmbilici veſtigium in vtroque ſexu nullum conſpicitur. Incolae iſtius loci horum animantium carnibus veſcuntur; quamquam maſculi caro leuem moſchi odorem ſpiret. Cutis detracta tenuiſſima eſt. Pili tantillum firmamentum in cute habent, vt tacti facillime defluant. Tumor ille, de quo ſupra diximus, folliculus eſt, moſchum continens, cuiusque ſitus vehementer differt ab eo, quem hactenus omnes ſcriptores tradiderunt; ſiniſtra ſui parte et poſterius cum vrethra connectitur, de cuius vero connexione cum pene nihil conſtat, quia eius veſtigium nullum detegi poterat. Vehementer tamen falluntur, qui ſibi perſuadent, penem folliculi corpus tranſire. Eſt vero folliculi fabrica haec: remota cute et muſculo, membrana apparet firma et attactu duriuſcula, quae ſi inciditur internam cauitatem conſpicuam praebet, materiam illam a drachma vna et ſemiſſe ad duas cum ſemiſſe, quam moſchum appellant, continentem. Eſt materia haec fuſci coloris, nec fluida,

nec

nec ſolida, attactu pinguis, e ſuperiore foramine egrediens. Sed vnde originem moſchus ille capiat, nihil certi definiri poteſt, cum quidem vaſa quaedam ſanguifera, ſed nullae glandulae, a SCHROEKIO nominatae, ne oculo quidem armato adhibito detegerentur. Ventriculus cum eo, qui in ruminantibus animalibus comprehenditur, admodum conuenit. Inteſtinorum pauca pars conſpicitur. Hepar, in dextro hypochondrio ſitum, paruae molis eſt. Veſicula fellea, difficilis cognitu, plane collapſa eſt, fellis ne guttam quidem continens. Vaſa et auriculae cordis, vt in ſue. Pulmo dexter in quatuor lobos diuiſus, ſiniſter in duos. Trachea, ſpuma repleta. Penis inquiſitio longe difficillima eſt, admodum enim reconditus eſt, vt magna etiam cura adhibita
p. 408. vix erui poſſit; attamen inuenit eum Cl. Auctor. Quam occulte natura in partibus genitalibus maſculinis progreſſa eſt, tam aperte ſe in partibus alterius ſexus ſe explicauit. In fine, quae in ſceleto notatu digna reperiebantur, Cl. Auctor tradit. Tam abſoluta eſt haec deſcriptio de hoc animantium genere, vt nemo profecto futurus ſit, qui eam legendo non mirifice delectetur. Huic deſcriptioni illuſtris academia quaedam lectu digna adiecit. Animal moſchiferum non niſi *Sibiriam* vlteriorem habitat, cis *Ieniſeam fluuium* nunquam conſpicitur. Vnum idemque eſt cum eo, quod in *Sinis*, in regno *Tangut* et terris *mongolenſibus* reperitur. In eo tamen differt Sibiricum a Sinico, quod craſſioribus pilis et moſchi odore minus fragrante gaudeat. Non eadam horum animantium vbique in Sibiria copia eſt, quia non vbique pabulum naturae ipſius conueniens reperitur. Nam muſco ſiue lichene, vt tarandus, veſcitur, atque inprimis ille ei in deliciis eſt, qui abietibus adnaſcitur. Loca amat deſerta et ab hominum ſocietate remota, ſiluas, montium iuga et campos deſertos. De habitaculis, in quibus

per

per hiemem commoratur, nihil certum. Sub diu requiem capiens dormit in niue. Autumno haec animalia coeunt, vere pariunt, vnicum enituntur partum. Venatores cum recens natorum fiſtulam imitentur, efficiunt, vt matres, hac ſimulata voce deceptae, globulis deiiciantur. Viua, quae capiuntur inedia pereunt. Ne hinnuli quidem arte vlla victui ab hominibus dato aſſueſcunt, folliculi in iunioribus vix conſpicui. Tertio vel quarto anno ad pubertatem veniunt. Quae ſequuntur ad icones horum animantium pertinent.

Obſeruationes quaedam nidos et oua auium concernentes Auct. GEO. WILH. STELLER. Primum Cl. Auctor monet, inanem eſſe rem, ſi quis ex colore formaque ouium atque nidorum fabrica aliquam auium diſpoſitionem condere vellet. Eſt enim admodum varia nidorum ſtructura, atque inconſtans ouorum forma, color, magnitudo, numerus ſubſtantiaque interna. Quare nidorum ouorumque ſedula contemplatio potius ad hiſtoriam naturalem ſingularum auium, quam ad conficiendam methodum aliquam pertinet. Ad magnitudinem ouorum quod attinet, haec differentia deprehenditur: terreſtrium auium oua plerumque ſunt in ratione auis magnitudinis; terreſtrium auium oua ſunt minora aquaticarum auium ouis; marinarum, cliuos maritimos inſulasque deſertas incolentium, auium oua ſunt maxima, atque in ratione ad magnitudinem auium maiora, quam oua terreſtrium ad ſuum corpus. Tenendum eſt, quod aues, quae arcticae a multis dicantur, perperam ſic appellentur, cum et ſub latitudine 48 graduum Cl. Auctor eas copioſe inuenerit. In ouorum numero detectum eſt hoc diſcrimen: terreſtres aues domeſticae plura ponunt oua et quouis tempore; aues aquarum dulcium pauciora; aues maritimae ſtolidae p. 411.

maxima quidem, ſed pauciſſima. Quantum ad colorem, albus color domeſticis auibus, earumque inimicis rapacibus, vt et auiculis omnium minimis. Varius color reliquis, ſed conſtans quauis aetate, quouis loco. Varius marinis ſtolidis, ſed inconſtantiſſimus. Ratione formae, marinarum auium ſtolidarum oua ſolito longiora et acutiora ſunt. His traditis de ouorum magnitudine, numero, colore et forma ſequuntur ipſae ouorum deſcriptiones et picturae. Primum locum occupant *Lommiae* oua, quorum duodecim colore et magnitudine paullulum diuerſa deſcripſit. Auis ipſe corui magnitudinem non ſuperat, ouum tamen pro auis magnitudine maximum eſt. Nidum conſtruit nullum, ſex oua praeruptis nudisque ſaxis imponit vix palmum ſaepe latis, nec ea, quod maxime mirum, auolans aduolansque e rupibus in mare deiicit. Oua, quae ratione coloris et magnitudinis ſatis varia ſunt, valde ſapidiſſima percipiuntur. Vitellus crocei coloris. A fine Maii vsque ad vltimos Iulii dies oua reperiuntur. Singulae aues ſingula ponunt oua. Natant ſaepe in mari dormiturientes; quodſi accidit, vt cymbae appropinquantis ſtrepitum audiant, hominesque videant, adeo terrore percelluntur, vt neque ſubmergere ſe, neque auolare valeant atque ſic facillime capi poſſunt. Alterum genus ouorum, quod deſcribitur, *mergi* eſt *tridactyli, roſtro nigro, pedibus rubris*, ſiue turturis Baſſae ex mente RAII, magnitudine et forma gallinaceis ſimile, quamuis auis non columba ſit maior, colore parum differunt. Tertium eſt *anſeris feri*, maximi, RAII et WILL. Ornith. 274, oua ponit circum medium Iunii quinque, magna, ſordide alba. Nidum in gramineis locis circa fluuiorum ripas ſtruit vel in locis arenoſis ad fluuios. In genere tenendum eſt, omnes cygnos, anſeres et anates vna ratione ſtruere nidos, atque ſimilia loca, ſimilemque mate-

materiem pro ſtruendis nidis eligere. Ouum *anatis fuligulae primae* GESN. et ALDR. Nidus forma, loco, materia cum reliquis anatinis conuenit. Oua ponuntur circa Iunii initium ſatis multa, glabra, colore marmoreo. Ouum *anatis nigrae* ventre fuſco capite pulcherrimis coloribus picto. Nidus menſe Iunii in elatis littoribus ad fluuiorum fontes conſtruitur. Oua plerumque 6, ingentia, glabra, alba, anſerinis domeſticis ſimilia. Ouum *anatis roſtro gibboſo, nigro, rubro et luteo, Maſcherelli apud* ALDROVANDVM. Oua ponit circa medium Iunii, octo vel decem alba, glabra, polita. Oua *anatis arcticae cirratae,* nidus in fiſſuris rupium. Ouum vnicum circa initium Iunii ponitur, candidum, immaculatum, pro auis mole magnum; vitellus crocei coloris, valde ſapidus. Oua *anatis arcticae* ratione molis auis grandia candida, maculis conſperſa. Putamen craſſius ac in reliquis; oua elixa ſapidiſſima, nidus ſub ſaxis, vt anatum cirratarum arcticarum, in quo viginti prope inueniuntur; die 8 Iunii in quorundam nidis pullos reperit Cl. Auctor. Oua *graculi palmipedis.* Hae aues p. 422.
omnium marinarum ponunt admodum mature circa 24 Maji vsque ad 20 Iunii; oua ipſa numero plura valde inter ſe diſcrepant, limites omnes quoad magnitudinem relatiuam excedunt; colore multum differunt; differunt quoque et forma. Graculus ille nidum nullum conſtruit, ſed oua ſaxis in praeruptis locis imponit, ob ſtupiditatem et ſeſe mouendi difficultatem ſaepe oua e nido deiicit. Ouum *anatis caudacutae Haueldae Islandis,* colore album, ſordide in cinereum leuiter vergens, nitide glabrum, vt gallinacea oua magnum, nidus in locis gramineis non procul a maris littore. Ouum *Colymbi caudati ſtellati* ouale extus fuſcum et nigris punctis raris conſperſum, anſerini magnitudine; nidus circa lacus non procul a mari in gramine

 ſtructus.

ſtructus. Ouum *Picae marinae* Gallorum, ponit duo breuiora ſed gallinaceis ambitu craſſiora, albo cinerea, vndique nigris maculis denſe ornata. Nidus negligenter conſtructus in fluuiorum inſulis et in ſaxis circa mare. Oua *Lari* in Inſulis Kurillis, *Iacut* dictis, plerumque tria forma et magnitudine differentia, nidus in ſaxis praeruptis iuxta mare ex congeſtis ſtraminibus, gramine et paucis plumis conſtructus. Oua *Lari ſupine ex albo cinereo et baetico varii prone albi*, *pedibus flauentibus;* gallinaceis minora, albo cinerea, maculis fuſcis varia; duo ponit, nidus in inſulis fluidorum negligenter conſtructus. Ouum *Mergi marini* in Kamtſchaticis *Starik* dicti, a ſingulis auibus ſingula oua ſatis magna, quorum color inconſtans et varius eſt, nidus nullus, oua ſaxis rupium extantibus imponuntur. Oua, *an Lari cinerei maximi* RAII et WILLVGHBEII? quatuor in nido, colore diſcrepantia, magnitudine anſerinis ouis ſimilia. Oua Lari cuiusdam ſpeciei ex albo ſubflaua; vertex latior fere totus fuſcus. Putamen valde craſſum et validum. Oua *Cinchi*, *the Stint*, quatuor cinerea punctulis fuſcis variegata. Nidus haemiſphaericus planus e ſicco gramine in gramineis collibus circa mare ſtructus.

Obſeruationes meteorologicae annorum 1744-1747 *cum animaduerſionibus et conſectariis Auct.* IOSEPHO ADAMO BRAVNIO.

II. *Der*

II.

Der Gichtſchwamm mit grünſchleimigen Hute beſchrieben und mit fünf Kupfertafeln ausgemahlter Abbildungen erläutert von IACOB CHRISTIAN SCHAEFFER *Evangel. Prediger zu Regensburg; Sr. Königl. Maj. zu Dännemark Norwegen Rathe und der Weltweisheit Profeſſore Honorario auf dem Gymnaſio Academico zu Altona; der Kayſerl. Academie der Naturforſcher, Kayſerl. Königl. Academie zu Rovoredo, Königl. Preuſsiſchen Academie zu Berlin, und Churfürſtl. Bayeriſchen Academie zu München; der Königl. Geſellſchaft der Wiſſenſchaften zu Duisburg und Königl. deutſchen Geſellſchaft zu Göttingen; wie auch der freyen Künſte zu Leipzig Mitgliede. Regensburg, verlegts bey Iohann Leopold Montag.* 1760. *in* 4. 6 *Bog.* 5 *Taf.*

h. e.

De phallo pileo vireſcente et glutinoſo.

Quas nuper in generali introductione in fungorum hiſtoriam commendauerat praeceptiones deſcribendorum delineandorumque fungorum, nunc ipſe Cl. Auctor eo, quo pollet, ingenio exſequi conſtituit. Hoc animo libellum peculiarem de ea fungorum forma, quae phallus voluatus ſtipatus pileo celluloſo a LINNAEO appellatur, confecit, vtinam et de reliquis tam egregiam et diligentem fungorum deſcriptionem componeret. Fatemur enim, ſi vlla res in botanica tanta diligentia opus

habeat, multisque difficultatibus laboret, profecto doctrina de fungis omnem induſtriam atque ſolertiam requirit; dici enim non poteſt, quam minima res ſaepe fungorum formam et imaginem ita permutet, et quam difficile ſit, eos a reliquis internoſcere; quodſi botanicae rei gnari eadem lege graminum deſcriptionem et delineationem conſtruerent haec tam intricata res, quae ſummis difficultatibus obuoluta eſt, facile perfici poſſet. In praefamine huius inſtituti breuiter traditur, praemiſſaque laude, qua ſocietas electoralis bauarica omni digna eſt, commemoratur, eam, quae huic illuſtri ſocietati communicata fuerat, deſcribendorum delineandorumque fungorum rationem tam benigne eſſe habitam; vt hac aſſenſione impelleretur Cl. Auctor, hoc de phalli aliqua ſpecie primum ſpecimen publici iuris facere. Eſt autem, quam tradidit, ratio vniuerſi inſtituti haec: animus eſt, fungorum ſingulorum imaginem repraeſentare, quae, ſi ad finem perductae fuerint, primam huius egregii operis partem conſtituent. Nullorum fungorum imagines pingentur, niſi omni ſolertia a primo eorum ortu ad interitum vsque obſeruati ſint. Picturae cuiuslibet fungi, inprimis hae erunt; pingentur fungi primum, antequam euoluti ſunt, deinde ſequentur imagines eorum, qui parum euoluti ſunt, porro aliae de fungis perfectis, poſtea ſuperficiei, qua maxime fungi a ſe inuicem diſcernuntur, imagines repraeſentabuntur, cum his coniunctae erunt fungorum diſſectorum imagines. Denique ſi opus eſt, in ſtatu corruptionis delineabuntur. Has fungorum imagines excipient aliae, quae variationes expriment. Partes illae, quae ſemen complecti videntur et naturali et aucta magnitudine tradentur. Nomina fungorum et diſtributiones ex LINNAEI libro de generibus plantarum petentur. Cum multa poſſint eſſe impedimenta, quo minus ſuo ordine de fungis exponatur,

natur, nullus in eligendis ordo obſeruabitur. Quae expreſſa eſt imago rite explicabitur et declarabitur. Eorum cauſa, qui nulla de plantis cognitione imbuti ſint, conficientur tabulae, quae genus quodque viuis ſuis coloribus pictum ſiſtent. Praeter eos fungos, qui indigeni ſunt et alii quoque peregrini, ſi haberi poterint, eadem lege pingentur ac declarabuntur. Abſoluta hac prima parte, ſequetur altera, quae deſcriptiones, definitiones, experimenta ſuper fungos inſtituta, continebit. Haec eſt illa optimi inſtituti ſumma.

Nunc quae de phallo ſupra dicto Cl. Auctor appoſite diſputauit, paucis videamus. Eſt ſpecies illa phalli in vniuerſo ferme terrarum orbe obuia atque a multis Botanicis deſcripta. Ob colorem pilei, quo initio tinctus eſt, facile ab alia ſpecie, pileo rubicundo praedita, diſcernitur. Eſt aliud quoque diſcrimen in odore, quem late et copioſe
ſpargere ſolet. Dum creſcit, primum ex volua p. 3.
tanquam ex ouo prorumpit. Opinatur Cl. Auctor hoc ouum initio eſſe tantillum, vt vix in oculos incurrat. Varia eſt huius fungi, quo ex dicto ouo exſurgit, ratio. Eſt ſaepe varietas in eo, quod quidam horum fungorum ſeparatim propullulant, alii coniunctim; non raro quoque contingit, vt oua fungorum ita inter ſe connexa ſint, vt primo adſpectu vnum quaſi conſtituant, cum tamen ſeparata ſint. Eiusmodi oua ſaepe permulta eo loco, vbi fungi creſcunt, in ipſa terra et forma varia et magnitudine recondita reperiuntur. Primum itaque, quod in hac fungorum ſpecie oculis cernitur, ouum eſt, radice quadam donatum, colore plerumque albido, inconſtanti forma, ſuperficie ſuperiori expanſa tenuiter maculata, inferiori rugoſa.
Oui cuiusque radix plerumque ſimplex et vnica p. 6.
eſt, interdum tamen diuiſa; figura cum cono inuerſo conuenit, color idem eſt cum eo, qui in ipſo

ouo conſpicuus eſt; ſitus et magnitudo ſine lege. De tempore, quo ouum ita tumeſcit, vt definitam et requiſitam magnitudinem adquirat, nihil conſtat; forſitan, vt Cl. Auctor arbitratur, ſpatio vnius anni opus eſt; incertum eſt etiam illud temporis interuallum, quod ad findendum ouum eſt neceſſarium. Nec in modo, quo ouum recens et ſitu ſuo naturali exſurgens diſſilit, eſt conſtantia aliqua. Fiſſo
p. 10. iam ouo in conſpectum venit corpus acuminatum, vireſcens, quod ſenſim paulatimque emergit et figurae conicae magis magisque aſſimulatur. Hoc corpus exſurgens in pileum ſeſe expandit; colore eſt ſplendido, vireſcente, et vario, in ipſo acumine macula quadam ornatum, in cuius medio ſaepe rima mox aperta, mox clauſa apparet. Surrectum pileum ſequitur alia pars oblonga, rotunda, candida et paululum rugoſa; quae ſi ad debitam magnitudinem peruenerit, ſtipitem fungi repraeſentat. Inter cuticulam externam et interiorem huius fungi detegitur materies quaedam glutinoſa guſtum vix excitans.

Hic eſt creſcendi modus, donec fungus perficitur; mirum vero eſt, quot quantisque
p. 11. mutationibus ſit ſubiectus. Quae primum vel glabra, vel paululum madida erat pilei ſuperficies cito glutinoſior et ſplendidior euadit; color laete viridis in obſcure viridem tranſit, mutatur macula in pilei acumine, mutatur totus pileus. Cum antea vix vllus odor perciperetur, nunc vehementem, dulcem et nauſeam excitantem odorem quaquauerſum profundit. Tandem et pileus et ſtipes marceſcere verſusque terram inclinare incipiunt. Pes flaueſcit, contrahitur, clauduntur
p. 14. pori, et pileus et pes putredine corrumpitur. In hac fungorum ſpecie praecipuae partes ſunt fungus ipſe et ouum. Infima pedis pars ſemper apertura praedita eſt, cuius limbus exquiſite reſpondet

cauitati

cauitati illi orbiculari in ouo conſpicuae. Ad ouum quod attinet, ſimpliciter cauum eſt, magnamque affinitatem habet cum oui putamine.

Cauitas oui obducta eſt tenella et candida cuticula, cui ſubiecta eſt materia glutinoſa; hanc ſequitur externa illa cutis tanquam corium viſcida. Interna oui diſſecti ſtructura detecta ita eſt: media p. 17.
pars, quae caua ſemper conſpicitur, ſex annulis oblongis clauſa eſt. Subſtantia pedis normaliter diſſecti carnoſa, fungoſa et poroſa apparet. Pileo ineſt materia vireſcens viſcoſa, hac aqua abluta remanet illa pilei cancellata et alba forma. Materia p. 23.
haec vireſcens ope microſcopii ſolaris perſpecta ex innumeris globulis eſt compoſita, qui ſemen horum fungorum eſſe videantur. Quodlibet ouum, ex quo fungus exſurgit, neceſſario nutrimentum quoddam e terra ſugit, quod ſi nullum adſit, ſenſim marceſcit. Si ouum, cute et materia glutinoſa tantum denudatum, vt pileus in conſpectum veniat, in aquam immergatur, ſpatio vnius horae et ſtipes et pileus ita explicantur, vt fungus integer conſpici poſſit. Pes a reliquis partibus ſeparatus ſatis magnam, ſi in aquam iniicitur, aquae copiam inbibit, nullam vero ouum. Ex ouo, ſub campana antliae pneumaticae p. 25.
poſito, nullae bullulae aëreae egrediuntur. Materiae glutinoſae, cuius ſupra mentio facta eſt, nulla ineſt virtus in adglutinandis firmandisque corporibus vitreis aliisque ſimilibus. Natura et indoles huius materiei mucoſae eadem eſt, quae in aliis rebus mucoſis et glutinoſis comprehenditur. In aqua ſimpliciter diſſoluitur. Pes huius phalli vna cum aqua in mortario contuſus, aquae, ſi affunditur, eam vim communicat, quam in armoracia odorando ſentimus. Ouorum ſimilitudo magna eſſe videtur cum animantium ouis; quae peculiaris ei eſt textura placentam vterinam imitatur. Externa cutis chorio,

interna amnio ſimilis eſt. Inter vtramque humor mucilaginoſus velut liquor amnii latitat.

III.

IOSEPH. LVD. ROGER. Med. D. Monſpelienſis, Scientiarum Societ. Regg. Gottingenſ. et Monſpelienſ. Correſpond. Specimen phyſiologicum de perpetua fibrarum muſcularium palpitatione, nouum phaenomenon in corpore humano experimentis detectum et demonſtratum. Gottingae, literis Schulzianis, 1760. 12. pl. 4.

De vibrationibus et oſcillationibus fibrarum naturalibus, multa inter phyſiologos diſputata fuerunt olim, veram illius cauſſam multi ignorabant, alii in neruis vel arteriarum motibus ponebant. Phaenomenon autem illud, quod admota auriculae manu interius in aure ſuſurrus aliquis audiatur, occaſionem dedit Cl. Auctori, vt in ipſum illud curatius inquireret, quod a ſingulari perpetuaque palpitatione muſcularis fibrae exoriri demonſtrari ſatagit. Remotis itaque illis, quae falſam huic phaenomeno dant explicationem, nouam adducit et paruo, ſed cum induſtria elaborato, hocce libello confirmat Cl. Auctor. Aerem rarefactum hunc motum efficere non poſſe, experimentis et illo argumento euincit, quod ſuſurrus perpetuus maneat, aere iam ad aequilibrium deducto. Neque circulationem ſanguinis huius ſuſurri cauſam eſſe cognouit ex reſpiratione, nullam in ſuſurrum vim habente, ex muſculari actione, ſuſurrum intendente potius, quam diminuente, ex continuo ſuſurri tenore, quacunque demum parte auriculae applicata, illa quoque ligatura conſtricta. Porro eundem

eundem effectum abiudicat Noſter fluidi neruei im-
petui aut exploſioni, cum ſubtiliſſimum illud ſit,
neque irritatis neruis impetus maior fiat: immo
tremori membri adſcribendam non eſſe cauſſam,
praeſentia perpetua ſuſurri docet, membris in ſa-
niſſimo homine per artem firmatis.

Ergo alia quaerenda eſt cauſſa, quae *in motu* p. 11.
fibrillari ponitur, ſeu in perpetua et indefinenti
fibrarum muſcularium palpitatione, quae ad ſtre-
pitum vsque fiat, vt ſuſurrus exiſtat. Ex hac vero
hypotheſi cuncta phaenomena ſe explicare poſſe
adſerit Cl. Auctor, hinc nempe intelligi, cur tremu-
lus motus ſit, cur a motu muſculari augeatur, cur
reſpiratio eam non mutet, quippe quae motum
muſcularem non regat. In cauſſa efficiente huius
motus explicanda autem eſt obſcuritas, quam ſe
ignorare fatetur Cl. Auctor, quam tamen aeque
perennem eſſe vult, ac cauſſam motus cordis. Di- p. 19.
rectionis motus itidem non cognoſci poteſt ſuffi-
cienter, putatur periſtalticus motus eſſe, quod
declarat palpitationis inſpectio, ſecundum quam
fibrae mox contrahuntur mox relaxantur, oſcillatio
ad latera fieri nequit, quod lateralis impulſus non
adeſt. Etſi vero muſcularis augeat fibrillarem mo-
tum, confundendi tamen non ſunt, ſiquidem et
neruo abſciſſo aut deſtructo muſcularis deficiat,
fibrillaris euidentior reddatur, quod KAVWII, HAL-
LERIQVE experimentis confirmatur. Quare duo
momenta vel principia motus ſunt, a neruis aeque
ac ab inhaerente aliqua fibris cauſſa, prius muſcu-
larem, poſterius fibrillarem motum facit. Excitat p. 26.
hunc omnis irritatio et neruis inducta debilitas,
ſed irritabilitas, quae tantum facultas eſt paſſiua,
non eſt cauſſa. Inde porro euenit ea vtilitas, vt
motu fibrillari primus detur cordi et fluidis impe-
tus, deinde vt eodem flexilitas contractilitasque
fibrarum conſeruetur, vt porro electricitas naturalis
exiſtat,

exiſtat, calor animalis exoriatur, fluidaque in capillaribus vaſis, non panteſcant.

Haſce vtilitates vltimis tandem capitibus vberius explicauit Noſter. In corpore humano electricitatem per affrictum excitare conſtat, quam in ſide muſica, ex animali deſumta, adhuc oleoſa quoque, excitari experimento didicit Noſter, necnon ex aliorum perſpexit, tubum vitreum, oleo inunctum, electricitatem efficaciorem facere; affrictus a corpore molli debet fieri, quale ſunt fibrae corporis noſtri. Eſt itaque naturalis quaedam in corpore humano electricitas, quae ab BOYLEO HAVKS-
p. 37. BEO, HALESIO et aliis comprobata eſt, immo corpus noſtrum cum lagena Leydenſi optime comparari poteſt: cutem electricam, cum vitro lagenae comparat, partes internas cum aqua lagenae inelectrica, fibrillas muſculares fricantes membranas cum tubo vitreo, internam lagenam electriſante, veſtes inelectricas, cum galericulo plumbeo inelectrico, e quo ſuperficies interior fluidum electricum trahit. Quapropter, quum electrica materia inſit in corpore, ea excitari ad maiorem electricitatis effectum tantum debet, qui vero aliquando pernicioſus fit, vt corpora quoque ſponte combuſta fuerint deprehenſa, quorum multa exempla hic adnotata legimus. Interim electricitas multa bona praeſtat, conſeruat vim actiuam neruorum, quae deperdita ſi fuerit, electricitate etiam artificiali reſtituitur, neruos roborat, quum tremores, debilitatis neruorum ſignum, tollat, deinde cum animali calore tranſpirationem ſuſtinet. quum NOLLETI experimenta exhalationem ſuccorum electricitate auxerint. Ad calorem corporis humani declarandam multi circulationem, tanquam cauſſam
p. 69. praecipuam admittunt, Noſter motui fibrillari tribuit eundem, adducens denuo eruditorum variorum HAMBERGERI, STEVENSONII, ROEDERERI placita

placita contra ſententiam, calorem a circulatione deducentem, monetque calorem, ſi a progrediente ſanguine fit, omnem debere in corde generari, quum progreſſio in ramis retardetur, quem tamen thermometrum in corde maiorem non detegit, ſimulque MARTINII et DERHAMI demonſtrationes perpendit. Motum illum fibrillarem in tertio ordine, fibrarum muſcularium, quem MVYSIVS filorum nomine deſcribit, ob ſubtilitatem earum fieri contendit, quippe quarum etiam cohaeſio compacta ſit; et nodoſitates, quas vocat MVYSIVS, habeat, quae frictionem facilitando calorem producant maiorem. Quum autem motus ille duplici ratione excitetur, irritatione vel neruorum debilitate, iterum hae duae cauſſae producti caloris ponuntur: illam efficit calor atmoſphaerae, itidem frigus, balnea frigida, et alia. Tandem, quo theoriae nouae pateat vtilitas, multa, alias non facile explicanda, phaenomena ex illa explicari demonſtrat, nempe, quare in empyico, digitorum extrema, in phthiſico palma manus caleat, cur actio muſcularis augeat calorem, cur calor in mortuis mox excitetur; ſimulque calorem hunc ſanguini deinde aliis partibus communicari, docet.

Tradidimus itaque potiora hypotheſeos argumenta, licet autem contra eandem aliqua adhuc moneri poſſe praeuideamus, eam tamen, quod noua eſt et attentione digna, intactam praetermittere noluimus, ſed vlteriori diiudicationi commendare.

IV. A

IV.

A Letter from a Phyſician at Bath to Dr. HEBERDEN, Fellow of the College of Phyſicians in London; wherein are ſet forth the nature, ſymptoms and cure of the malignant Sore-Throat; with a hint or two concerning the efficacy of the Bark on ſome important occaſions. London: printed for R. Withy and I. Ryall, MDCCLVIII. pagg. 13.

i. e.

Litterae a quodam medico Bathonienſi ad Doctorem HEBERDEN, Londinenſis Medicorum Collegii Socium, datae, in quibus natura, ſymptomata atque curatio, malignae anginae vlceroſae proponuntur; additis coniecturis efficacium corticis peruuiani in grauioribus quibusdam caſibus attinentibus.

Plura omnino promittit hic titulus ideoque plura etiam in hoc commentario quaeſiuimus, ac illum perlegentibus inuenire nobis licuit. Conſcribendo illi occaſionem dedit illuſtris quaedam femina, a diro iſto morbo iam quarto eius die extincta. Ab auctorum adhuc nemine ſatis deſcriptum eſſe *Noſter* putat hoc valde malignum anginae genus, cuius ſymptomata vt plurimum obuia enarrat,
p. 6. quod ſint: fauces male affectae, febris non valida, cutis ſicca ſine omni perſpiratione, vrina admodum ſaturati coloris absque vllo ſedimento lingua arida atque ſqualida cum exuſtis labiis, ſumma inquietudo, atque tonſillae obſcure rubrae, quarum ſuperior pars cruſta caloris cinerei (*a dark grey ſlough,*) tecta ſit et in ipſo

ipſo glandulae corpore quaſi ſepulta videatur, peſſimis iſtis ac maxime putridis vlceribus venereis, ſi quae has partes occupauerint, ſimillima. Prognoſin ſaepius funeſtam eſſe fatetur; illos tamen paucos, quos ſanitati reſtitutos viderit, aegros hac methodo ſe conſeruaſſe exiſtimat, quod, dummodo ſatis cito et ab ipſo morbi principio vocatus fuerit, illico, ſique neceſſe viſum fuerit, repetitis vicibus venam ſecandam et veſicatoria inter ſcapulas applicanda, aluum apertam ſeruandam, inciſiones profundas in cruſtam iſtam tenacem, putridam, tonſillis inhaerentem faciendas eamque, quantum demum fieri poſſet, remouendam, tumque laeſis iſtis partibus tincturam myrrhae, cui vnguentum aegyptiacum interdum additum fuerit, illiniendam curauerit. Quodſi tamen iſta cruſta, poſtquam ablata iam fuiſſet, ſponte redierit, ſanie ex naribus profluente, anima foetida facta et potus aliqua parte per nares denuo prorumpente, tum in propinquo mortem eſſe monet. In poſterum autem, ſi plures tales p. 10. aegri obuenerint, curae ſuae traditi, corticem peruuianum larga ſatis in quantitate perque omne bihorium repetitis vicibus, cum nitro vel potius elixirio vitrioli, illis ſe exhibere velle ait, quum a vero quam proximum eſſe iudicet, corticem hunc in aliis morbis malignis et putridis optimo cum ſucceſſu iam ſaepiſſime adhibitum, neque huic morbo viribus ſuis defuturum eſſe.

V. *Allge-*

V.

Allgemeine Betrachtungen über die Triebe der Thiere, hauptſächlich über ihre Kunſttriebe: zur Erkenntniß des Zuſammenhanges der Welt, des Schöpfers und unſer ſelbſt, vorgeſtellt von HERMANN SAMVEL REIMARVS *Profeſſor in Hamburg. Bey Ioh. Carl Bohn,* 1760. 8. 1 *Alph.* 4 *Bog.*

h. e.

De animantium appetitionibus eorumque artibus ingenitis Auctore HERMANN SAM. REIMARO.

Quanquam ab inſtituto noſtro alienum videri poteſt, quod librum quemdam argumenti ratione paululum a re medica et eis in natura geſtis diſcrepantem recenſere in animum induximus; tamen cum magnum ei ob multas res tanta diligentia perſpicuitateque traditas ſit tribuendum pretium, atque facile aliqua connexio et affinitas, quas excerpere ſolemus, rerum poſſit euinci; nulli dubitamus, fore vt beneu. lectori iucunda ſit et pergrata huius libri ſumma. Fatemur enim nos eius lectione tantopere eſſe delectatos, vt operae pretium eſſe exiſtimaremus librum commendare, ſi modo noſtra opus habeat commendatione, in quo animantium natura et indoles tam diligenter, tam accurate, tam ſubtiliter et appoſite applicata eſt, vt, quae ab aliis ſubtiliſſimis philoſophis de eis ſunt diſputata, facile ſuperentur. Sed nolumus iam in laudando aliquo libro nimis videri profuſi, adeat ipſe lector tam egregiam de animantium appetitionibus diſputationem, nos perſuaſi, eſſe eam dignam,

quae

quae tanta laude celebretur. Monendum tamen eſt, facilius eſſe de huius libri laude multa dicere, quam eius ſummam aliquam tradere; eſt enim idiomate germanico confectus, permulta quoque cum artis tum doctrinae in eo inſunt nomina, vbi perdifficile eſt, Cl. Auctoris mentem apte exprimere. Sed age! aggrediamur ipſum librum, cuius adſpectus generalis hic eſt: praemiſſis eis, quae de animantium niſu et appetitionibus dicenda ſunt, ſequitur in cap. 1 diſputatio de niſu et conatu corporis naturali tanquam inſtrumento animae; cap. 2 de rerum externarum repraeſentandarum percipiendarumque appetitionibus; cap. 3 de appetitionibus et inclinationibus proprie ſumptis; cap. 4 de artibus animantium ingenitis; cap. 5 de vario vitae genere, quod in animantibus deprehenditur; cap. 6 quibus neceſſitatibus ſubiecta ſunt, explicatur; cap. 7 animantium artes ingenitae diſtribuuntur; cap. 8 veterum circa animantium artes ingenitas opiniones recenſentur; cap. 9 quae a recentioribus philoſophis excogitatae ſunt opiniones enarrantur; cap. 10 quae reliquis praeferenda ſit ſententia, docetur; cap. 11 denique oſtenditur, quo pacto poſſit haec explicata animantium indoles, tum ſui ipſius cognitionem amplificare, tum ſummi creatoris vim atque immenſam potentiam mirifice declarare.

Quodlibet animal conſtat corpore ad ſentiendum et ſua ſponte ſe mouendum apto. In ſenſatione magnum diſcrimen eſt, quo commode animantium natura a reliquis rebus inanimatis ſecerni poteſt, atque in eo conſiſtit, vt poſſint res, quae adſunt, percipi. Conſcium ſibi eſt quoduis animal, quanquam non ſemper diſtincte, earum rerum, quae praeſentes ſunt; quare illud gaudeat anima neceſſe eſt, quae cum corpore admirabiliter fabricato arctiſſime copulata eſt. In quolibet animali varia ſunt niſuum

 genera,

genera; ſunt enim, quorum ratio in ſolo corpori quaerenda ſit, qui, niſi nomen moleſtum, niſus mechanici poterunt appellari; eſt deinde niſus ad percipiendas res praeſentes abſentesque; denique conantur animantia ea, quae percipiant, ſiue
p. 3. cupiant, ſiue auerſentur, exſequi. Iam conatuum mechanicorum natura et conſtitutio ad hanc libri diſputationem non admodum pertinent, eſt tamen cum reliquis conatuum generibus valde connexa, nec commode hi poſſunt ſeparatim declarari, niſi generalis quaedam illorum explicatio praemittatur. (Praemonendum tamen eſt, haec de conatibus, *Triebe*, vocabula non ſatis eſſe apta, quae, ſi quis vſurpare velit, non habebit, quo poſſit ea, quae conatus nomine in corporeis rebus veniunt, ab appetitionibus animantium internoſcere. Eſt enim natura animae viliſſimae etiam beſtiolae a materia omni tam diuerſa, vt, quae in eam proprie cadant, nunquam de corpore poſſint aſſeri). Multa in corpore efficiuntur, quorum ratio in ſola eius fabrica et ſtructura eſt poſita, veluti ſecretiones variorum fluidorum, digeſtio, motus periſtalticus etc. quodſi quis dicat, ſaepe fieri, vt corporis efficientiae ſeſe immiſceant, quaedam reconditae animi actiones, quales adeſſe credimus v. c. cum alios oſcitantes intuemur et ipſi oſcitamus; cum lacrymas effundunt, proni ſumus ad idem faciendum et reliqua. Sed haec, quae in medium proferuntur exempla, tantum affirmant, animantibus eſſe actiones, quae a ſolo corpore non proficiſcantur. Conſtat enim cor vel alias, a corpore abſciſſas, partes ab aëre, igne, ſalibus etc. ſaepe ita affici, vt quo motu in corpore fungantur, nunc ſeparatim eum producant. Ex quo intelligitur, eſſe omnium actionum, quas vitales dicunt, rationem in ſolo
p. 9. corpore quaerendam. Principium vitae ſenſatio eſt, hac ſublata nulla eſt diſcrepantia inter plantam

et

et animal. Magni ſunt momenti conatus corporis omnes; ſunt quaſi firmamenta, quae ſi demas, nec ſenſationes, neque perceptiones fieri poſſunt. Ampla itaque conatuum corporis (*mechaniſche Triebe*) eſt vtilitas, tam quoad animi appetitiones, quam repraeſentationes. Nec mirum vlli videri poterit, cur anima quidem de horum conatuum efficiendi ratione nihil intelligat; quodſi enim eius ſibi conſcia eſſet, eiusque curam gerere cogeretur, quam ſaepe anxiis curis tantopere impediretur, quo minus ea efficeret, quae ad tuendam vitam maxime requiruntur. Deinde quoque patet, cur corporis natura inſtrumentorumque ſenſuum ratio valde conſentanea eſſe debeat, cum appetitionibus, tum toti vitae generi animantium. Quae conſenſio et conſpiratio vt admodum artificioſa eſt, ita omne hominum ingenium quam longiſſime ſuperat et de immenſa Dei potentia ac ſapientia mirifice teſtetur.

Ineſt in animantibus quoque vis et poteſtas percipiendi rerum imagines. Nec vllum poteſt animal cogitari, quod non conaretur eo tempore, quo externae res ſenſuum inſtrumenta afficiant, earum ſpecies et imagines haurire et repraeſentare. Verum cum multae res ſimul ſenſuum inſtrumenta ſaepe afficiant, nec omnium tamen earum conſcii ſimus, eis modo exceptis, quas paulo attentius intuemur, ſequitur, vt perceptionum quaedam ſint obſcurae, aliae clarae et perſpicuae. Sunt autem rerum imagines clarae eae, quarum partes in anima repraeſentantur. Eiusmodi ſeparatam et expreſſam e multis rebus imaginem in animantibus effici, nullus negabit, qui, ſaepe ſenſuum inſtrumenta potius ad hanc et non aliam rem eſſe directa, affirmat. Dum praeſentium rerum imagines haurimus, reſtaurantur aliae, quae ſua ſponte ſe recentibus quaſi immiſcent. In hac reſtaurandarum imaginum rerum praeteritarum vi omnis phantaſia cernitur,

quaeque tam communis eſt, vt nullum ſit animal, quod non ea facultate ſit ornatum. Quippe videmus canes, qui erecto baculo vehementer clamitant, quod verberationum priſtinae imagines ſubito redeant. Valde tamen diſtat illa facultas animantium, quae ratione praedita non ſunt, ab ea, quae in homine comprehenditur. Quae in beſtiis reuocantur rerum imagines tam obſcurae ſunt atque confuſae, vt eas ſemper praeſentibus immiſceant, nec eas vnquam vt praeteritarum rerum imagines percipiant. Velut in cane, qui, cum manu dorſum eius perfricamus, poſticum pedem ita mouet, ac ſi ipſe ſe fricare vellet; ex quo perſpicuum eſt, canem illum priſtinam ſenſationem cum hac praeſente et ſimili manifeſte confundere. Iam ſi beſtiae non valent praeteritas res ab eis, quae praeſentes ſunt, ſeparatim repraeſentare, nullo modo poterunt comparationem aliquam inter praeteritas vt praeteritas et inter praeſentes res inſtituere. Nulla itaque gaudent vi reuocandarum rerum tanquam praeteritarum, nullum heri, nullum pridie in earum repraeſentationibus, ſemper hodie. Eſt tamen haec rerum praeteritarum cum praeſentibus confuſio eorum naturae valde conueniens, eandemque vim habet, ac ſi poſſent praeteritas res, tanquam praeteritas a praeſentibus diſcernere; nam reuocantur imagines, quae nunc nouis praeſentibus immixtae ſimiles appetitiones, auerſationes, animique commotiones etc. excitant, quas excitari in nobis ſentimus, dum praeteritas res accurate a praeſentibus internoſcimus. Sed mirabitur aliquis, quo pacto beſtiae ſine aliqua recordatione v. c. apes, aues etc. ad ea loca, quae colunt, apte regredi poſſint, cui tamen ſic reſpondendum eſt, quod cuncta haec de eis poſſit explicari, quando remota omni perceptionum claritate, eis modo validam et viuacem phantaſiam ſeu imaginationem attribuamus.

Hae

Hac poſita phantaſia videntur diſcernere res et comparare, notiones formare h. e. ex indiuiduis rebus formas, et ex his genera deducere. Sed multum abeſt, vt aptae ſint ad notiones formandas, cum enim canis pomum a carne diſcernat, non ex eo fit, quod notionem aliquam pomi et carnis habeat; ſed quia ſingulis rebus ea competunt, quae in forma et genere adſint. Ex dictis cognoſcitur, p. 36.
num beſtiae ſint vi efficiendi ideas diſtinctas donatae, quam intelligentiam appellant. Nam cum omni ſenſu interno h. e. conſcientia ſint deſtitutae, ſequitur, vt nullo modo aptae ſint ad notiones formandas ideasque diſtinctas habendas. Similiter patet, cur nec poſſint de rebus iudicium aliquod ferre, neque ratiocinari. Nulla itaque beſtiis eſt intelligentia, quam vulgo intellectum dicunt, nec ratio eis eſt tribuenda, omnis enim intelligentia cum rerum claritate et perſpicuitate connexa eſt, atque vbi natura aliqua ratione praedita eſt, rerum principia et connexiones intelligere poſſit neceſſe eſt. Ex quo porro planum eſt, cur nulla ſit beſtiarum conſideratio rerum, neque libertas. Praeter p. 53.
has repraeſentandarum rerum imagines deprehenduntur in beſtiis et alii quidam conatus niſusque, qui a ſenſu vel boni vel aegritudinis et doloris exſiſtunt; vbi videntur ea, quibus delectant, ſua ſponte appetere atque alia, ſuae naturae contraria, auerſari et effugere. Eſt tamen horum conatuum diſcrimen magnum tenendum. Sunt, qui naturae apprime conſentanei inueniantur, ſunt quoque alii interrupti quaſi et declinati. Naturales beſtiarum appetitiones et auerſationes in ipſa natura ſunt fundatae, et cuilibet propriae; reliqui conatus, qui naturales non ſunt, non niſi vi et coactione quadam exiſtunt; quo fit, vt qui naturae beſtiarum conueniunt, vel ex ea conſequuntur, vel impediuntur, vel ad alias res obiectas dirigantur.

p. 62. Quae iam in beſtiis inueniuntur appetitiones naturales, eae iterum in generales et ſpeciales poſſunt diſtribui. Generales omnibus communes, ne homine quidem excepto; omnes enim habent ſui ſenſum, quo vehementer appetunt id, quod ad conſeruandam vitam ſit neceſſarium et effugiunt, quod vitae periculum et moleſtiam afferre poſſit. Eſt enim omnium natura ita comparata, vt, cum externae res blande feriant ſenſuum inſtrumenta, voluptatis ſenſus in eis oriatur; quo efficitur, vt ipſa anima prona reddatur ad eas cupiendas, atque alias, quarum impreſſiones ſenſuum inſtrumentis moleſtiae ſunt, auerſandas. Inde patet, cur omnes beſtiae habeant ſenſum quendam internum ab eo tamen valde diuerſum, quem in hominibus ineſſe animaduertimus, quippe in omnibus reperimus quendam niſum naturae conſentaneum, qui impellit beſtias haec vel illa inprimis cupere et auerſari, licet neque decernant, nec adminiculorum et artium
p. 72. connexionem cum decretis intelligant. Ex hac tam generali animantium appetitione ſpeciales plures et ſtrictiores poſſunt declarari, ſi modo, quae cuilibet beſtiae propria ſit natura, in ſubſidium vocetur.

Eſt vero ſpecialium appetitionum diſcrimen duplex, conſiſtunt enim aliae in vehementiore aut voluptate aut aegritudine ex ſenſibus, vel phantaſia exorta; aliae, autem in artibus ingenitis (*Kunſttriebe*). Iam ſi animis beſtiarum commotiones ſint adſcribendae, nulla erit dubitatio de earum timore et ſpe, gaudio et dolore, amore et odio etc. hoc tamen diſcrimine, vt aliae vel ad hoc potius, aliae ad aliud commotionum genus inclinent. His rite expoſitis ſtoicorum placita de voluptate ex rebus capiendis et Cl. SCHMAVSII erronea et ſatis periculoſa ſententia ſubtiliter et accurate notantur ac reprehen-
p. 87. duntur. Beſtiarum ſenſus, vt inter omnes conſtat,

ita

ita excellunt, vt nullus ferme ſit homo, cuius ſenſus poſſit cum illis comparari. Sed hac ſola poſita intuendae percipiendaeque rei praeſtantia beſtiae omnes profecto ineptae eſſent ad id, cuius cauſa in mundum poſitae ſint, exſequendum. Neceſſe itaque eſt, vt largiamur, eſſe eas artibus quibusdam natura ingenitis donatas, quibus poſſint ſine vlla inſtitutione ea exquiſite apteque exſequi, quae ad vitae neceſſitatem requirantur. Quanta arte enim araneae, formicae, leones, apes et alia inſectorum genera et telam et cauitatem conicam[1], et domunculum conſtruunt, quae ſi paulo attentius contemplari velis, facile patebit, 1) has beſtiolas ex ouulo egreſſas ſtatim ea gaudere facultate, qua poſſint mirum in modum nulla experientia edoctae tam admirandas res tuendae ſeruandaequae vitae cauſa efficere, 2) eſſe illa effecta ad vitae conſeruationem exquiſitiſſima et ad normam aliquam exactiſſima.

Artium ingenitarum eſt duplex ratio, aliae p. 104.
ad naturam ſui conſeruatricem pertinent, aliae ad ſobolis curam exiguntur. Quae ad ſeruandam tuendamque vitam requiruntur, a natura datae ſunt, aut vt bonum aliquod animantia conſequantur, aut malum effugiant. In bonorum numero ſunt purus aër, aliaque media vitae conuenientia, porro debita alimenta ſufficiensque nutritio. In malis beſtiarum ſunt vel res inanimatae vel aliae beſtiae, vel morbus corporisque laeſiones. Ad curam ſobolis pertinent primum, ratione parentum corporum, copulatio, cura et educatio; ratione genitarum animalium, ars ſui conſeruandi ſine alterius auxilio et habitus alimenta ac curam a parentibus accipiendi. Vt haec in vniuerſum obtineantur, motu tanquam adminiculo vniuerſali opus eſt, quique ſua ſponte fieri debet, vel totius corporis, vel vnius alteriusque corporis partis. Reliqua

adminicula et ſubſidia a peculiari cuiusque animantis vitae genere eiusque neceſſitate pendent. Iam
p. 118. cum tot tantaque ſint beſtiarum diſcrimina, non mirum erit, ſi cuique earum propria ſint adminicula et alimenta. Quo modo enim, quaeſo, fit, vt crocodili ex ouis in littore reconditis tam celeriter aquam petant? quo modo ex innumeris quaſi herbis beſtiae eas legant, quae ad ſuam naturam accommodatae videantur? quo porro fit, vt ſe poſſint egregie contra varias iniurias defendere? quaenam eſt cauſa, cur in explendis inſtinctibus venereis ſui generis animalia tam auide quaerant? cur illae beſtiolae, quae nulla parentum cura indigent, eo temporis momento, quo viuere incipiunt et in mundum quaſi ingrediuntur, ſtatim vitae alimenta naturae conſentanea eligere valeant? Ex his et multis aliis exemplis legitima conſecutione ſequitur, artes beſtiarum ingenitas omnes ita eſſe comparatas, vt earum quaelibet talibus ſint inſtructae, quales ad earum naturam atque indolem neceſſariae putentur.

p. 143. Etſi quidem multae et variae ſunt animantium artes ingenitae, poſſunt tamen commode ad decem redigi claſſes, quarum prima eas complectitur, quibus ad mouendum totum corpus eiusque partes mouendas apta redduntur; ſecunda continet artes, quibus efficitur, vt opportuna loca atque elementa appetant et quaerant; in tertia traduntur, quae alendi corporis cauſa datae; in quarta, habitus remouendi malum a rebus inanimatis effectum; in quinta habitus ſe contra alias beſtias defendendi; in ſexta artes ad generationem neceſſariae; in ſeptima, artes parentum in alendis educandisque ſuis; in octaua, artes beſtiolarum recens natarum; in nona, artes ad ſocialem vitam pertinentium; in vltima denique, illae appetitiones naturales, quae vel arte, vel conſuetu-

ſuetudine, vel caſu quodam inopinato ſenſim paulatimque declinatae ſunt atque aberratae.

Ingenitarum artium ſunt proprietates variae p. 150.
praeter eas, quas iam indicauimus et aliae, inueniuntur, notatu dignae: nulla eſt beſtia, quae non ea ſit inſtructa arte, qua poſſit commode ſed et ſua ſeruare atque tueri; nec vlla in ea reperitur ars, qua abundet, aut ſuperſedere poſſit; neque eiusmodi poſſunt artes de ea attribui, quae vel erroneae ſint, vel a ſuo genere alienae. Attamen artes illae non impediunt, quo minus innumerabiles beſtiae pereant, ſunt enim eo conſilio eis inſitae, vt tanta copia ſeruentur, quanta ob nexum cum aliis animantibus requiratur. Vnius generis animantia ſemper eandem in exercendis artibus ingenitis obſeruant legem; quas enim ſaepe animaduertimus exceptiones ita comparatae ſunt, vt modo adeſſe modo abeſſe ſalua re poſſint. Hoc in cauſa eſt, cur eiusdem generis beſtiae, quanquam diſtantibus regionibus vitam gerant, ſemper easdem artes exſequi cogantur. Sunt artes animantium, quas eo p. 163.
ſtatim temporis articulo, quo naſcuntur, callent, ideoque ad naturales pertineant neceſſe eſt. Sunt quoque aliae, quae certa aetate et interdum ſemel in vita manifeſtae fiant conſtantia tamen aliqua, atque hac lege, vt cuilibet beſtiae ad idem genus pertinenti competant. Inde ſequitur, et has quoque artes originem a natura ducere.

Quorundam animantium ea eſt natura, vt, antequam corporis membra ſatis perfecta ſint, iam eis vti conentur; ergo conatus illi neque ab inſtitutione, neque a conſuetudine aliqua, ſed a natura ipſa ſunt deducendi. Aliae beſtiae recens natae parentum tutela curaque neceſſario opus habent. Hae itaque ſenſim paulatimque inſtituendae ſunt, vt abſoluta educatione absque alieno auxilio ſui curam gerere poſſint. Animantium artes ingenitae

ſimpliciter circumſcriptae non ſunt et ita definitae, vt non poſſint adquiſita aliqua cognitione magis
p. 179. perfici. Saepe eorum artefacta caſu quodam corrumpuntur et deſtruuntur, quod ſi accidat, iterum conantur, vel quae corrupta fuerant, reſtituere, vel nouum aliquod opus condere. Qui interdum in efficiendis artefactis ab eis committuntur errores, plerumque ita corriguntur, vt in fine idem quaſi ſit, ac ſi nullum eiusmodi errorem commiſerint. Videntur beſtiae quandoque legem a natura conſtitutam transgredi, vel potius ab ea aberrare; quod aberrationis tamen genus in eis, qui in naturali viuunt ſtatu, quam rariſſime obſeruatur. Nullarum praeter eas a natura datas artium capaces ſunt beſtiae, poſſunt tamen ſolertia, induſtriaque hominum et coactione ita dirigi, vt maius inde lucrum proueniat.

p. 192. Veterum philoſophorum de beſtiarum natura et indole magna fuit diſſenſio; quidam ſibi perſuadebant eſſe omnes ratione praeditas earumque actiones cum humanis factis comparandas. Fuere tamen qui rectius de artibus ingenitis exponerent. Exemplo ſint ea, quae GALENVS et SENECA de eis egregie
p. 212. dixerunt. Diuerſa quoque eſt recentiorum ſuper his beſtiarum artibus ſententia. Alii, vt CVDWORTH, iſtos naturae inſtinctos fati quoddam eſſe genus, cuius illis brutis vim et leges effugere minime liceat, ſtatuebant. CARTESIVS et qui ab eius partibus ſteterunt, beſtias in machinarum numero eſſe arbitrabantur; ſed a pugna non eſſe liberam hanc ſententiam eamque multis difficultatibus eſſe inuolutam Cl. Auctor ſeptem argumentis confirmat.

p. 220. Illuſtris LEIBNITIVS ea, qua pollebat, ingenii ſubtilitate, nouam aliquam excogitauit ſententiam, quam tamen, vt opinamur, nemo quidem amplectetur, niſi, qui eius harmonia praeſtabilita, quam dicunt, mirifice delectetur. Verum eam eſſe

repre-

reprehenſione dignam recte monet Cl. Auctor, qui praeter alias difficultates, quibus haec Leibnitiana de beſtiis declaratio laborat, et hanc non minoris momenti affert, quod, poſita hac ſententia, beſtiae omnes a priori, vt dicitur, omnia ex vno corporis et vniuerſi ſtatu debeant cognoſcere. Nec aſſenſu digna ſunt, quae Cl. MALEBRANCHE docuit, hic enim Deum tanquam ex machina vocauit eique quid conſenſionis eſt inter animam et corpus tribuit. Mittimus BERNARDI ſententiam de Deo beſtiarum anima, quae tam inepta eſt, vt ea ineptius quidquam cogitari vix poſſit.

Cl. BVFFONVS Carteſianam explicandi rationem amplectens, voluit tamen, vt corpori vita aliqua et ſenſatio boni malique tribuatur. Alii, qui materialismo non delectantur, vel vt CHRISTLOB MYLIVS beſtiarum actiones atque fabricatas res a ſolo ſenſu doloris ducunt, vel formis loquendi admodum ſplendidis et impropriis vtuntur, vt quodammodo difficile ſit, eorum mentem eruere; vel explicandi rationem in peculiari aliqua cerebri fabrica quaerunt vt Cl. BOVLLIER. Nec poteſt quoque eorum ſententia vlli eſſe probata, vbi beſtiis ratio et ſenſatio interna h. e. conſcientia, qualis homini ineſt, attribuitur, quam ſententiam maxime defendit Cl. CONDILLAC. Sed hanc beſtiarum rationem optime reprehendit Cl. Auctor. Ponamus enim eas eſſe aliqua ratione praeditas, intellectu difficile erit, quo modo ſubſidiis et adminiculis variis, quorum tamen nullam intelligentiam v. c. beſtiolae recens natae habent, vti poſſint. Porro ſolent illi, qui beſtiarum rationem contendunt, vehementer confundere repraeſentationes ſeu ideas rerum externarum cum ipſa rerum attributorum proprietatumque cognitione. Deinde ſi largiamur, beſtias eſſe ratione ornatas,

ſequi-

ſequitur, vt ad intelligendas res generales abſtractasque, et ad linguam aliquam addiſcendam aptae eſſe debeant, et quae ſunt reliqua argumenta a Cl. Auct. in medium prolata. Alii quidem, quorum Cl. MEIER facile princeps eſt, tantam rationis vim et poteſtatem, quanta homini ineſt, beſtiis non attribuunt, nolunt tamen eas ſine omni ratione eſſe, quare minimum rationis gradum eis adſcribunt. At nec haec quidem ſententia, quanquam magnam veri ſpeciem prae ſe ferat, libera eſt a multis dubitationibus, quas omnes Cl. Auctor apprime indicauit. Supereſt ea, quae a Cl. CHAMBRE excogitata eſt. Permulta hic de imaginibus et quaſi picturis in cerebro expreſſis copioſe diſputauit; eſt tamen eiusmodi declaratio nimis corporea, nec vllo idoneo argumento firmata.

p. 293. Cum itaque beſtiis nulla ratio ſit attribuenda, efficitur, vt, quas in eis experientia duce deprehendimus, vires et facultates omnes ex fabrica corporis, ſenſatione externa internaque corporis, conatibus variisque appetitionibus atque artibus ingenitis explicari debeant. In corpore beſtiarum multa admiratione digna reperiuntur; alias coriis natura texit, alias villis veſtiuit, alias ſpinis hirſutis, alias ſquama obduxit etc. Iam talis corporis fabrica apta eſt ad exercendas artes. Sunt quoque eis alia inſtrumenta corporisque partes ad mouendum corpus a natura data. Quam admirabilis eſt membrorum ſtructura ad paſtum capeſſendum conficiendumque, quaeque cuilibet animantium generi valde conueniens eſt et conſentanea, et quae ſunt reliquae corporis animalis partes egregie conſtructae. Eſt
p. 304. quoque in animantium ſenſibus magna vis et varietas, nullum enim eſt animal, quod non poſſit res externas percipere.

Verum

Verum ad peculiares ſenſus quod attinet, quaelibet beſtia talibus gaudet ſenſibus, qualibus ad vitam ſeruandam et propagandum ſui genus opus habet. Quorundam itaque animantium ſenſus idem praeſtat, quod alia ſenſus genera in aliis praeſtant, v. c. Polyporum, qui lumine vehementer delectantur, quanquam nullum in eis oculorum veſtigium conſpicitur; beſtiarum etiam inſtrumenta ſenſuum ab humanis ſaepe differunt; ſic poſſunt piſces audiendo permultas res percipere, cum tamen adhuc dubia res ſit, quaenam potiſſimum partes ad eas audiendo percipiendas ſint a natura adaptatae. Porro quoties inuenimus inter ſenſus animantium et hominum ſimilitudinem, quae tamen non ſemper ſic intelligenda eſt, ac ſi exactiſſima ſit nullaque poſſit obtinere diſcrepantia; ſunt enim ſaepe eorum ſenſus humanis excellentiores. Denique eſſe beſtiarum genera, quae ſenſibus ſint inſtructae ab hominum ſenſibus valde diuerſis, admodum probabili ratione concluditur. Ex quo planum eſt, eam de quinque tantum ſenſibus ſententiam, quam vulgo defendere ſolent, non ita eſſe firmatam, vt nihil poſſit contra dici. Inprimis ad odoratum, quod ſpectat, tenendum eſt, vitioſum eſſe concludendi genus, ſi quis beſtiis, quod nullae narium partes in eis reperiantur, nullum odoratum attribuere velit. Papiliones enim et alia inſectorum genera paſtum ſuae naturae conuenientem facile diſcernunt, quanquam difficile ſit dictu, quaenam potiſſimum partes narium munere fungantur. Sic quoque audiendi ſenſum in quibusdam inſectis manifeſte cognoſcimus, vt patet ex locuſtis agreſtibus et domeſticis, ſcarabaeis, nonnullis apibus etc. hae enim beſtiolae ſaepe edunt ſonum atque femellas ad celebrandum concubitum inuitant. De viſione plurium beſtiarum nemo dubitat, magnam p. 316.
tamen machinata eſt natura varietatem in

fabri-

fabricandis diſtribuendisque oculis. Profecto mirari ſolemus hominum viſionem, qui, cum duobus ornati ſint oculis, non duplicem rem obiectam, ſed ſimplicem et vnam percipiant; ſed maxima admiratione dignum eſt, quod beſtiolae multae tot oculis inſtructae, non multiplicem, ſed vnam rem obiectam percipiant. Atque, ſi vlla res, animam eſſe nullis partibus concretam, confirmat, ſane illa de multiplici rerum repraeſentatione et vna idea,
p. 324. magnam vim et robur habet. Deſinet quoque mirari quis, qui fiat, vt animantia poſſint, ſine iudicio tantum in capeſſendo paſtu delectum oſtendere; cum enim tam praeſtantes ſint eorum ſenſus, magna oculorum acies, exquiſitus auditus, et eiusmodi partibus inſtrumentisque corpora praedita, quae ſeruandae cuiuslibet naturae ſint neceſſaria; ſequitur, vt cuncta haec ſine iudicio et ratiocinatione efficere poſſint. Ex hac ſenſibili corporis fabrica intelliguntur quodammodo ea, quae in zoophytis atque polypis cernuntur. Eſt enim polypus eiusmodi animal, quod multa alia ſui generis animalcula complectitur, vel ſua ſponte prodeuntia vel arte ſeparanda, quae in communione ſentiunt, mouentur, et peculiari ſentiendi mouendique vi inſtructa ſunt. Hae itaque beſtiolae ſimul ſumptae vnum animal conſtituunt.

p. 337. Magna artium ingenitarum poſita eſt ratio in ſenſu quodam animantium interno; omnibus enim conſtitutionis ſuae ſenſus eſt, quo efficitur, vt poſſint membra apte et expedite mouere. Fieri enim non poſſet, vt appeterent aliquid, niſi haberent ſenſum ſui. Sic animal ſentit ſibi male eſſe ac in ipſo ſtatu morboſo delectatur herba aliqua, qua ſi veſcatur, ſanitatem ſaepe recuperat. Interdum eſt in animantium actionibus machinatio quaedam et ingenium. Sic rapaces beſtiae callidiores ſaepe inſtituta venatione redduntur. Attamen poſitis his

omnibus

omnibus de corporis fabrica, validaque ſenſatione cum externa tum interna, tantum tamen abeſt, vt beſtiarum artefacta cuncta ex his ſolis poſſint declarari, vt potius aliae facultates aſſumendae ſint, quibus fiat, vt tot tamque perfecta opera producantur. Neceſſe itaque eſt, vt cuilibet beſtiae largiamur habitus naturales, quibus idoneae reddantur ad id efficiendum, quod ſuae naturae ſit conſentaneum. Sunt quoque infantes recens nati quibusdam habitibus praediti, vt in ſugentibus manifeſte apparet; eſt tamen inter eos et beſtias magnum diſcrimen, has enim longe pluribus gaudere oportet, quia ſine magiſtro, ſola natura duce, vitae ſuae curam gerere coguntur. Deinde beſtiarum vires et facultates magis definitae comprehenduntur; quae enim dexteritas eis eſt, ea ſtatim, dum naſcuntur, pollent, contra hominum cognitio rerum, quae prima aetate ferme nulla eſt, indies augenda et perficienda eſt. Sunt vero artes illae ingenitae non ita definitae, vt nullo modo poſſint ex perceptis rebus magis perfici et aliter determinari. Quodſi enim beſtiarum habitus naturales omnes ſumantur definiti, parum aberit, quin earum natura ab inanimatis rebus vix ac ne vix quidem diſcrepet.

Haec, iam de artibus ingenitis tradita, explicatio, dici non poteſt, quantam vim habet cum ad venerandum ſummum creatorem, tum ad pernoſcendam ſui ipſius naturam. Nam qui ſibi perſuadent, p. 367. beſtias vniuerſas eſſe eo conſilio conditas, vt ſibi ex eis apparatum delicatiſſimorum ciborum comparare debeant, hoc ipſo declarant, ſe omnium beſtiarum rapaciſſimum animal eſſe putandum. Quotquot ſunt beſtiarum genera, ab vno vel pluribus paribus, quae prima fuerunt, originem ducunt. Nec vlla vis in mundo adſpectabili eſſe potuit, quae ex tot atque innumerabilibus corpuſculis indiuiduis

tam

tam admiranda animantium corpora, effeciſſet. Eſt itaque horum origo in alia cauſa a mundo fortuito valde diuerſa quaerenda. Varietas animalium in mundo pendet a varietate generum vitae. Tot enim poſſunt animalia eſſe, quod vitae genera mundus corporeus admittit. Vitae generis diuerſi ratio in animis earumque natura poſita eſt atque in corporibus aptis cum anima arte copulatis. Nulla anima, niſi ſenſum ſui habeat et ſe quodammodo eſſe felicem cupiat, cogitari poteſt, inde patet, cur Deus mundum ſic condere decerneret, vt omnium animantium ſalus obtineretur, quare ea artibus ingenitis variisque habitibus ornauit. Sunt tamen illae artes, quarum particeps factum eſt animal, non ita comparatae, vt has potius et non alias habere debeant. Porro habitus illi vires omnes naturales longe ſuperant h. e. quas in animantibus cernimus virium determinationes, ab ipſis deriuari non poſſunt, quia nulla ratione et intelligentia gaudent, ſed potius eo ſtatim temporis momento, quo in mundum ingrediuntur, habitibus neceſſariis ſunt imbuta. Cum iam virium et appetitionum ratio in ſolo vitae genere lateat, ſequitur, connexionem, vel virium inter ſe, vel virium cum vitae genere ſub adiunctione eſſe neceſſariam, atque ſimilem illi, quam inter fines et media deprehendimus. Haec conſenſio cauſas illas rerum naturalium, quas finales appellant, maxime confirmat. Atque recte monet Cl. Auctor, quam habemus de anima noſtra, cognitionem fore accuratiorem, ſi praeter ea, quae experientia de eius proprietatibus, facultatibus et effectibus cognoſcuntur, et cauſas finales in auxilium vocarentur. In praefatione Cl. Auctor ſpecialiorem et pleniorem de beſtiarum artibus ingenitis promiſit diſputationem.

VI. Hi-

VI.

Hiſtoire Naturelle générale et particuliére avec la Deſcription du Cabinet du Roi. Tome Septiéme. à Paris, de l'imprimerie Royale, 1758. 4. Alph. 2. pl. 2. cum 48 tab. aeneis.

h. e.

Hiſtoria naturae vniuerſalis et particularis, cum deſcriptione muſei regii, Tomus VII.

Cum antecedentium huius operis tomorum a nobis facta ſit mentio, nouiſſimum hunc, qui ſeptimus eſt, ſilentio praeterire non poſſumus, in quo nempe carniuororum animalium naturam atque indolem ſolertiſſimi viri, BVFONVS ac DAVBENTONVS, adgrediuntur; quae, quoniam noxam adferunt, animatas corrumpentia ſubſtantias, ho- p. 4.
minis quaſi aemuli ſunt, quamuis alter alterum cupiditate in carnem atque guſtu ſuperare videatur. Interea mors violenta alterius alteri vitae atque nouae creationi eſt, ac teſtis ſenſationis, qua animalia, ſenſibus, carneque et ſanguine praedita, gaudent, teſtis qui humanitatem honorat! Centrum vero ſenſationum omnium, atque ſedem in hominibus iisdemque, quod ad naturam, animalibus proximis minime cerebrum, ſed diaphragma eſſe, p. 10.
demonſtratur variis iisdemque ſpecioſis argumentis. Namque eorum reiicit opinionem, qui omnium ſedem ſenſationum in glandula pineali, aut in calloſo reperiiſſe corpore ſibi perſuadent, quippe quae corpora ſubſtantia cerebri maxime inſenſibili circumdata nihil cum neruis cohaerent, nec vllum ab iis motum recipiunt. Ipſam vero ſenſationem p. 14.
Autor fieri tum putat, quando nerui ope cerebri,

in quo coeunt, mutationes externas vibrationesue recipiunt, modo plane non alio, quam quo plantae terra, cui inſiſtit, ſuccum et mutationes externas ſuggerit. Poſt illa de iis, quae ſenſatonem ſequuntur, de primo hominum ſtatu, de ſtatu naturali multa diſputat, quorum minima pars ad tractationem ſuper animalibus carniuoris pertinet.

p. 31. His demum diſcuſſis in viam rediens oſtendit, homines feros item et moratos, ſicuti generatim animalia, ad veſcendum carne naturali inſtinctu ferri, nec vllum animal ab carnium eſu abſtinens eſſe et durare poſſe, praeſertim ſi vno tantum ventriculo gaudet et exiguis inteſtinis: namque diſcrimen alimentorum ab interna animalis ſtructura maxime deriuandum eſſe.

p. 39. Primum atque princeps omnium carniuororum animalium *lupus* eſt, quem, quamuis natura omnibus armis, ad praedam capiendam aptis, inſtruxerit, at ſaepius tamen fame perit, quia homo eum perpetuo perſequitur. A natura eſt plumbeus et timidus, neceſſitate vero coactus fameque ingenioſus ac animoſus. Quod ad externa atque interna, cani ſimilis eſſe videtur, auerſam tantum illius imaginis exprimens partem ſignaque cum cane communia ſpecie prorſus oppoſita oſtendens. Vtriusque indoles tam diuerſa eſt, vt neuter neutrum perferre poſſit. Catellus enim lupum videns trepidat, villaticus autem eum fugat. Lupus victor praedam ſuam deuorat, quam tamen canis contemnit. Lupus ſauciatus ab aliis lupis trucidatur. Lupus iuuenis cicur fit, at ſocietati inimicus. Quodſi autem fit, vt plures lupi coeant, maiorem adoriri belluam ipſis animus eſt; id quod vero tam diu durat, quam
p. 44. diu bellum geritur. Quod vero ad interiores partes pertinet, vterque lupus et canis inter ſe conueniunt. Illius robur magnum in anterioribus corporis partibus, in colli maxillaeque muſculis conſiſtit.

Crude-

Crudelior eſt, quo minus ei reſiſtitur. Externi ſenſus, viſus, auditus, inprimis olfactus optimae indolis ſunt. Viuas beſtias mortuis anteponit. Amat prae ceteris carnem humanam. Huic carni adſuetus apud Germanos *Wärwolf* nuncupatur, hoc eſt, cui caueamus. Num idem iuuenis, an p. 49.
ſenex, an grandaeuus ſit? (ita enim lupi diuiduntur a venantibus) vnguibus ſeu veſtigiis cognoſcitur. Quo maior natu, eo maior vnguis. Lupa longiore ac graciliore pede, minore calce ac ſubtiliore vngue praedita eſt. Eius color, qui niger, heluus, albus et villus eſt, et ſecundum varias coeli plagas mutatur atque in vna eademque regione diuerſus eſt. Praeſtantiſſimum eſt cutis. Carnem ob malum p. 52.
ſaporem omnes faſtidiunt beſtiae, praeter lupum ipſum. Breuibus omnibus in partibus iniucundiſſimus eſt, odioſus geſtibus triſtibus, toruo vultu, voce terribili, odore intolerabili, corrupta indole, moribus indomitis, viuus noxius, mortuus inutilis. Canis, quamuis lupo admodum ſimilis eſt, ſpecie tamen diuerſis modis ab eo differt; id vero, quo differt, propter innumeram ſpecierum conformationem accurate deſignari nequit. Qualiscunque tandem eorum conuenientia adſit, ea potiſſimum in cane villatico quaerenda, quippe qui pilorum longitudine et roſtri, auribus erectis ad lupi ſimilitudinem accedit. Cum cane nullatenus coit, ſed eundem penitus auerſatur, atque ſic diuerſi animalis naturam prodit. Quinimo ſi qua per plures gene- p. 55.
rationes cicur factus cum cane coiret, animalia inde ſterilia prouentura eſſe, DAVBENTONVS arbitratur. Diximus de ſimilitudine lupi cum cane villatico; id vero, quo inter ſe diſſimiles ſunt, potiſſimum in facie apparet, vbi nempe apertura palpebrarum lupi inclinata ad horizontem, in canibus horizontalis eſt.

p. 73. Quod vero lupus fortitudine praeſtat, id *vulpes* ingenio atque aſtutia, qua excellit, et quam pedum pernicitate exſequendis conſiliis, detegendis veſtigiis, capienda praeda, atque eligendo domicilio adhibet. Eius venatio facilior ac iucundior quam lupi eſt. Quod ad interiora, cani ſimilis, at diuerſus capite, auribus, cauda, crinibus, oculis, odore atque indole, quae difficulter, nec prorſus man-
p. 80. ſueta ſit. Senſus eius tam acuti, quam lupi, ſunt; ſenſatio ſubtilior, ac vocis inſtrumenta flexiliora perfectioraque. Senſationes adfectuum varias variis exprimit ſonis. Mordet acriter. Aeſtatis tempore, quo paene mutus eſt, pilorum defluuium patitur. Eius carnem comedunt canes, homines vero auctumno eam vuis paſti. Profundiſſimus ſomnus eum occupat. Dormiturus iacet curuus canum modo. Earum genera ſunt varia, colores varii, atque vbique reperiuntur. Per coitum cum cane nouae eorum familiae orirentur, ſed natura ſua canem fugit, nec vnquam cum eo congreditur. Qua partes inteſtinas, vt diximus, cum cane et lupo conuenit, neque differt niſi in pauciſſimis.

p. 104. Praeter aſtutiam vim etiam vulpes adhibet ad melen depellendam ex ſuo domicilio. Eſt autem *melis* ſeu *taxus* beſtia pigra, diffida, omnem ſocietatem, quid quod lucem timens. Ob corpus oblongum, pedes breues et perlongos et fortes vngues terram fodere ei haud difficile eſt. Eius duo genera eſſe, nempe melen caninam ac ſuillam, ſine cauſſa
p. 106. tradunt; nam quae in ceteris eiusdem generis animalibus ſpecierum datur varietas, ea in mele nulla eſt. Animal cetera ſomnum aeque ac munditiem, nec carius quidquam habet, quam domicilium, ſubter terram, quod artificioſe fodit, mundum et politum.

p. 134. *Lutra* vel *lytra*, vel etiam *lutris* aut *lutrix* magis piſces atque, his deficientibus, tenues frondes,

cortices

cortices arborum, aquae proximarum, deuorat. Male inter amphibia refertur. Domicilium non ipſe ſtruit, ſed primam cauernam ſibi obuiam, ſub radicibus populorum ac ſalicum, in cauis rupibus, quin immo in trabibus ratium occupat. Ob piſcium putrefactorum eſum male olet, et quamuis ſordeat, eius tamen caro ſupplicationibus eſtur. Numerus eius rarus eſt, omnibus tamen temperatis zonis atque aquoſis locis reperitur. Ventriculus animalis p. 142.
in ſiniſtro prorſum latere ſitus, et duodenum poſtice vsque ad renem excurrens intus inflexum erat. Inteſtino coeco animal caret, atque reliqua eius inteſtina adeo relaxata et mobilia erant, vt ſitum eorum reſpectiuum ſaepius mutari oporteat. Glandi clitoridis oſſiculum inſedit, quod in cimelio regis p. 147.
repoſitum DAVBENTONVS hic delineari fecit. p. 159.

Martem domeſticam vnam eamdem ac *agreſtem* p. 166.
eſſe vulgo tradunt, ſed vtraque indole ac tempera- p. 186.
mento diuerſa eſt. Illa eſt vultu eleganti, oculis hilaribus, leui ſaltu, membris flexilibus, gracili corpore, celeribus motibus. Haec vero ab illa capillorum differt colore. Martes alias abietum, alias fagorum ab domicilii loco denominatas putant, at falſo, cum vtramque in ſiluis, quo neque abietes neque fagi reperiuntur, reperiri conſtet. Cetera Auctor martem domeſticam et omne propemodum muſtelarum genus a ſimilitudine cum vermibus, vermineum dici temere putat; certe ignarus, vocabulum *vermineus*, ſi qua occurrit, corruptum eſſe, et alias *hermineus* ſiue *ermineus*, quanquam nec ſic ſatis latine, dici. Corpus enim muſtelarum vermium corpori plane diſſimile, neque muſtelis itus tam difficilis et reptorius, ſed plerumque ſaltatorius lenteque gradarius eſt. Martes ſylue- p. 190.
ſtris habitat praeſertim in Europae, Aſiae et Americae ſeptentrionalis denſis nemoribus, hinc in Gallia raro, in Anglia vix vnquam deprehenditur.

De cetero martes ſylueſtris et domeſtica, qua ſpeciem corporis, qua magnitudinem, qua inteſtina denique, tantopere inter ſe congruunt, vt non niſi pilorum colore diſcerni poſſint.

p. 199. Quod ad temperamentum, indolem, mores, ac corporis formam cum illa *putorius* conuenit, cuniculorum hoſtis, quo etiam eradicantur. Aeſtatem terit in cuniculorum cauernis, in cauis rupibus atque arborum truncis, hiemem vero domibus. Ab domeſtica marte diuerſus eſt magnitudine, cauda, roſtro, capillis, voce, odore. Eius carnem faſtidiunt canes, atque cutis parum valet. Ex corpore animalis, praecipue ex veſiculis pone anum ſitis foetidus odor exhalat, vnde latinis puturius, quaſi putorem emittens, dicitur.

p. 209. Cum hoc non conuenit *viuerra* ſeu *furo furunculusue*, vt nonnulli quidem autores crediderunt. Paene perpetuo dormiunt. Quidam ſuos pullos deuorant. Cuniculorum hoſtis eſt. STRABONI ſi fidem habemus, fera ex Africa in Hiſpaniam transportata eſt. Graiorum ictin eandem eſſe, valde
p. 221. dubitatur. Viuerra in quolibet latere quindecim coſtas, adeoque vnam plus, quam putorius, habet; ſiquidem et illius ſternum vndecim oſſiculis conſtat, cum putorii et martis decem tantum compoſitum ſit.

Muſtela temperatis ac torridis frigidisue regionibus reperitur. Proinde hermellanus cum ea non conuenit, vti quidam arbitrati ſunt. Noctu plerumque edit gallinas ac pullos gallinaceos, columbas, paſſeres itemque oua. Interea per duos tresue
p. 243. dies eſcam non tangit. Male olet. Ab hoc diuerſum eſt animal ermineum cauda apice nigro, auribus candide cinctis, atque pedibus in inferiore parte albis. In terris ad ſeptentrionem vergentibus aeſtate rutilum, hieme autem candidum, non tam rarum eſt, quam in temperatis, atque in torridis minime

minime reperitur. Partium inteſtinarum cum huius tum praecedentium animalium dimenſionem, quam Cl. DAVBENTON prolixe ſuggerit, non opus eſt, vt perluſtremus, ſiquidem ea in his animantibus haud magnopere diuerſa eſt, nec characterem eorundem certum conſtituit.

Sciurus, illa parua atque propter caudam criſtae ſimilem lepida beſtia, inter quadrupedes vix numerari poſſet, quia paene erecta ſedet; neque inter carniuora, quia pomum, amygdalas, auellanas, glandes deuorat. Habitat excelſas arbores, et aquam abhorret, flumen enim ope corticis atque caudae transnat. Semper vigil eſt, atque aeſtate auellanas colligit, quas cauis in arboribus condit. Pilos mutat hieme exeunte. Pedibus atque dentibus ornant ſe. E caudae pilis conficiuntur penicilla. Inter illos multa reperiuntur genera intermedia pro diuerſo colore variantia, quibus autem genus ipſum parum mutatur. Collum ipſis adeo breue eſt, vt vix a capite et humeris diſcernere poſſis, et corpus, ſi longitudinem ſpectas, magis craſſum quam longum eſt. p. 253.

Mus maior ſeu *rattus*, quo nomine apud zoologos diuerſa plane animalia venire ſolent, infuſci coloris, habitat domos, inprimis granaria, eſt carniuorus, amat tamen molliora, vti lanam. Si augentur, quod ſaepe contingit, alius alium necat. Eius hoſtis muſtela eſt, atque genus varium; datur enim nigreſcens, fuſcum, fuluum et albidum. Olim nullus in America repertus eſt atque in ſeptentrione non ſuper Sueciam propagatus. Nam apud Norwegos et Lapponos qui reperitur rattus, ab noſtro differt. In nonnullis Cl. DAVBENTONVS mammas impares vidit, ſolitariam ſaepe in vno et duas in altero pectoris latere; quod exemplo eſt, mammarum numerum ſaepe eſſe abundantem et vtrinque imparem. p. 278. p. 291.

p. 309. Minor hoc *mus minor* eſt, et cum eo inſtinctu, temperamento atque indole conuenit. Ob timorem et penuriam et timidus et audax eſt. Aliquantulum manſuetus fit et celeriter increſcit. Infinite multi capiuntur noctuis, omnibus auibus nocturnis, felibus, martibus domeſticis, muſtelis atque rattis. Eſt vigil atque aliquantum aſtutus. Ventre ſubalbeſcens, quidam toto ventre albi. Genus eorum vbique propagatum, et ex Europa adeo in Americam delatum eſt.

p. 325. Minor ratto, maior mure eſt *mus agreſtis maior*, qui tantum campos habitat ac ſiluas; ac ab vtroque pilorum differt colore. Ob variam magnitudinem, quam pedetentim attingit, phyſicorum quidam murem agreſtem maiorem et domeſticum medium, at ſine cauſſa, finxerunt. Hic mus arborum ſementi, vtpote faginis, glandibus, terrae mandatis inhiat easque eraſas auide deuorat. Sed Autor medium contra eos excogitauit, tendiculam nempe, qua irretitos intra tres ſeptimanas vltra bis mille cepit.

p. 348. Ratto magnitudinem, at indolem et vitae genus ratto ac lutrae *mus aquaticus* ſimilis eſt, neque inter digitos pedum membranis praeditus; diuerſus vero ab ratto capite, ore, pilis et cauda. Fugit flumina atque amat ripas et paludoſas valles. Eius caro ſupplicationibus eſtur. In zonis frigidis circa polum non reperitur. BELLONII mus aquatilis circa nili ripas a noſtro valde diſtat.

p. 369. Quod ad interiora huic *mus agreſtis* minor, minime vero quod ad externa ſimilis eſt, vti magnitudine, capite et corpore, cauda, indole atque genere vitae. Vbique ſiluis, campis, pratis atque hortis reperitur. Frumentum auellanis atque glandibus anteponit, quae terra condit. Iulio menſe, ſi frumentum matureſcit, vbique conueniunt

magno

magno ſpicarum, quas demandunt, detrimento; ſpicilegium poſt meſſem habent, atque agros nuper ſeminatos viſitant, meſſemque futuram corrumpunt. Alter alterum deuorat prae inedia ac deuoratur a muribus agreſtibus maioribus, vulpe, fele ſilueſtri atque marte, tandemque muſtela.

VII.

Elementa phyſiologiae corporis humani Auctore ALBERTO V. HALLER, Praeſide Societatis Reg. Scient. Goetting. Sodali Acadd. Reg. Scient. Pariſ. Reg. Chir. Gall. Imper. Berolin. Suecic. Bononienſ. Bauar. Societ. Scient. Britann. Vpſal. Bot. Flor. Heluet. in Senatu Supremo Bernenſi Ducentumuiro. Tomus Secundus. Sanguis. Eius Motus. Humorum Separatio. Lauſannae. Sumptibus *Sigismundi D'Arnay*, 1760. 4 mai. Alph. 2. pl. 16½.

Quem ante annum et quod excurrit indicauimus *, phyſiologiae, ab Ill. HALLERO elaboratae tomum primum nunc ſecundus eximii iſtius operis excipit, cuius contenta eo lubentius exponimus, quo perfectiora a quouis harum rerum perito habentur omnino. Tribus hicce componitur libris, quorum primus, ordine tamen quintus, ſanguinem primo in genere, dein eius elementa, porro ſerum ſanguinis, denique elementorum ſanguinis proportionem et vtilitatem conſiderat. Sextus liber arteriarum et venarum officia exhibens, motum ſanguinis per arteriarum axin, preſſionem ſanguinis lateralem, effectus motus ſanguinis per arte-

R 5 rias,

* vid. Comment. noſtr. Vol. VII. P. IV. p. 630.

rias, motum ſanguinis per venas reducis progreſſiuum, preſſionem ſanguinis venoſi lateralem, tandem effectus motus ſanguinis per venas exponit. Septimus demum liber de ſecretione humorum agens oſtendit, qui a ſanguine ſeparentur humores, quae organorum ſecretoriorum ſit fabrica, quaeque demum cauſae ſint, vt in definitae fabricae organo ſuus ſemper de ſanguine humor ſeparetur.

p. 1. Licet plures certam rubri iſtius, intra corporis animalis vaſa contenti, humoris, ſanguinis dicti, copiam definire annisi fuerint, eam tamen vix et vage aut obiter tantum definiendam eſſe, inſignis illa, quae ratione ſanguinis ad reliquam corporis molem ſolet eſſe, varietas ſuadet. Neque enim calculus a ſanguine, ex vaſis viui animalis emiſſo, neque etiam a magnis, quas ſaepe patiuntur homines, iacturis deſumi poteſt, cum in vtroque caſu non omnis ſanguis exeat, ſed magna omnino pars in
p. 6. vaſis reſideat. Minime etiam aut vix quidquam arterioſus ſanguis a venoſo differt, ſiue colorem, ſiue denſitatem, ſiue demum pondus iſtius humoris conſideraueris. Sed neque etiam in ſanguine diuerſarum arteriarum diſcrimen eſt, cum nullum viſcus nullumque membrum proprium ſibi ſanguinem accipiat, ſed ex communi penu, de corde emiſſa, eum mutuetur isque iterum omnis totius corporis in eandem penum confundatur.

p. 13. Rubet ſanguis in plerisque animalibus, interdum tamen albus apparet, tuncque vitioſe totus eſt, aut ſanus, chylo, nondum ſubacto nec mutato, miſtus. Verum enim chylum verumue lac cum ſanguine circumire, obſeruationes innumerae docent. Vti autem iſte albus eſt, ita etiam idem nigrum colorem induit, quando in loco quodam ſtagnat.

Ex

Ex corpore emiſſus ſanguis tum calidorum tum frigidorum animalium, exceptis inſectis, ſponte coit, ſiue aeſtiuus aeris adſit calor, ſiue hybernum tempus, magis tamen in iis, qui corpus valide exercent, magisque etiam coit in hominibus arthriticis, apoplecticis, rheumaticis, podagricis inque febribus, quibus ſubeſt inflammatio. Verum non extra vaſa ſolum, ſed et in iisdem quoque coit, deque vena inciſa polypoſa coagula, pro vermibus a nonnullis habita extracta fuiſſe, obſeruationes tradunt. Si in cordis thalamis aut auriculis et vena iſta coagula reperiantur, polyporum nomine inſigniuntur; hi autem, nullo ante mortem ſymptomate praegreſſo, veri non ſunt. Veri autem dicuntur, qui quidem cruoris grumum pro centro habent, quem tamen alba lympha coacta circumdat, quiue nouis lymphae laminis accedentibus augetur, fibris diſtinguitur et ſenſim tenacior euadit. Hicce praeter fabricam ex dilatato corde cognoſcitur, cum, praeter polypum, ſanguini etiam ſpatium eſſe neceſſe ſit. Imo ipſa ſymptomata, in hominibus, hoc mali genere affectis, obuenientia, polypum in cadauere repertum confirmant. Ita v. g. pulſus inordinatus, cordis palpitatio, aſphyxia, reſpiratio difficilis, dolor in hac ſede perpetuus, mortes ſubitaneae etc. animaduertuntur. In cauſam ſi inquiramus, in quiete eam poſitam eſſe, deprehendimus. Ita aſthma, peripneumonia, phthiſis, moeror, terror aliaque plura iſtam ſuppeditare valent. p. 16.

Omnium animalium, nullo excepto, ſanguis magis calet, quam aer aut aqua, in qua viuitur. Nam ea etiam animalia, frigida dicta, vt vipera, poſt mortem magis frigent, quam quidem, dum vixerunt, frigebant. Licet autem iſtae atmoſphaerae calorem vt plurimum ſuperare videatur, hominem tamen in calore 120 graduum thermometri Fahrenhei- p. 27.

renheitiani et aliquanto etiam maiore viuere, huncque calorem multum ſuperare humani ſanguinis calorem, experimenta demonſtrant.

p. 37. E vena emiſſus ſanguis halitum emittit, ſapore ſubſalſum odoreque parum foetidum, quo amiſſo reliqua ſanguinis maſſa in eodem volumine plus ponderis habet, ita, vt calidus ſanguis, ſecundum Cl. IVRIN, partes 1053, frigidus 1055. pendeat. Rubra ſanguinis pars, cruor dictus, ſero et aqua ponderoſior, globulis conſtat, ſolaque ferrum continet et partem inflammabilem. Hicce cruor ſponte in ſciſſile quaſi hepar cogitur, coagulumque a calore maiori accedente aut febre firmius fit. Sibi
p. 44. autem iſte in libero aere permiſſus diſſoluitur, isque interdum in viui hominis vaſis, in primis in cachecticis, chloroticis aliisque debilibus aut febre mali moris decumbentibus ita mutatur, vt amiſſa natura coagulabili, nulla arte corrigi cogique poſſit. Copia cruoris et ſeri definiri vix poteſt, ſiquidem victus, aetas, vitae ratio, aeſtus febrilis aquoſusque hominis languor ad diuerſam vtriusque elementi portionem plurimum faciunt. Ita in robuſto maior cruoris copia eſt, cum in iuniore plus ſeri reperiatur, quod iterum aetate vel et morbis acutis minuitur, ita, vt ſenibus copioſiſſimus cruor ſit inque morbis, quo acutiores fuerint, eo minor ſer copia ſanguini inhaereat.

p. 50. Globuli cruoris, in frigidis praeſertim animalibus conſpicui, a MALPIGHIO primum detecti et a LEEUWENHOECKIO diligentiſſime deſcripti, non pinguedinis globuli, vt prior ſtatuit, ſed vera ſanguinis elementa ſunt, nec in vllo alio liquore reperiuntur. Figura eorum rotunda, non plana eſt, cum inſignem ſemper craſſitiem, nec vnquam aciem, quae tamen adeſſe deberet, ſi omnino planam latitudinem haberent, Ill. Auctor obſeruauit. Magnitudo globuli cuiusuis in omnibus, cum maximis, tum

tum minimis, animalibus eadem eſſe videtur, eiusque diameter, ad pollicem comparata in eadem ratione ſe habet, quae eſt 5000 ad 1. Singulis globulis ineſt innatus color ruber, qui, licet a globulorum congeſtione intendatur, minime tamen ab hac ipſa dependet. Copia eorum varia eſſe ſolet, ita, vt, quo quoduis animal robuſtius fuerit, eo maior globulorum rubrorum abundantia reperiatur, quae tamen nunquam in animalibus frigidis, modo bene paſta et robuſta ſint, parua habetur. Figurae mutatio, multis licet viſa, Noſtro tamen, nunquam obſeruanda, probabilis non eſt. Nec elaſtico etiam aere replentur globuli, cum ne in ſummo quidem frigore in minus ſpatium redigatur cruor, nec etiam calore idem expandatur. Ex minoribus ſphaerulis hoſce globulos conſtare, LEEUWENHOECKIVS per experimenta demonſtrare annifus eſt, quocum etiam alii conſentiunt; inprimis autem inde celebris illa decreſcentium globulorum hypotheſis BOERHAAVII nata eſt, quae ſecundum iſta experimenta oſtendit, globulum rubrum ex ſex ſeroſis, ſeroſumque ex aliis ſex lymphaticis conſtare, hosque iterum comminui ita, vt demum omnium vltimus et tenuiſſimus ſit, qui fluidum nerueum conſtituat. Verum globulos illos maiores, quos in minores diſſilire vidit LEEUWENHOECKIVS, globulorum coagula fuiſſe, ipſa experimenta docent, rubrumque globulum nunquam in minores diſſilire, hincque globulorum diuiſionem vltra ſtare non poſſe, Noſter itidem experimentis probat. Minime etiam in lympham deliqueſcere videntur globuli rubri, cum lympha ferro, quod illi continent, tota careat, neque etiam probabile ſit, coagulabilem naturam, in lympha reperiundam, ſupereſſe poſſe, ſi in eam cruor contabuiſſet. Fibrae ſanguini viuentis animalis inſunt nullae, a veteribus tamen nonnulliſque recentioribus

ribus ei adſcriptae: repugnat enim minimorum vaſculorum diameter, repugnat cordis vis, longum flexileque filum per minimorum vaſculorum anguſtias et anfractus minime promouendum, imo, quod maximum, repugnant ipſa, nouiter inſtituta, experimenta.

p. 72. Salem in ſanguine eſſe, ſapor quidem ſalſus manifeſtat, an autem oculus armatus eum detegere poſſit, dubium videtur. Cum nitro, ſale marino, tartaro ſolubili et Epſomenſi ſale mixtus ſanguis colorem magis rubrum acquirit, neque tamen ab iisdem dilutus adeo euadit; aſt vegetabilia acida eum diluunt, coagulant contra foſſilia, inprimis deſtillata. Lixiuioſi ſales ſanguinem coagulant et nigriorem reddunt, eumque pariter ſpiritus ardentes et olea ſtillatitia cogunt. Ex his tamen experimentis nondum oſtenditur, ſincerum aliquem in ſanguine habitare ſalem. Licet autem nullum in viui hominis ſanguine deprehendatur alcali, eum tamen ad iſtam naturam vergere, putredo docet. Putreſcit enim ſanguis a motu muſculorum nimio, ita, vt curſu nimio exercitata animalia vel et homines, paucos poſt dies, peſſima febre perirent, vel putreſcerent: ſed febris etiam, variolae, peſtis vel et aliae cauſae, vt victus mere carneus, fames, ſalium volatilium abuſus faciunt, vt ſanguis putreſcat. Idem praeſtat calor nimius visque mercurii. Et chronici quoque morbi acrimoniam hanc alcaleſcentem coniunctam habent. Ita in ſcorbuticis, phthiſicis, rachiticis putridus et acer valde ſanguis,
p. 88. acerrimusque in cancroſis repertus eſt. Si putredo progreditur, omnia partium animalium vincula rumpuntur, humores coagulabiles, cruor, lympha, oui albumen, amnii liquor, in acre et nullo modo cogendum vltra tabum reſoluuntur, adeps colliquatur, carnes membranae et fibrae emolliuntur inque mucum diluuntur. Praecipue autem aer

expeditur,

expeditur, ita vt late ſaepe ſub cute extendatur et emphyſemá referat. Adiuuatur autem putredo, ſi lixiuioſus ſal fixus aut terra, acido oppoſita, addatur; volatiles vero alcalini ſales putredinem potius morantur et impediunt, quod magis praeſtant acidi liquores et medii ſales. In nonnullis animalibus, p. 91. inſectis praecipue, ſerpentum genere carniuorisque beſtiis ſal iſte lixiuioſus manifeſtior apparet. Supereſt tamen in animalibus acor, inque multis etiam inſectis plurimum de natura acida conſeruatur, imo latet iſte in nonnullis humoribus aeque vt putredo, licet non conſtans ſit et demum in putredinem totus euaneſcat.

Chemica analyſis vera quidem elementa ſan- p. 95. guinis non exhibet, aliquid tamen praeſidii ad morborum curationem in analyſi eſt. Ea nos docet, febrem aliquam partem eius effectus producere, quem ignis efficacia generat, ſalium certe vrinoſorum euidentia veſtigia, olea ambuſta et foetida, aquae diminutam portionem. Inter elementa, in quae ſanguis igne reſoluitur, primo prodit aqua, cuius copia ad ſanguinem rubrum varia a variis ſcriptoribus definitur, ita tamen, vt aquae portio maior ſemper rubri ſanguinis portione habeatur. Per experimenta etiam patet, minui aquae copiam in plethora, podagra, febre valente et ſcorbuto, in phthiſi contra inque temperamento phlegmatico eandem augeri. Qui in deſtillatione aquam ſequitur liquor pinguis, oleoſus, amarus, ſubrufus, naturae vrinoſae, ſpiritus ſanguinis vocatur, et ex ſale volatili ſicco, in aliqua ſuperſtitis phlegmatis portione ſoluto, et oleo conſtat. Sed neque acidae naturae veſtigia obſcura ſunt, quae tamen a male ſuperata vegetabili indole naſci videtur. Huius ſpiritus ratio, a variis varie licet definita, ad grumum ſanguinis ſiccatum eſt a dimidia ad tertiam fere partem, quae in morbis alia habetur, ita, vt

in podagra, morbo hypochondriaco et hyſterico ea
maxima ſit. Cum eo ſpiritu et poſt eum et ante
oleum ſanguinis et cum eo aſcendit ſal vola-
tilis ſolidus, albus, vehementis odoris et indolis
ſumme penetrabilis. Vehementer iſte cum acidis
liquoribus feruet, eiusque copia in vniuerſo ſan-
guine exigua habetur inque febribus ſemper auge-
tur. Cum hoc ſale, aliquanto tamen ſerius, adſcen-
dit flauum oleum ſanguinis, hactenus fluidius et
altero tenaci piceoque, quod continuo ſequitur,
leuius. Vtrumque oleum cum acidis feruet, in
vtroque tamen veſtigium acidae naturae ſupereſt,
cum coerulae chartae color in rubrum mutetur.
Hoc oleum partim ex pinguedine, per ſanguinem
miſta, naſcitur, partim ex rubris globulis prodit:
ſiccus namque ſanguis ignem capit alitque. In pro-
portione, quam oleum ad ſanguinem vniuerſum
aut ad ſiccum ſanguinem habet, maxime iterum
diſſentitur, perque experimenta adparet, adeo di-
uerſos euentus in Cl. virorum periculis fuiſſe, vt
alii fere $\frac{1}{80}$ alii pene $\frac{1}{11}$ olei de ſanguine extraherent.
p. 110. In morbis vero haecce proportio mutatur. His proli-
citis remanet maſſa nigerrima, ſplendida, ſpongioſa,
poroſa, leuis, friabilis, ſalſa, amara, empyreuma-
tica, vrinoſo odore, inflammabilis, quae carbo ſan-
guinis dicitur, cuiusque ad ſanguinem relati copia
p. 112. varia eſt. Ex hoc carbone per lixiuium fixus ſal
extrahitur, qui ambiguae naturae eſt, et ſigna,
p. 114. partim lixiuioſi, partim marini habet. Fixus iſte ſal
nouo et vehementi igne torſus, liquorem dat vere
acidum, qui, per experimenta omnino, confirma-
tus, partim a marino ſale, partim ab acida vegetabili
natura, quam nulla vis vitae animalis penitus de-
ſtruit, proueniſſe videtur. Qui enim parum a
natura vegetabili diſſentiunt humores et celerrime
generantur, vt lac, butyrum, adeps, ii euidentiſ-
ſimum acorem continent; quae contra longo vitae
labore

labore generantur partes, hae parum vel nihil acidi exhibent; hinc parcior in bile copia, hinc nullum in ſolidis deprehenditur acidum. Sale extracto terra ſimpliciſſima remanet, quae ad calcis naturam accedit, cum acidis efferueſcit, et, ope aceti de oſſibus humanis cum extracta, in cryſtallos vertitur. Licet autem p. 118.
iſta ſimpliciſſima videatur, ferreae tamen indolis eam eſſe verumque ferrum in ea contineri, bene multa experimenta probant. Ita adiecto phlogiſto vel et absque eo, modo ignis vehementior fuerit, micae, de ſanguine extractae, in verum ferrum fuſae confluunt; ex eadem materia cum ammoniaco ſale flaui flores parantur; ſiccus cruor, cum ſale lixiuioſo fuſus et ſolutus, adfuſo ſpiritu vitrioli, coeruleum Berolinenſe praebet; ex gallarum ſolutione et ſanguinis calce atramentum oritur; maſſa, a deſtillatione ſanguinis ſuperſtes, cum acido vitriolico vitriolum martiale, exhibet, eademque demum vitrum metallicum fuſco colore tingit. Tandem etiam notandum eſt, ſanguinem igne vehementiori ab aere liberari, huncque ipſum fere trigeſimam tertiam partem conſtituere.

Flaueſcens illa et aquoſa ſanguinis pars, quae p. 122.
de cruore decedit, ſerum ſanguinis dicitur, cuius ſapor ſalſus eſt, igne augendus, cuiusque natura nec lixiuioſa, nec acida deprehenditur. Pondus huius laticis aliquantum minus, quam rubrae parti ſanguinis, maius autem, quam aquae eſt, inque febre augetur. In ſero aqua, mucus et gelatina p. 124.
reperitur, haecque vltima ita dominatur, vt, licet aquae copia maxima ſit, totum tamen ſerum in caloris 148 gradu in coagulum mutetur. Sed absque hac ignis violentia ſerum etiam aut ſponte per quietem, aut a morbis denſatur, inde magna polyporum pars et cruſta inflammatoria dependet. Haec cruſta nimirum, fere ſemper a vehementi cordis actione naſcitur, quae eo durior et denſior

 eſt,

eſt, quo maior febris duriorque pulſus eſt. Ea igitur a calore febrili non naſcitur, quippe qui nunquam gradum 148 adtingit. Lentius quidem cruore cogitur ſerum, in firmiora tamen coagula abit, quocunque etiam modo iſtud cogatur, imo maior vis ignis iſtud in ſpeciem gummi fragilem et friabilem neque ſolubilem conuertit. Eaedem
p. 129. dotes et in lympha, quae in peculiari vaſorum genere mouetur, reperiuntur: hydropicum ſerum, dum recens eſt, perinde ſubſalſum eſt, et a calore, alcohole, acidisque cogitur. Eiusdem naturae hydatidum, ſcrophulorum aliorumque morborum liquor eſt; eadem etiam eſt lympha, quae de carnibus animalium ab aqua calida educitur, nec piſcium aliorumque huius generis carni gelatina deeſt.
p. 132. Serum eodem modo, vt cruor, in tepore inque febribus diſſoluitur, minora tamen, quam iſte, naturae vrinoſae ſigna oſtendit. Aliquanto minor in ſero copia muci eſt, qui ſub tenerrimae et pellucidae telae ſpecie in ſanguine apparet, multum a natura coagulabili diuerſus; adeps vero et ſabulum, in ſero interdum viſa, a ſano abſunt, aerem tamen, quando ad 80 gradum caleſit, generat. Ab admiſtis ſalibus mediis et ab acidis vegetabilibus diluitur ſerum, a mineralibus autem et lixiuioſis ſalibus et vini ſpiritu cogitur, nec ita a volatilibus alcalinis
p. 137. ſalibus. Si deſtillationi ſubiicitur ſerum, praeter aquam copioſam, liquores magis ac magis vrinoſos, ſalem alcalinum volatilem, oleumque empyreumaticum, inque retorta relictum carbonem inflammabilem obtinemus. Comparata hac cum ſanguinis analyſi, adparet, aquae in ſero maiorem, ſalis volatilis eandem aut maiorem, oleique non minorem aut maiorem copiam, porro ſalis marini terraeque portionem, ferrum vero aut prorſus non, aut parciſſima copia ineſſe.

Ex

Ex varia elementorum proportione aliisque cauſis temperamenta naſcuntur. Ita, ſi globuli rubri abundant, ille habitus producitur, qui cum veterum temperamento ſanguineo comparari poteſt. Id autem non plethora eſt; ea enim nimiam totius ſanguinis, ex variis elementis miſti, copiam ponit. Si in ſanguine eae particulae abundant, quae ad ignem vrinoſam indolem induunt, illud temperamentum oritur, quod cholericum vocatur. Si aquae copia nimia adeſt, habitus phlegmaticus producitur. Quae vero veteres de temperamentis ſtatuerunt, non adeo firma ſunt, neque etiam quatuor tantum temperamenta exiſtunt; innumerabilia enim ſunt, et cuique homini fere proprium. Verum non in ſolis humoribus temperamentorum principium ponendum, ſed, quod maximum, in firmis partibus in primis quaerendum eſt. Humorum enim coctio, ſanguinis ſalubris conſtitutio et ſalium et oleorum vbertas a motu periſtaltico, a cordis efficacia, a celeriori vel lento circuitu atque a ſolidis partibus, temperamentorum vero cauſae a partium ſolidarum vario robore varioque ingenio irritabili pendent. p. 140.

Globulorum rubrorum vtilitas, ſi vel denſitatem, vel rotunditatem, vel ferri in iis contentam copiam attendamus, varia eſt. Absque denſitate ſanguinis firma valetudo conſiſtere nequit; ex denſiori enim ſucco denſior et fortior generatur fibra; denſior ſanguis maiori cum robore a corde propellitur, maeandri vaſculorum minimorum melius ſuperantur et diſtentur, atque, quod maximi vſus eſt, denſitas facit, vt in rubro vaſorum ſyſtemate maneat ſanguis. Sphaerica globulorum figura id commodi habet, vt frictio minuatur et ſangis eo facilius minora oſcula ſubeat. Ferrum, quod in globulis eſt, denſitatem eis conciliat et facit etiam, vt calor generetur, ad quem etiam oleum quid confert, cuius inſuper princeps vtilitas in eo conſiſtit, p. 149.

vt cum aqua gluten animale componatur fibraeque flexiles euadant.

p. 153. Serum ſiue pars flaueſcens ad fibras generandas et ad conſtitutionem totius corporis materies primaria eſt, quo etiam elementa vniuntur, quoue vtpote tenuiori globuli ita diluuntur, vt in coagula abire nequeant. Serum, quod absque aqua circuitum vitalem abſoluere non valet, multum commodi habet; expedite enim per canales minimos tranſit, fibras animales irrorat, a ſiccitate et coalitu ſeruat et omnium humorum corporis animalis principem portionem ſuppeditat. Sales animalium pene vrinoſi nonnullis humoribus, v. g. bili, neceſſariam acrimoniam conciliant; aeris vero dotes et vtilitates ſatis notae non ſunt, ad gluten tamen iſte pertinet: Atque calor demum ſanguinem procul dubio a congelatione liberat. Fons, vnde ſanguis elementa ſua habeat, varius eſt. Ita ex adipe globuli rubri, ex gelatina animali et vegetabili mucilagine ſerum, ex natura vegetabili minus mutata oleum, ex acido vegetabilium ſale, ſanguinis ſal, exque plantis demum ferrum eſt.

p. 158. Accedimus ad ſextum librum, qui arteriarum et venarum officia conſiderat. Primo itaque ſinus aortae, qui maximus dicitur, dein arcus eiusdem, qui in brutis aliter, et homini tantum proprius eſt, tandem principes eius rami deſcribuntur, quibus deſcriptis motus ſanguinis, quo ſecundum axin arteriarum pergit, declaratur. In aortam nimirum eiusque ramos de ſiniſtro cordis ventriculo magna velocitate impellitur ſanguis, cuius velocitatis menſura alia eſt, quae ad cordis motum definiendum requiritur, alia, qua per arteriam fertur. Motus hic per axin celerior eſt, cum globuli rectam lineam breuiſſimam teneant, ſecundum quam preſſio cordis in promouendo ſanguine operatur et in qua velocitas accepta conſeruatur integerrima. Cum autem ſanguinis particulae non eiusdem

indolis

indolis, nec eiusdem ponderis de corde expellantur, nullum dubium eſt, quin axin eae teneant, quaecunque pondere proprio reliquas ſuperant. Nunc adfectiones hae rubris globulis propriae ſunt; hinc iſti et axin tenent, velocius mouentur motumque diutius, quam aliae leuiores partes, ſeruant. Verum de hacce celeritate ſemper aliquid decedit eaque, qua per minima vaſa fluit ſanguis, multo minor eſt, quam ea, qua ex corde primum exſiliit.

Cauſae, quae cordi obſiſtunt, variae ſunt, quarum aliae ſanguinis, per arterias fluentis, velocitatem minuunt, aliae vero non. Inter has primo pondus incumbentis atmoſphaerae attendendum eſt. Hoc quidem, ſi remoueatur, facit, vt pars tumeat, rubeat ſanguineque repleatur, idemque efficit, vt colorati liquores in vaſa viſceris, ſub campana repoſiti, vrgeantur, minime tamen iſta aeris preſſio, licet immenſa ſit, de celeritate ſanguinis, circuitum vitalem obeuntis, quidquam aufert. Minime etiam pondus partium corporis humani, p. 171.
quae arteriis incumbunt, licet reſiſtant, motum progreſſiuum retardare valent. Sed neque vis contractilis ſiue elater arteriae id praeſtat, cum tantum procul dubio arteriae contrahantur, quantum paulo prius dilatatae fuerunt; hinc reſiſtentia haec viribus, ſanguinis motum promouentibus, accedit. Sed plus veri in figurae mutatione habetur, ſiquidem vis, a corde accepta, in his mutationibus conſumitur et tantum motui progreſſiuo decedit, quantum in arteriarum figuris mutatur. Aſt aliae eaeque p. 173.
quidem verae retardationis in motu ſanguinis progreſſiuo exiſtunt cauſae, inter quas primo loco ea enumeranda eſt, quae fit a dilatato tubo arterioſo, ſiue a lumine trunci minori, quam ſunt coniuncta lumina ramorum. Paucae enim particulae fluidi celeritatem, in anguſto lumine acceptam, nunc in ampla ſectione in plurimas particulas diffundunt,

vt multae ab vnica propellantur particulae, ſicque velocitas a ſingulis retineatur ideoque minuatur. Ex his autem ſequitur, ſanguinis velocitatem in aorta maximam eſſe, in prima diuiſione minui et magis ac magis in minoribus ſurculis decreſcere donec in minimis arteriarum finibus minor ſuperſit.
p. 178. Praecipua autem retardatae velocitatis cauſa eſt frictio ſeu particularum fluidi contra aſperam ſuperficiem internam canalium adtritus, quem inſuper, vt hydraulicae leges docent, vaſis longitudo ob auctum aſperorum punctorum numerum, dein anguſtia tuborum ob aucta contactuum liquoris puncta, porro celeritas ob maiorem dato tempore particularum fluidi adtritum ad ſolidam tubi ſuperficiem, deniquae figurae in vaſe mutatio ob plicas, ob figuram conicam conuergentem obque angulos maiores auget.

p. 185. Eadem et in animato corpore valere, multa ſuadent. Ita maiorum animalium pulſus rari ſunt, minorum celeres, proceriorum hominum pulſus pauciores, quam virorum minoris ſtaturae deprehenduntur; porro repetitae et numeroſae grandium truncorum flexiones, anguli magni atque obtuſi, tandem aucta ſanguinis celeritas, frictionem ideoque
p. 189. cauſas retardationis augent. Praeter has cauſas aliae reperiuntur, quae animali corpori peculiares ſunt. Ita repetita ramorum diuiſio, anaſtomoſes arteriarum inque iis inprimis contrarii ſanguinis torrentes in ſe inuicem nixi, inſignisque tandem cauſa, ſanguinis viſciditas, retardationem omnino efficiunt. Ex his itaque, ſanguinem minori in vaſis minimis, quam in truncis, celeritate circumferri, colligendum eſt. Docent vero experimenta, retardationem hanc in vaſis minimis minui omnino, ſanguinisque velocitatem minus decreſcere, quam eae cauſae admittunt, a quibus ſanguis retardatur. Quodſi vero perpenderis, minimorum truncorum lumen,

ramorum

ramorum lumine, minus non eſſe, atque etiam frictionem, licet penitus refutari non poſſit, aliqua tamen ex parte minui, retardationis in vaſis minimis minutae cauſam reperies. At vero adſunt cauſae p. 199.
nouae celeritatis, quae, praeter vim cordis, ſanguini accedunt. Earum variae propoſitae fuerunt, inter quas autem nonnullae verae non ſunt. Ita nonnulli ab anguſtia minimorum canalium celeritatis in vaſis minimis incrementum ſperarunt, alii eam a columna ſanguinis, in minimis longiori, aliique a vi ponderis, quae ſanguinem per continuum arteriarum venarumque tubum, tanquam per bicrurem canalem fluere cogat, deduxerunt. Poteſt quidem pondus in mutanda ſanguinis celeritate quid praeſtare huncque ad inferiora loca deriuare vel et venoſum ſanguinem eo diſponere vt celeriter ad cor redeat, in arterioſum vero ſanguinem iſta grauitas parum aut nihil quidquam poteſt. Alii iterum in promouendo ſanguinis itinere neruorum vim admiſerunt, inprimis cum viderint, pulſus ab animi motibus, dolore et inflammatione partium mutari, atque putarunt inde, nerueum liquidum efficere, vt arteriae conſtringantur. Alii demum, qui pleroſque truncos arterioſos laqueo nerueo comprehendi animaduerterunt, ſanguinis inde motum et tardari, ſupprimi vel et incitari putarunt. Sed haec firma non ſunt: nerui enim, cum ab omni p. 205.
irritatione alieniſſimi ſint, conſtringi nequeunt, et experimenta etiam docent, pulſum nec a neruis irritatis, nec a dolore, nec a conuulſione augeri, nec eundem in paralyſi immutari, imo ſanguinem in vterina placenta abſque neruorum auxilio eundemque in oſſeis arteriis et in pluribus animalibus, cerebro capiteque deſtitutis, moueri.

Aſt, veram cauſam dat arteriarum contractio, p. 206.
quae vtique magni momenti eſt. Minime tamen hac contractione ſanguis ad cor repellitur cum ea in

in toto ſyſtemate arterioſo non ſubito et in vno tempuſculo, ſed in multis tempuſculis, quae ex ordine ſibi ſuccedunt, fiat, licet etiam haec ſucceſſio percipi non poſſit. Tali vero modo ſanguis non retrorſum ſed antrorſum vrgetur, cum ea in parte arteria eo ipſo tempuſculo quam maxime in contractione verſetur. Huius contractionis cauſam aliqui ab elatere membranarum, plerique recentiorum a vi muſculoſa, aliique a neruea vi deducendam eſſe, putarunt; minime tamen magnam expectandam eſſe, vetat harum fibrarum exilitas, vetat ſenſus, qui in arteriis minimus eſt. Alia accelerati motus ſanguinis cauſa videtur vis deriuationis, quae occulta contractio eſt et ab elatere membranarum dependet, parum vero ad ſanguinis motum confert. Potentiſſima autem cauſarum, quae, praeter cor, ſanguinem mouent, eſt vtique muſculorum motus; eo quidem ſanguis in venis inprimis incitatur, cum vero et a motu muſculorum aucto cordis vires increſcant, ſequitur et celeritatem in arteriis incitari. Si motus progreſſiui turbati phaenomena contemplemur, ſanguinem primo lentius moueri, inde turbationem ſequi, eum contra cor retrocedere, tum oſcillationem, poſt hanc quietem, tandem arteriarum inanitionem ſuccedere, animaduertimus. Sed ſupereſt quoque a morte motus, cuius cauſae vel in deriuatione, vel in pondere, vel in frigore, vel in adtractione vel demum in euoluto aere quaerendae ſunt, et ex variis, hinc inde obſeruandis phaenomenis elucеſcunt omnino. Haec de motu ſanguinis progreſſiuo.

p. 224. Quod ad preſſionem lateralem ſpectat, ea ſane in viui animalis arteriis aliter ſe habet, quam communis illa fluidorum preſſio. Semper enim in viuo animali arteriae plenae ſunt, ſiue eae in ſyſtole, ſiue in diaſtole conſtitutae ſint. Videntur quidem per experimenta arterias inanes interdum eſſe, id

id autem veritati non conſentaneum eſſe, pellucidumque humorem ſpatium iſtud, inane viſum, replere poſſe, ratio ſuadet, imo arterias, iacturam ſanguinis facientes, ad minus lumen ſe contrahere, ideoque, ſanguine etiam imminuto, ſemper tamen plenas eſſe, ipſa experimenta confirmant. Si itaque aorta plena eſt nouusque ſanguis in plenam arteriam proiicitur, ſequitur, ſanguinem, in arteria iam reperiundum, huic cedere. Sed noua haec, a corde inſequens, vnda priori, vt obſeruationes docent, celerior eſt, nouamque impulſionem impertit, atque eam nunc cauſam ſuppeditat, quae effectus in arteriarum parietes producit. Primo quidem arteria in longitudinem exporrigitur, ſiue ea ligata fuerit, ſiue reſecta, ſiue flexa, ſiue etiam cylindrica. Inprimis autem ſanguinis columna, oblique per arteriam proiecta, arteriae latera ſecundum lineas, quae in eius ambitum ad perpendiculum incidunt, premit. Inde igitur fit, vt in aortae principio, quod arcum conſtituit, aneurysmata frequentiſſima, ſquamae, calli ſimiles, tandem cartilagineae et oſſeae, imo adeo diſruptiones reperiantur. Confirmatur haec preſſio ex eo, quod vnda prior tardius fugit, quam ſequitur poſterior, confirmatur dein pulſu, digiti percuſſione, arteriarum inflammatarum tumore, ſulcis, quos arteriae oſſibus inſcribunt, aneurysmatibus, arteriis oſſeis obſtructis, compreſſis et ligatis, foueis iſtis, quas ſibi aneurysmata in vertebris aliisque oſſibus parant, eorum oſſium carie et arteriis, a cordis impetu ruptis. Caeterum haec preſſio lateralis eo minor eſt, quo expeditior ſanguinis circuitus, eoque maior, quo maiora offendit impedimenta. Effectus huius preſſionis ſunt membranarum arteriae denſatio, arteriolarum, in ipſis arteriis decurrentium, compreſſio ipſiusque arteriae dilatatio, quae, licet a nonnullis negata p. 236.

 fuerit,

fuerit, a ſucceſſione ictuum tamen, quae quidem ab anima non percipitur, explicari poſſe videtur.

p. 242. Haec alterna arteriarum micatio pulſus vocatur, qui eſt menſura virium, quas cor in promouendo ſanguine impendit. Dantur autem varia pulſuum diſcrimina: ita pulſus et celer et frequens eſſe poteſt; hic adeſt, quando cor in dato tempore pluries contrahitur, ille vero, quando cordis ſyſtole in quam minimo tempuſculo abſoluitur. Vterque hicce pulſus diſtingui quidem poteſt, raro vero in
p. 248. morbis ſeparatur. Cauſae huius pulſus variae eſſe poſſunt: ita magis irritabilis cordis indoles, qualis eſt ſtructura infantum, iuniorum omniumque animalium minoris molis, dein abundantia ſtimuli, vt cor magnum, copioſum ſanguinem eiiciens et recipiens, porro omnes cauſae, ſanguinem copioſius ad cor pellentes, vt motus muſcularis, calor, cibus, varia obſtacula, qualia polypus, febris, inflammatio etc. ſiſtunt, debilitas, nerui irritati electricique ignis excitatus torrens frequentiores celerioresue pulſus excitant. Si demum magnus vna et celer obſeruatur pulſus, verum celeris circuitus ſanguinis indicium eſt, paruus vero inſimulque frequens pulſus
p. 254. auctum cordis laborem indicat. Obſeruatur etiam pulſus rarus et tardus, cuius cauſae cauſis pulſus velocis contrariae ſunt. Ita cor minus irritabile, vt in ſenibus, animali magno etc. dein minor ſanguinis, cordi remiſſi, copia, vt in animalibus frigidis et homine quieſcente obſeruatur, porro frigus, vt hyeme deprehenditur, tandem minima, ob expeditum ſanguinis circulum, reſiſtentia, vt in homine ſaniſſimo, pulſum rarum reddunt. Minime ergo veriſimile eſt, pulſum in principio febris, tardum rarumque eſſe. Dantur quoque aliae cauſae, quae pulſum rarum efficiunt. Ita pulmo obſtructus, ob ſanguinem non adeo expedite ex dextro in ſiniſtrum ventriculum tranſeuntem nec non etiam cor,

ſummo-

ſummopere debilitatum, paruum ſtimulum non percipiens, vt in peſſimis febribus, ante mortem fit, cauſam ſuppeditare valent.

Numerus pulſuum pro diuerſa aetate diuerſus eſt; ita nouiter naſcenti homini frequentiores pulſus ſunt, qui vero, prout homo creſcit, ſemper decreſcunt; inde fit, vt pulſus rariores ſenibus ſint. Varietatem etiam conſtituunt temperamenta: ſic atrabilarii homines, intra datum tempus, pauciores pulſus numerant, quam phlegmatici, hique pauciores, quam cholerici. Etiam ſexus varietatem inducit; foeminis enim numeroſiores ſunt. Porro ſtatura hominis diuerſitatem in pulſu facit, ita vt, quo procerior quis eſt, eo pauciores pulſus iſte numeret. Tum ſomnus, vigilia, cibus et motus pulſum mutant. Ita paulatim vigilanti pulſuum numerus creſcit, ita vt ſub noctis initium numeroſiores ſint; ſomnus autem numerum minuit. Vti cibus pulſuum numerum auget, ita ieiunium eum minuit, atque digeſtione abſoluta prior cedit tarditas, quoue motus celerior, eo potentius augetur pulſus. Dependent inſuper pulſuum diuerſitates a coeli varietate; ſic aeſtate et circa aequatorem pulſus frequentiores ſunt, qui autem, prout calor coeli minuitur, decreſcunt. Tandem et morbi pulſus diuerſos reddunt, inque omnibus, quos febris comitatur aut dolor, pulſus acceleratur, imo accidit etiam, vt in eiusdem hominis duobus artubus non eaedem pulſus adfectiones ſint, inque parte inflammata aliter quam in carpo ſe habeat pulſus. p. 258.

Obſeruantur praeterea alia pulſuum diſcrimina. Sic pulſus magnus eſt, in quo arteriae diameter quam maxima redditur; talis abundantis in corde ſanguinis cordisque, ſanguinem valide promouentis, ſignum eſt. Si iſte cum tarditate eſt, libertatem arteriae ſummam, ſtimuli quam minimum viresque p. 268.

tamen

tamen cordis ſufficientes notat. Si cum celeritate eſt, multum ſanguinem nixumque cordis vehementiorem cum obſtaculo, ſtimulo alioue celeritatis cauſa coniunctum, vt in apoplexia, indicat. Paruus pulſus contrarias cauſas habet, et eſt, quando arteriae diameter non increſcit; hic vires cordis exiguas notat et a debili vix differt. Cum celeritate paruus pulſus ſtimulum magnum ingentemque cordis debilitatem notat. Durus eſt, quando arteria rigida et tenſa et ſanguis viſcidus et concretioni proximus eſt et a corde valde vrgetur. Aequalis tandem dicitur, quando multi ex ordine pulſus aequis ſe ſequuntur interuallis: contrarium in inaequali obſeruatur, cuius ſpecies dicrotus, coturniſans, inciduus aliique eſſe ſolent.

p, 272. Effectus motus ſanguinis per arterias varii ſunt, et primo quidem frictio naſcitur ob id, quod ſanguinis globuli ad parietes impelluntur. Tunc autem arteriae parietes mutantur, dumque iſti reagunt, globuli repelluntur, ab inſequentibus vrgentur, comprimuntur, ideoque denſantur. Dum autem id fit, neceſſario etiam ipſorum globulorum frictio inque eorum motu conturbatio oritur, ita vt, cum inſuper arteria continuo dilatetur, moxque iterum contrahatur, globuli longiores abrumpantur, deterantur inque ſphaerulas abeant. Cuncta haec non ſolum in truncis ſed et in ramis fiunt, manentque in iisdem frictio, compreſſio, denſatio. Si anaſtomoſium vſum perpendamus, maiorum certe officium eſt, ſanguinis motum expedire, deſtructas aut immeabiles arterias compenſare et efficere, vt, ſi duae arteriae ramos habeant contrario ductu mutuo in ſe immiſſos, directio inde facilius mutetur, ſicque ſanguis per minora vaſcula feratur, idemque inſimul, dum contrarii ſibi torrentes obnituntur, de velocitate ſua amittat. Simile quid faciunt retia vaſorum, quippe in quibus celeritas minuitur et

adfrictus

adfrictus globulorum, eaque omnia, quae inde de- pendent, augentur. Aliae adfectiones in vaſculis minimis ſunt; cum enim ea conica non ſint, ſed vere cylindrica, eademque globulo rubro vel maiora, vel aequalia, vel denique minora, iſta ea propter modulum conſtituunt, qui globuli rubri magnitudinem definit. Cumque in his ob plures cauſas minima ſanguinis celeritas ſuperſit, ad coagulationem proinde naſcitur globulorum ſanguineorum aptitudo. p. 281.

Ab his itaque cauſis varie mutatur ſanguis: ſic p. 282. fluiditas eius naſcitur. Motus enim globulos a mutuo contactu continuo dimouet neque adtractioni, per quam coagula fiunt, tempus dat. Huc etiam calor quid confert: hic enim motum inteſtinum ſanguini imprimit, qui aeque ac progreſſiuus nullam quietem permittit. Molecularum autem moles ad fluiditatem nihil facere videtur pariter ac inteſtinus motus, qui ſane, cum progreſſiuo obſtet, inter particulas ſanguinis, dum mouentur, locum habere non poteſt. Ab ipſo ſanguine eiusque motu p. 285. dependet calor et a ſanguine reliquae corporis partes incaleſcunt. Datur vero nullus in corde innatus calor; cor enim reliquo animalis corpore calidius non eſt. Sed nec iſte a ſanguinis quodam feruore, cum non efferueſcat ſanguis, nec a putredine, cum ea calorem non generet, nec etiam ſanguis, niſi quietus, putreſcat; minime etiam calor ab vrinoſis particulis, quae ab igne tantum naſcuntur; neque tamen, ſi adeſſent, oleoſas maſſulas ſoluerent. Aſt a motu progreſſiuo calorem naſci, multa ſuadent. Eo enim ſanguis ad parietes adfricatur, inde calor; cum omnem calorem a tritu naſci, experimenta doceant. Imo cuncta animalia a motu ſuo calorem habent, qui etiam ſummo in frigore ſeruatur, ſi mouentur, ſin alias, continuo in ſtatuam congelantur, contra quo magis iſte motus augetur,

eo magis

eo magis augetur calor. Sed huc etiam confert quidquam globulorum denſitas, ferrum in iis contentum maiorque cordis motus, quo certe diminuto, minuitur quoque calor: inde etiam fit, vt piſces, quibus paruum cor paucusque ſanguis eſt, non caleant, et calor in omnibus frangatur, ſi ſanguinis copia aut denſitas ac globulorum portio minuitur. Obiiciunt quidem calorem a nimis lento viſcidoque illo motu, quo ſanguis circumagatur, generari non poſſe, cum piſces, qui celeritate ſua velociſſimos equos praeuentant, nunquam tamen calorem concipiant, neque caloris gradus in ratione celeritatis ſanguinis ſint, inque homine aeſtus naſcatur, quando pulſus pauciores ſunt, isque contra remittat, quando hi augentur. Sed reſpondetur, ea, quae contra receptam de caloris generatione ſententiam proferuntur, oſtendere tantum, aquam calorem non generaturam, ſi loco ſanguinis per vaſa circum flueret, nec deinde, ſi aqua ex frictione incaleſcere nequeat, ideo ſequi ſanguinem incaleſcere non poſſe. Quod ad piſces ſpectat, inter hos ſane et quadrupeda in cordis, arteriarum et ſanguinis ad reliquum corpus portione diſcrimen habetur, neque ideo, cum ii calorem nullum concipiant, oſtenditur, a motu calorem non generari. Quodque demum ad aeſtum febrilem et frigus febrile ſpectat, aliae ſane cauſae ſubſunt, quae et aeſtum absque aucto motu maiorem et ſenſum tantum frigoris, licet verum non ſit, producere valent. Sed alia etiam praeſtat motus ſanguinis, impeditque quo minus ſanguis putreſcat: reſiſtit enim motui inteſtino, qui tamen ad putrefactionem omnino requiritur. Interim autem eo ad vrinoſam naturam diſponuntur humores, cuius acrimoniae cauſa in calore ſanguinis perpetuo perpetuoque ſolidas inter
p. 310. fluidasque corporis particulas tritu quaerenda eſt. Sed quaeritur, vnde ſanguinis rubor? Iſte enim nec a figura globoſa, cum etiam in lacte inque

adipe

adipe globuli ſint, nec a denſitate, nec a maiori rubrorum globulorum propinquitate, nec a reſpiratione, nec ab aereo nitro, quod omnino nullum eſt, nec a laxatis globulis, nec a lixiuioſo ſale, nec ab albo, in centro globuli rubri reperiundo, puncto, quod per multum ſerum translucens rubrum adparet, ſed a ferro dependet. *Si* enim *huius ferri copia in ſolis rubris globulis reperitur, paucior in animali debili, cui ſanguis flauet, copioſior in rubuſto, cui intenſe rubet, iterum ferri elementum chloroticis flauisque puellis ruborem legitimum reſtituit; non improbabile videtur, eam terram cum oleoſa parte ſanguinis ſubactam, multa vi cordis viuidique in circulum motus ſubactam miſtamque ruboris cauſam eſſe.* Quod tandem ad denſitatem ſanguinis attinet, ea a viſciditate differt et in ſanguine vel totius maſſae, vel globulorum, vel vtriusque eſt. Denſitas totius maſſae in globulorum numero, globulorum vero denſitas in maiori vel minori ſoliditate conſiſtit. Poteſt tamen vtraque denſitas coniungi, poſſuntque denſi et multi globuli eſſe. Haec denſitas maſſae non in pulmone naſcitur et obtinetur, quoties plurimi globuli parantur, vtque hi parari poſſint, requiritur, vt adeps et ferrum copioſe praeſto ſint multaque vis circumeuntis ſanguinis materiem in globulos formans adſit, a quibus cauſis, ſi praeſto ſint, et ſeri denſatio pendet. Verum non manet ſanguis arterioſus idem, ſed plurima ſane de eo decedunt, quae in principio venarum deſiderantur, non ideo tamen venoſus ſanguis arterioſo craſſior eſt, cum plura iterum ei remiſceantur. Viſciditatem demum ſi perpendamus, ea a tardiori motu dependet, ſanguisque in finibus arteriarum ad eam diſponitur.

Reducitur ſanguis per venas. Eſt autem in his idem ac in arteriis motus progreſſiuus, eſt ſua in venis lateralis preſſio, ſunt vtrique ſui effectus. Celeritas in venis, vnius globuli capacibus, plerum- p. 321.

plerumque eadem fere adparet, quae in maioribus venarum truncis, aliquanto minor quam in arteriis. In venis autem plurium globulorum capacibus, globuli ſecundum lineas inter ſe et axi parallelas feruntur, lentius aliquanto quam in arteriis, eſtque eorum, ſecundum axin fluentium, celeritas aliquanto maior. Acceleratur ſanguinis venoſi motus nec a contracto corde, nec a vi venarum contractili, ſed a conica illarum figura ſanguinisque in vas continuo anguſtius confluxu, ſiquidem coniuncta ramorum venoſorum lumina trunci lumine maiora ſunt, atque ideo per principia hydraulica, cum multi ramorum globuli vnicum in trunco globulum vrgeant, maior in trunco velocitas naſcitur. Adiuuat hunc venoſi ſanguinis motum motus muſculorum, partim quod venae, medios inter muſculos poſitae, comprimuntur, partim quod cor ad contractionem vehementius et potentius ſollicitatur, partim denique quod aucto ſanguinis in venas cauas confluxu plus cruoris in dato tempore in pulmonem venit et reſpirationis frequentiam auget. Acceleratur tandem iſte motus deriuatione, cuius ſane tanta vis eſt, vt, vena ſecta aut loco laxato ſanguis omnis ab omnibus
p. 330. venis eo confluat. Inter cauſas, quae motum ſanguinis mutant, primum locum occupat reſpiratio, quae partim eum adiuuat, partim retardat. Oſtendunt hic obſeruationes, cerebrum in inſpiratione et cerebellum ſubſidere ſeque a cranio remouere atque ſanguinem, dum animal inſpirat, vndique ad cor redire venasque depleri, palleſcere, explanari et exſangues fieri; in exſpiratione vero easdem venas, ſanguine a corde reiecto, turgere, coeruleas cylindricasue fieri. Cauſa huius phaenomeni ea eſt, quod facilior ſanguini in pulmonem aperitur via, inde deriuatio naſcitur atque ad hanc ſedem, a qua reſiſtentia ablata eſt, ſanguis venoſus vndique confluit. Quapropter venae remotiores cerebri,

brachii,

brachii, abdominis deplentur et inaniuntur. In exſpiratione autem pulmones comprimuntur, inde ſanguis difficilius recipitur, hinc dextrum cor difficilius ſe deplet, ſanguis in venis cauis, vena iugulari tandemque cerebro ſtagnat, ideoque venae iugulares ſinusque cerebri intumeſcunt. Accedit et hoc, quod in exſpiratione thorax contrahatur, pulmones inde et auriculae, nec non venae cauae comprimantur ſicque ſanguinis in venas cerebri refluxus fiat. Interim tamen negandum non eſt, etiam inſpirationem vehementem venoſi refluxus cauſam ſuppeditare. Si enim ea vltra protenditur, nec exſpiratio ſuccedit, pulmo non depletur, nec eadem facilitate ſanguis recipitur, quare ante pulmonem iſte colligitur inque venas refluit. Aliam denique cauſam largitur diaphragma, quippe quod in inſpiratione contrahitur, venam cauam ſtringit ideoque ſanguinis refluxum auget. Alia praeterea cum hoc pulmonis ſtatu coniungitur refluxus cauſa, ſi quando in animali moribundo, neque tamen legitimo hominis ſtatu, ob pulmonem compreſſum auricula ſanguinem expellere nequit, quapropter ſanguis, cum illa interim micare pergat, in venam cauam refluere cogatur.

Venarum etiam anaſtomoſes venoſi ſanguinis motum et adiuuant et retardant. Adiuuant eum potentius quam arteriarum anaſtomoſes, quia vbique rami in venis truncos vicinos vniunt, ſicque maiores fiunt. Sique aliquo loco iter ſanguinis venoſi difficilius eſt, fit inde per anaſtomoſes, vt ſanguis ad eum locum fluat, qui liber eſt, neque reſiſtit. Cum autem contraria ſaepe ſanguinis fluenta ſibi obſiſtant et ſe morentur, anaſtomoſes proinde et retardationis ſanguinis venoſi cauſam ſiſtunt, inde mira illa in motu ſanguinis venoſi inconſtantia deducenda eſt. Retardat autem hunc venoſi ſanguinis motum frictio, quae licet minor, p. 337.

quam in arteriis, ſit, minime tamen a venis abeſt; retardat deinde iſtum reſiſtentia ſanguinis anterioris, ſiquidem venae vere conice non diuergunt; retardat denique eundem pondus ſanguinis, quod luculenter per varia declarari poteſt. Cum itaque tot cauſae venoſi ſanguinis velocitatem mutent, mirum ſane non eſt, cur velocitas venoſi cruoris multo magis, quam arterioſi, incerta ſit et ſanguis modo lente modo celeriter per venas fluat. Sed quaeritur, quae ſit menſura celeritatis, qua ſanguis per venas redit? Ad hanc definiendam lumina venarum et arteriarum comparanda ſunt. Vidit nimirum Noſter, coniuncta lumina venarum fuiſſe vt 24 ad 9, inde velocitatem venoſam ad arterioſam vti 9 ad 24 eſſe, colligit. Si tempus quaeramus, quo ſanguis circulum maiorem abſoluat, poſitis ſanguinis libris triginta, numeratis pulſibus 4500 et vnda, quae ex corde ſiniſtro exit, ad quinque ſemuncias aeſtimata, patebit, vnicum ſanguinis de corde ſiniſtro in cor dextrum circuitum intra minus, quam tria minuta prima abſolui. Sed adeo frequens motus venoſi retardatio aut viciſſim noua acceleratio eſt, vt contrario ductu fluat, quae eſt motus inuerſio et ipſa cum reſtituto motu ad cor reconciliabilis. Qui denique a morte obſeruatur venoſi ſanguinis motus, eius ſane cauſas a pondere, frigore conſtringente, vi deriuationis aereque, de cruore expedito, dependere videbis.

p. 350. Preſſio ſanguinis in venis lateralis, licet a nonnullis negetur, facile tamen demonſtratur, ſi perpendamus, columnas ſanguinis venoſi continuo in anguſtiorem canalem ſtipari: ſique inſuper ad dilatationes venarum ligatarum atque ad conſtantes venarum tumores et ruptiones earundem vel demum ad celeritatem nouam, qua ſanguis in venaeſectione per vulnus exit, attendamus, ea confirmatur
p. 352. vlterius. Licet autem a corde venoſi ſanguinis naſcatur

naſcatur motus, minime tamen alterna cordis contractio venoſum ſanguinem alterne incitat. Cum enim figura conica in minimis arteriis abſit, ideoque celeritas atque adeo frictio minor ſit, inſimulque venarum vicinia laxiorque natura ſanguinis in arteriis minimis tranſitum expediat, velocitatis conſequenter in vnda conſequente ſuper vndae praecedentis velocitatem exceſſus ideoque pulſus euaneſcit. Quodſi vero pulſus venarum aliquando obſeruatur, is ſane vitioſus eſt, cuius vitii cauſa in obſtaculo aliquo, circa cor poſito et iter ſanguinis venoſi morante, quaerenda eſt. Quod tandem ad motus venoſi effectus ſpectat, ii ſane in venis iidem, quam in arteriis, ſunt, praeter id, quod alii minores, alii maiores ſint: vnum tamen eſt, in quo venae arteriarum contrarium effectum operantur: arteriae nimirum diuerſae indolis particulas ſeparant, venae contra ea elementa coniungunt; inde igitur in venis cauis, vti in aorta, diuerſos humores omnes contineri, putandum eſt.

His abſolutis Ill. Auctor ad difficillimam phy- p. 358.
ſiologiae partem, ſecretionem nimirum progreditur, qua quippe obſcurius nihil in phyſiologia habetur. Neque enim ſenſuum auxilio neque meditatione viſcerum et glandularum fabrica, in quibus iſta functio perficitur, detegi poteſt, imo etiam neque experimentis hic locus eſt. Ne autem quidquam deſiderari poſſit, opus hoc aggreditur Noſter, atque ordinis cauſa primo ſtatim humorum claſſes eorumque indolem variam recenſet, poſtea autem ipſum organorum ſecretoriorum fabricam deſcribit. Humorum claſſes quatuor conſtituit, hosque aquoſos, mucoſos, gelatinoſos oleoſosue appellat; his ſincerioribus poſtmodum alios addit, quos compoſitos miſtosque vocat. Aquei vocantur, qui rationem aquae ad reliqua elementa quam maximam habent, fila non ducunt, ab igne diſſipantur, nec

vllo modo coguntur, minime tamen, et terreas et ſalinas et oleoſas moleculas his admiſtas non eſſe, credas. Aliqui eorum de corpore in auras abeunt, vrina nempe, materies perſpirabilis exque pulmone exhalans vapor; alios ad ſuos vſus in corpore natura animalis reſeruat, ſuntque ſaliua, pancreaticus humor et lacruma, quorſum etiam referre poteris oculi aquoſum vitreumque humorem et alios forte, quos ſenſus non detegunt: forte etiam nerueus ille humor huc referendus eſt. Mucoſi vocantur humores in corpore, qui aqua minus fluidi ſunt, fila ducunt, ad ſolida corpora fortiter adhaereſcunt, cum aqua facile miſcentur inque ea diluuntur, odore ſapore omnique pene colore carent, neque igne, neque vllo modo coguntur et aquam cum oleo miſcent. Chemica analyſi diſquiſiti aquae partem maximam, olei paruam valde, paruam etiam ſalis volatilis ſicci, minimam vero lixiuioſi ſalis terraeque aliquid exhibent. Pertinet huc lubricus ille humor, qui totam aeris, ciborum vrinaeque viam obungit; muci naturam oſtendit ſuccus funiculi vmbilicalis et verior pars ſeminis, forte etiam nigrum illud pigmentum, quod auerſam vuei annuli faciem in multis animalibus obducit. Muci vtilitas eſt, teneros et acriter ſentientes neruulos tueri. Gelatinoſi humores dicuntur, qui igne admoto aut feruida affuſa, aut ſpiritu vini, aut acido minerali coguntur, ſaporeque blando aut leniſſime ſalſo donantur. Habent iſti plus, quam mucus, partium terrearum, plus etiam olei. Referuntur huc ſanguinis ſerum, lympha vaſculorum valuuloſorum, oui albumen, humor, qui pullum in ouo circumfluit, amnii humani liquor, latex ille exhalans, qui in caueas ventriculorum cerebri, pectoris, pericardii et abdominis deſtillat, ouulorum Graafianorum liquor, humor glandularum renalium et, ſi purus haberi poſſet, ventriculi inteſtinorumque ſuccus.

Referri

Referri etiam huc meretur halitus ille, qui in minores cauernulas textus celluloſi exit, forteque illud gluten, quod et a MALPIGHIO et BELLINO in neruis medullaque ſpinali repertum eſt. Tandem etiam vnguen Hauerſianum huc pertinet, quod, licet miſti generis ſit, ob plura tamen, quae per experimenta cum gelatina communia habet, ad hanc claſſem referendum eſt. Oleoſi demum humores dicuntur, qui ſuperflua parte aquoſa difflata ad ignem flammam concipiunt, ſuntque adeps, medulla oſſium, ſebaceum vnguen varii generis, aurium cerumen, parteque aquea difflata bilis, lac, huicque alii ſimiles humores. Quod ad compoſitos humores ſpectat, multi omnino, ad priores claſſes relati, huc pertinent, ſiquidem nullus eorum ſincerus eſt, vnicumque elementum conſtituit. Omnes hos humores in ſanguine pene perfectos contineri, experimenta docent; quemlibet autem humorem per quodcunque colatorium ſeparari poſſe, et perſpirabilem materiem ad aluum, renes, nares et ſaliuae vias conuerti, et per cutem tranſire, quod per inteſtina exſudat, vrinam, per quamlibet fere viam exire, muci loco aquam puram excerni atque oleum etiam et lac in alienis locis egeri, obſeruationes clinicae oſtendunt et anatomici conatus liquoribus iniectis, per vaſa diſſimilia exeuntibus, illuſtrant.

Perpendamus nunc ſecretionis organorum fabricam. Non vno modo ſecernitur aquoſus humor, ſed ſeparatur per vaſcula, arteriis continuata, ſeparatur per glandulas, quae conglomeratae dicuntur. Hae ex lobulis compoſitae ſunt, quos laxior celluloſa tela reuincit et per quorum interualla vaſa ſanguinea repunt neruique tranſeunt, qui tamen in ipſa glandularum carne non manent aut ſane exigui ſunt. Iſti lobi ex minoribus lobulis conſtant, inter quos minora vaſcula intercedunt, donec repetita p. 374.

 diuiſione

diuiſione ad minimos, oculo tamen conſpicuos,
acinos peruentum ſit. Hi acini rotundi ſunt, fere
pallidi et absque rectarum fibrarum conſortio, qua
nota a carne ſe diſtinguunt. Ex conglomeratis iſtis
glandulis vnus aut etiam plures emittuntur ductus,
excretorii dicti. *Eſt* autem *ductus excretorius cana-
lis genus, venae aemulum, cuius radiculae minimae ex
acinis perinde minutiſſimis exeunt riuorumque ſimiles,
qui in fluuium confluunt, in maiorem alueum ſe immit-
tunt.* His ductibus exterius membrana, ex celluloſa
tela ſtipata, circumponitur, interior vero ductus
excretorii membrana, cum velamento eius caueae
continuatur. Hi ductus alium a ſanguine liquorem
continent, quem vero absque dubio ab arteriis
habent, licet coniunctio arteriolarum minimarum
cum naſcentibus ductubus non adeo facile demon-
ſtrari poſſit. Sed quaeritur, quaenam ſit acinorum
fabrica? Hanc eam eſſe, quae rotundi vtriculi
MALPIGHIVS docuit, idque ex viſcerum fabrica,
cum qua glandulas comparauit, oſtendit: ea enim
ex veris acinis conſtare, hosque acinos cauos eſſe,
probauit. Comparauit etiam eos cum glandulis,
ex ſimplicibus compoſitis, quas, vt in tonſillis eſt,
vere cauas vidit. Tandem etiam caueas acinorum
ex eo confirmauit, quod per morbos augeantur et
vel inquilino cuiusuis viſceris humore vel alio mor-
boſo vel lympha, quod vitium hydatides vocant,
p. 385. diſtenduntur. Huic Malpighianae ſententiae,
vbique fere receptae, aduerſatur ſententia RVY-
SCHII, quippe qui omnia viſcera pariterque con-
glomeratas glandulas vaſculis telaque celluloſa,
nullis inter excretorios ductus et arterias interpo-
ſitis folliculis, conſtare docuit idque ex eo proba-
uit, quod ſebum iniectum ex minima arteriola in
excretorium ductum tranſeat, neque vllos inter
arteriolam ductumque excretorium interponatur
nodulus. Licet autem nunquam viſcera penitus

replean-

repleantur multumque materiae non vaſculoſae viſceris cuiusuis ſuperſit, eam tamen materiem ex folliculis non componi, ſebum, ex arteria in excretorium ductum tranſiens, probat. Vel enim folliculus, eo iniecto, diſtenderetur, vel, ſi a quacunque cauſa elidatur, nulla tunc via ſupereſſet, per quam ſebum in eum ductum veniat. Confirmantur haec teſtium exemplo, vtpote qui, glandularum carni ſimiles, ex conſpicuis vaſculis componuntur. Prouocarunt quidem, Malpighianae ſententiae addicti, ad fabricam morboſam et rotunda illa in partibus concrementa; docuit vero RVYSCHIVS, ſimiles tumores in aliis quoque partibus naſci, vbi nec vllus folliculus quaeritur, eosque in celluloſa tela inprimis reſidere. Confirmant praeterea huius viri ſententiam hydatides, quarum ſedes vel in celluloſis cauernulis eſt, vel quae nihil niſi morboſas vaſorum degenerationes conſtituunt. Confirmat demum eandem humorum ſeparatio: ita in vaſa ventriculi, inteſtinorum, pleurae etc. exhalantia aqua, ſiphone anatomico iniecta, facillime exit. Sed neque etiam aquoſi humores minime cum folliculis generari poſſent, quin propriam aquae naturam amitterent; ſiquidem velocitas tali modo deſtruitur, et ex hoc lentore omnium humanorum humorum ſpiſſitudo naſcitur. Sed praeualuit RVYSCHII ſententia, in quam et vltimis vitae ſuae annis BOERHAAVIVS, Malpighianae ſententiae alias addictus, tranſiit, viſcera nempe, ſecretioni deſtinata, meris componi vaſculis, telae celluloſae ope coniunctis, inque ſeparatione humorum ductum excretorium, rubro arterioſo vaſculo minorem, tanquam ramum ex eo vaſculo prodire.

Viſcidi ſucci nunquam in glandulis conglomeratis et frequentius absque glanduloſis folliculis parantur, ſed in magnam aliquam caueam per exhalantium vaſorum fines effunduntur, vbi, parte tenuiſſima p. 397.

difflata ſpiſſeſcunt. Saepius tamen et iidem ab arteriis in propria deponuntur receptacula quae mox rotunda, mox longa ſunt, ductumque alia excretorium conſpicuum, alia non ita conſpicuum habent. Pertinet huc glandula illa ſimpliciſſima, radicibus linguae adſidens quae duplicem membranam, rubris vaſculis praeditam, carnemque ab ipſa lingua interque hanc et illam partem folliculum habet. In aliis locis membranacea folliculi pars maior, carnoſa minor aut nulla eſt, hancque MALPIGHIVS glandulam ſimplicem, RVYSCHIVS cryptam vocauit; eſtque ea proprio ductu excretorio inſtructa. Pertinent huc glandulae buccales, labiales, epiglottideae, pharyngeae, oeſophageae palati mollis, partis poſterioris narium, aſperae arteriae, oeſophagi, ventriculi, inteſtinorum. In aliis ductus excretorius obſcurus eſt, vt in ceruice vteri, in aliis glandula obſcura et ductus manifeſtus, vt in poris narium etc. Ex ſingulis hiſce cryptis ſimplicibus ſinguli ductus exeunt inque vnum communem confluunt, talesque glandulae ex ſimplicibus compoſitae vocantur inque inteſtinis, narium ſepto, nec non coeco linguae ductu reperiuntur. Sinus mucoſi vocantur cylindricae fiſtulae, membranaceo velamento factae, quiue reſecto quaſi oſculo in viam vrinariam, aeream cibariamue aperiuntur, quorum alii vt cryptae ſimplices ſunt, alii ex multis ſinubus coaleſcunt.

p. 402. Organa, quae gelatinoſos humores ſecernunt, ſunt vaſa exhalantia, arteriae nimirum, quae absque interpoſitis glandulis humorem in vaſa lymphatica effundunt. Praeter haec exhalantia vaſa iſti etiam humores in conglomeratis glandulis ſeparantur, quae, ab HAVERSIO deſcriptae, in articulationibus reperiuntur. Tandem etiam iidem liquores in minoribus glandulis ſecernuntur, quae de ſimplicium genere ſunt et in omnibus capſulis,

articulos

articulos continentibus, ponuntur. Ex hoc muco,
adipe, oſſium medulla liquidoue perſpirabili vnguen
illud componitur, quod articulare vocant.

Oleoſi quoque humores in diuerſis colatoriis p. 408
generantur. Sic lac mammarum partim in conglo
merata partim in celluloſa tela ſecernitur; lac vte-
rinum absque glanduloſa fabrica exhalat; lac pro-
ſtatarum in glandula ſingularis generis gignitur;
bilis in viſcere generatur, cuius acini ex vaſculis
conſtant; ſebum ex glandulis ſimplicibus aut com-
poſitis exit aut in ſinubus generatur. Earum glan-
dularum aliquae ductum excretorium nullum, aliae
euidentiorem, aliae demum plures in vnum com-
munem coniunctos habent, omnes autem pilos
producunt. Ex his itaque liquet, magnam glan-
dularum et organorum ſecretoriorum varietatem
eſſe vixque definitionem inueniri, quae et ſimpli-
ciſſimam et conglobatam et conglomeratam glan-
dulam comprehendat, neque etiam id omne glan-
dulae nomine comprehendi, quod de ſanguine
humorem ſeparare valeat.

Sed grauis nunc quaeſtio exponenda eſt, qui p. 412.
nimirum fiat, vt in definitae fabricae organo ſuus
conſtanter de ſanguine ſeparetur humor. In cauſas
ſi inquiſiueris, eas partim in ſanguine partim in
colatoriorum fabrica reperies. Quod ad ſanguinem
ſpectat, nullum dubium eſt, talem ſanguinem ad
ipſum organon venire, qui plurimis eiusmodi par-
ticulis plenus fuerit, quales per id colatorium ſece-
dunt. Ita clarum eſt, ad hepar ſanguinem deferri,
qui praecipua bilis elementa, oleum nimirum et
vrinoſae indolis ſuccum, aduehat. Deinde etiam
perpendendum eſt, particulas definitae indolis ad
ſecretoria organa deferri. Ita rotundae et grauiſ-
ſimae particulae, ex corde proiectae, axin tenent
aortae, leuiores vero ad latera vergunt. Exem-
plum huius rei largitur, argentum viuum, quippe

quod in capite glandulisque ſaliualibus vires ſuas oſtendit. Diuerſa porro arterioſi ſanguinis velocitas ſecretiones diuerſas efficere valet. Poteſt autem iſta velocitas ad organum quodcunque maior eſſe aut minor. Velociorem motum facit cor proximum; velocior eſt motus, vbi arteriae rectae ſunt et e directo cordis oſtio apponuntur; velocior etiam eſt motus, quoties arteria ſecretorii organi proxima ab aorta prouenit; velocior demum eſt, ſi arteria cylindrica eſt. Augetur autem ſecreti humoris copia, quando ſanguinis motus velocior eſt; ita a corporis exercitatione perſpirationis copia; impelluntur etiam in oſtium ſecretorium particulae maiores fiuntque a velocitate ſecretiones impurae; ita a corporis exercitio et febre, ſudor craſſus, vrina rubens, ponderoſior etc. tandem et maior velocitas facit ſecretiones humorum fluidiorum, nec ſinit viſcidos humores naſci. Ita adipis generatio impeditur, hincque in phlegmaticis contra muci abundantia. Contraria fere praeſtat tardior ſanguinis, colatorium adeuntis, motus, cuius cauſas in arteria, a corde remoto loco orta, praelonga, exigua, ramoſa, flexuoſa, incuruata, ad rectum angulum nata rectoque maiori et molli demum quaeres, a tardiori autem motu parca oritur ſecretio, excluſis particulis craſſioribus, humores puri ſecernuntur, homogenei ſe adtrahunt, oppoſitae indolis particulae repelluntur, preſſio lateralis augetur et viſcidi inprimis humores ſeparantur.

p. 423. Sed ipſa etiam colatoriorum fabrica diuerſae ſecretionis cauſas ſuppeditat. Primo hic diuerſa vaſorum retia in cenſum veniunt, a qua cauſa ſola ſecretionum varietatem explicari, quidam autumant. Ad rectitudinem nimirum et inflexionem canalis et ad angulos ramorum, quos cum ſuis truncis conſtituunt, reſpiciunt et diuerſitatem, in velocitate natam, videntes, humorum inde ſepa-

ratorum

ratorum diſcrimina pendere, arbitrantur. Verum retia illa veriorem cauſam, cur alii aliique ſecernantur humores, dare non videntur, ſed, ſi quid ad ſecretionem faciant, id ſolummodo ad praeparatoriam illam trunci arterioſi celeritatem aut tarditatem et ad copiam ſanguinis maiorem vel minorem ſpectat. Maiorem vero probabilitatis ſpeciem p. 428.
prae ſe fert diameter diuerſa vaſculi, quod a rubra arteria naſcitur ſuumque humorem recipit. Si enim omnia humorum genera in ſanguine aſſumas ſingulisque diuerſam particularum magnitudinem adſcribas, ita, vt ſanguinis particulae maximae, adipis ſecundae, bilis tertiae, lymphae quartae, ſaliuae quintae et aquae exhalabilis ſextae magnitudinis ſint, ſique deinde totidem vaſorum decreſcentium ſeries aſſumas, ſequitur proinde, ſanguinis globulos ab illis vaſis excludi, quae adipem vehant, huiusque particulas ab illis non admitti, quae bilem ſecernant etc. Sed rem ita ſe habere, experimenta anatomica ſuadent. Non enim quaeuis, iniectioni deſtinata, materies omnia vaſa penetrat, ſed craſſam craſſa, tenuem tenuiora tantum vaſa replere videbis. Obiiciunt quidem, in fetu vaſcula non eandem magnitudinem habere, quam in adulto et nihilominus quemlibet in eo ſecretum humorem reperiri. Sed facilis ad haec datur reſponſio: verum eſt, vaſcula minoris quidem magnitudinis ſunt, quod vero ad humores attinet, eos eadem indole donatos non eſſe, videbis. Ita obſeruationes oſtendunt, neque ſemen in fetu, neque menſtruum ſanguinem, neque bilem, neque atrum vueae membranae pigmentum, neque adipem generari, ſed mucum vbique inertem, pellucidum, inſipidum, fere aqueum, minori olei, ſalis terraeque portione ſcatentem deprehendi. Facit etiam ad ſecretionem diuerſa oſtii ſecernentis p. 436.
denſitas, aliusque ſeparatur humor, ſi alia canalis ſecretorii in oſtio ſuo denſitas eſt. Denſius quidem

impulſis

impulſis particulis magis reſiſtit maioresque et ſegniores et leuiores repudiat, aquoſas vero admittit; laxum contra oſtium, minus reſiſtens, contrarium praeſtat. Ita v. g. ſicca vulneris latera tenuem lympham plorare, laxata eadem per calorem perque fomenta craſſum pus ſuppeditare videmus. Ita renum ductus, dum ſani ſunt, aquam transmittunt; ſi laxentur, adeps eo ſecedit et tandem ſan-
p. 438. guis. Porro quoque irritabilis glandularum natura, quae certe negari non poteſt, et excretionem et ſecretionem accelerat et auget: ita acrium plantarum manducatio et excretionem ſaliuae et ſecretionem ideo etiam auget; ſic fumus lacrumarum ſecretionem ita accelerat, vt de genis defluant. Quatenus itaque vis iſta irritabilis maior minorue fuit, eatenus plus minus humoris ſecernitur. Verum
p. 442. et ipſorum canalium, ſecretum humorem accipientium, breuitas aut longitudo tum et rectitudo et anfractus diuerſitatem in ſecretione conſtituunt, ita, vt rectus, absque angulo exporrectus, absque flexione productus valuulisque purus et rugis celeriorem et vberiorem, breuiſſimus facilem, copioſam et craſſi humoris, longiſſimus et anguſtus ſimul humoris lenti aliique, aliter conſtituti, aliam ſecretionem faciant.

p. 445. Tandem receptacula, in quae natura ſecretum humorem effundit, non leuem certe ſecreti humoris diuerſitatem exhibet. Duplicis iſta generis eſſe ſolent; alia maiora, quae huc non pertinent, alia minora, folliculorum nomine inſignienda, quae ad ſecretoria organa propius ſpectant. Varia his in ſecretos humores eſt, atque primo quidem iſti faciunt, vt retineatur humor. Anguſtia igitur oſtii excretorii, vel ductus excretorii anfractus, vel dura circumpoſita tela celluloſa, ductum excretorium comprimens, vel inter muſculoſas fibras excretorius ductus prodeuns vel demum conſtrin-

gentes

gentes fibrae, ſphincterum nomine notae, retentionis cauſas varias ſuppeditant. Huius retentionis varii effectus ſunt; ſic retentus humor, niſi natura eius ab omni viſciditate aliena eſt, vt in aqueo oculi humore deprehenditur, viſcidior euadit. Facit huc quidquam calor, qui tenues et aquoſas particulas difflat, facit multo plus reſorptio, quae per venas fit. Alius folliculorum effectus in depuratione humoris conſiſtit. Secedente enim aqua ſuperflua, particulae, proprium cuiuscunque humoris characterem conſtituentes augentur propriamque naturam induunt. Ita bilis, tenui latice reſorpto, viſcidior et amarior veraque bilis fit. Vti autem folliculi puritatem quorundam humorum perficiunt, ita etiam iidem commiſtionem diuerſorum humorum praeſtant, adeo, vt craſſiores obtemperentur et fluidiores euadant, quale exemplum chylus largitur. Faciunt etiam folliculi, vt humores retenti acrimoniam concipiant, quae ad putredinoſam corruptionem ducit et indoli vrinoſae fauet. Ita bilis amariſſima et acerrima redditur. Attamen humores ideo in folliculis retinentur, vt mutationes iſtas, hactenus memoratas, non ſolum ſubeant, ſed ſuis etiam aptisque temporibus effundantur. Quaeritur itaque, quomodo folliculus euacuetur? Perficitur id inſuperabili iſta vi ſtimuli, quo humores etiam mitiores in folliculis minoribus fibras muſculoſas inconſpicuas quidem, in maioribus autem facile detegendas, inque ampliſſimis ampliſſimum illud, toti receptaculo circumpoſitum, cingulum muſculoſum irritant et ad excretionem ſuam ſollicitant. Perficitur tandem et iſta effuſio ſola presſione absque vi quadam irritabili, qualis a ventriculo repleto et diſtento animaduertitur. Sed dantur etiam receptacula, de quibus nihil quidquam euacuatur; ſic caueae articulationum, vaginae tendinum nihil emittunt, tuncque reſorptione

tantum

tantum per venas reſumitur, quantum arteriae depoſuerunt.

p. 465. Quae nunc ſequuntur variae de ſecretione auctorum hypotheſes, pauciſſimis tantum eas indicare, ſufficiet. Ita ad explicandam ſecretionis doctrinam HELMONTIVS, WILLISIVS, COLE et PASCAL fermenta adſumſerunt: alii, vt CARTESIVS, humorum ſeparationem a figuris pororum ſecernentium, ad particularum ſecernendarum figuras aptis, expoſuerunt. Alii, vt LEIBNITZ et WINSLOW humorum ad humores in colatoriis iam a vitae initiis reperiundos, adtractionem admiſerunt. Alii in tubulorum firma ſubſtantia vim quandam adtractilem reſidere putarunt, qua nimirum hic vel ille humor admittatur, alterius autem indolis particulae reiiciantur. Adtractionem duplicem, aliam nempe, qua particulae, ſanguinem componentes, ad totam humorum maſſam retinentur, aliam, qua particulae eiusdem generis inter ſe ipſas cohaerent, KEILIVS propoſuit. HAMBERGERVS tandem per adhaeſionem aut adtractionem ad contigua corpuſcula, prout nimirum denſitas particularum ſolidarum denſitati humoris propior eſt, ſecretionem explicare inde tentauit. Quam infirma autem cuncta haec ſint, quamue fallacibus fundamentis iſta nitantur, egregie Ill. Auctoris argumenta comprobare valent.

VIII.

Caſes and practical Remarks in Surgery with Sketches of Machines of ſimple conſtruction, eaſy application and approved vſe. By BENIAMIN GOOCH, Surgeon. London, printed for D. Wilſon and T. Durham 1758. 8. pl. 13. tab. aen. 13.

h. e.

Caſus et annotationes practicae chirurgicae cum formis inſtrumentorum minus artificioſe faciendorum, commode applicandorum et vſu probatorum Auctore Cl. BENIAMIN GOOCH.

Ad chirurgiam perficiendam hoc ipſo ſeculo praeſtantiſſimorum virorum induſtria in variis Europae prouinciis inprimis in Gallia et Anglia, directa fuit; noſodochia enim publica in his regnis inſtituta, et miſeros aegros excipiunt, et artis colendae opportunitatem exhibent. Cl. Auctor ex iis eſt, qui iam multis abhinc annis in chirurgia exercenda occupatus fuit, laborum ſuorum vero fructus nunc in hoc opuſculo tradit, dum obſeruationes et animaduerſiones ad quinquagenarium numerum ferme accedentes, et in his nonnulla de inſtrumentis, ad curationem morborum chirurgicorum aptis, proponit, cum vero ipſe ſtrictim de his diſſerat, nos non niſi paſſim ſelecta in recenſione tradere poterimus.

Fractura caluae in ſexagenario viro deſcribitur. p. 1. Hic trabe percuſſus attonitus cecidit. Ecchymoſi in latere dextro caluae deprehenſa cuteque inciſa fragmenta varia oſſis parietalis occurrebant, quae modiolo ſexies applicato leuabantur, obſeruata ſimul

ſimul durae matris ſeparatione. Aeger quidem ad ſe redibat; et vulnus apta ſuppuratione purgabatur, ſed poſt plures dies pulſus celerior et ſomni defectus, tandem et ſtupor ſuccedebant, modiolo itaque ſepties applicato; et arcuata quadam oſſis parte retrorſum verſus occiput exſciſſa, triangulare fragmentum, quod duram matrem laeſerat detegebatur quo die primo aprilis remoto curatio ex voto ſuccedebat, vt circa initium iulii libere deambulare poſſet: ſed annus tranſiit antequam cicatrix perficeretur, quae tamen firma vix fiebat, veſiculae potius interdum eleuabantur ſerum fundentes, facile tamen exſiccandae. Vera oſſis formatio in hoc ſene quidem praeſtita non fuit, mollem tamen partem lamina ferrea applicata a compreſſione moleſta defendit.

p. 9. Foemina lapide percuſſa oſſis frontis fracturam paſſa erat, neglecta vera medendi via, Noſter poſt ſeptem dies accerſitur et eryſipelaceum tumorem vniuerſi capitis cum ſymptomatibus mortem proxime inducentibus obſeruabat, inciſione tamen facta et repetita venaeſectione et antiphlogiſticis medicamentis adhibitis fragmenta tandem trepanatione inſtituta leuari et ſanguis ſupra duram matrem extrauaſatus educi poterat, ſanitate poſtea ex voto reſtituta. Laminam plumbeam BELLOSTI fungoſam, carnem coercentem, commendat Noſter, fungos tamen ſcalpello, vel cauſticis tollere, triſtes effectus inducere ſolet.

p. 11. In fractura oſſis occipitis vrgentia quidem ſymptomata trepanationem poſcere videbantur, ſed ob varia, quae in ea perficienda occurrunt, incommoda ad vndecimum vsque diem neglecta fuerat, tandem vero ſymptomatibus vlterius auctis, lente quidem, ſed ita peracta fuit, vt curatio poſtea feliciter ſuccedens oſtenderet diuerſam oſſis craſſitiem, laeſionem ſinuum et alia contra indicantia non prohibere

hanc

hanc operationem, ſi laeſionis in aegro deprehenſae ratio eandem deſiderat et chirurgus attentus operationem ſumma cum cautela ſuſcipere poteſt.

Tumoris genus vulgo *Mumps* dictum deſcribitur; maxime conuenit cum eryſipelaceo tumore, quem apud nos *den Bauerwetzel* vocant. Faciem praecipue occupat, totum tamen caput tumet, et inflammationis ſpecies eſt, quae tamen raro in abſceſſum mutatur, ſed antiphlogiſtica curandi ratione ſupprimitur. Interdum tumorem ad glandulas ſaliuales relinquit, quem Noſter exiguis doſibus mercurii dulcis interne exhibitis et interdum inunctione mercuriali diſſipauit. Poſt acrem hyemem anni trigeſimi noni huius ſeculi, quam aeſtas ſicca et calida excepit, hic morbus praecipue obſeruatus fuit, et vsque ad autumnum anni quadrageſimi primi durauit. Aeſtate proxima et hoc morbo diſſipato, in ſcenam prodierunt anginae malignae, quae annis quadrageſimo quinto et ſexto inprimis exitioſae fuerunt. p. 17.

Tumor ſub aure ad articulum maxillae obortus ſenſimque increſcens praeter ſpem feliciter ſeparatus fuit, ouali enim integumentorum parte remota, digitis deglubi potuit et curatio ex voto ſucceſſit, praeter ſaliuae affluxum ſub maſticatione inprimis moleſtum. Sub finem curationis et anguſto vulnere relicto, Noſter arcum ex chalybe formatum, cuius iconem exhibet, ſuper caput ita applicauit, vt vno extremo ad regionem temporalem oppoſitam, altero puluillo inſtructo ad locum affectum applicaretur, et rara deligatione et puluillo alcohole vini imbuto, ductus ſaliualis aperturam comprimeret, arcu et retrorſum ad ceruicem, et ſurſum ad verticem loris firmato. p. 20.

Poſt violentam extenſionem et contuſionem muſculorum caput extendentium, eorum vera ſubſequuta eſt paralyſis vel ſumma relaxatio, ita, vt p. 24.

caput antrorſum rueret et mentum pectori inſiſteret, durarunt haec incommoda in vno aegro per duos annos, in altero per integrum annum; machinam itaque Noſter inuenit, in icone appoſita delineatam, quae arcus duos ſuper humeros incuruatos et loris firmatos ſiſtit, ex his columnae, et inprimis a latere affecto annulus erigitur, quo caput in ſitu vero retineatur, ex his arcus retrorſum circa ceruicem ducitur, qui in latere ſano vsque ſub mentum continuatur, quo plana quaedam et rotunda lamina mentum ſuſtineatur et per trochleam, quantum quidem decet, ſurſum dirigatur et ſucceſſiue in aptum ſitum ducatur, tono muſculorum hoc ipſo auxilio ſenſim reſtituto.

p. 27. Glandulae axillares ſcirrhoſae vndeuiginti variae magnitudinis et nonnullae ſub ipſo muſculo pectorali ſitae, hoc quoque inciſo, exſtirpatae; tumor mammae cancroſus inſignis magnitudinis feliciter remotus; abſceſſus in pleura inciſus et purgatus; tumor cyſticus, intra muſculos abdominis et peritonaeum ſitus, partim cauſticis partim, ſcalpello remotus in ſequentibus obſeruationibus traduntur.

p. 51. Prolapſus ani inueteratus et moleſtus non niſi machina, faſciae herniam retinenti ſimili, contineri potuit. Haec, vt ex icone patet, laminam ſiſtit ſpinae dorſi in lumbis applicatam et loro circa abdomen ducto firmatam, ab hac deorſum inter nates tenuis arcus producitur, cui in apice puluillus comprimens figurae oualis additur, qui inteſtinum rectum ita retinet, vt aegri non tantum libere deambulare, ſed et equitare poſſint.

p. 54. Calculus inſignis magnitudinis in icone addita adumbratur quindecim vnciarum pondere, ſectione ad methodum *Marianam* inſtituta, ampliſſimo tamen vulnere inflicto, extractus, et licet tantum vulnus plenariam ſanationem non reciperet, aeger tamen per aliquot annos ſine inſigni quodam incommodo

relicto

relicto vixit. Adiiciuntur et aliae obſeruationes lithotomiam illuſtrantes, inprimis extractio ſedecim calculorum inter ſe cohaerentium ex veſica et vrethra poſt felicem ſectionem facta; calculoſum concrementum in icone addita ſiſtitur.

De herniis variis ſcrotalibus, inprimis nonnullis, p. 62. quae gangraenam et ſphacelum inteſtinorum induxerant, agitur, hae tamen magis naturae viribus ſub apta remediorum topicorum applicatione, quam ſingulari chirurgica operatione ſanatae fuerunt.

In hydroceles conſideratione puncturam et ita p. 76. factam aquarum ſubductionem palliatiuum, ſed diu durans, auxilium exhibuiſſe, in infantibus etiam fomenta diſcutientia et adſtringentia veram opem tuliſſe oſtendit Noſter, et caſum proponit, vbi poſt quinquies in biennio repetitam punctionem, per contuſionem accidentalem, has partes afficientem, aquae collectae et cum his ſanguis eductus fuit. Cum itaque de hydrocele nunc radicitus exſtirpanda cogitandum eſſet, in vno latere corruptus teſticulus tantum remouendus erat, arteria tamen ſpermatica ſeparatim ligata, cum haec, craſſiori facta chorda vaſorum ſpermaticorum, ſimultanea ligatura non excipi poſſet. In altero latere huius aegri tunica vaginalis calloſa reddita remoueri poterat, teſticulo ipſo ſano relicto.

Serum in celluloſo contextu inter muſculum p. 87. femoris rectum et duos vaſtos extrauaſatum inciſione vtrinque facta eductum fuit, cura per ſetaceum adhibitum abſoluta. Hi tumores ab hydrope articuli, aquis nimirum intra ligamentum capſulare effuſis, quae grauius malum eſt, attente diſcerni debent. Scirrhoſus tumor inter modo nominatos muſculos poſitus, operatione quidem remouebatur et pondus tredecim vnciarum aequabat, cancroſa autem indole obſeruata conſolidatio vulneris, non

 ſucceſſit

ſucceſſit, ſed aeger periit. Subiunguntur his ſimiles quidam caſus tumorum ſcalpello remotorum.

p. 97. In fractura complicata, in qua diaphyſis tibiae nouem pollicum longitudine denudata et libera erat, haec ipſa pars, quae et in icone adumbratur, ſerra remouebatur, crure in ciſta bene diſpoſito, ſuppuratio ex voto ſuccedebat, et paulo poſt in medio os, ad vtrumque extremum ſe extendens, generabatur. Hoc nouum os carni granulato primum ſimile erat, et ſucceſſiue durius reddebatur, ita vt aeger tandem ex voto reſtitueretur. Hac data occaſione Noſter monet in ſimilibus caſibus et fragmenta oſſis, et ſanguinem coagulatum et alia peregrina corpora, antequam inflammatio accedat, eximenda eſſe, quae quidem cura ſanationem multum iuuat; addit praeterea varia remedia externe applicanda, longo vſu probata, aliasque cautelas in fracturis complicatis obſeruandas.

p. 103. Subiunguntur et alia de luxationibus complicatis et fracturis ſimplicibus monita, inprimis de ciſtis ſeu apparatu, quo oſſa fracta in ſitu quieto et interdum in vera extenſione conſeruantur; ſed cum ex his plurima non niſi per icones varias additas illuſtrari poſſint, nos incompletam deſcriptionem lubenter negligimus.

p. 123. Sequuntur nunc monita ad amputationem pertinentia, quorum nonnulla indicabimus. De eo potiſſimum ſollicitus eſſe debet chirurgus, vt carnem, ad obtegendum os reſectum ſufficientem, obtineat; de limbo carnis ab vna parte relicto nihil monet, ſed loco lintei carnes retrahentis, retractorem muſculorum ex corio ſat valido format, et icone addita adumbrat: hic ſimili ferme modo vt ſplenium in quatuor partes inciſus eſt, quo inter carnes reſciſſas dimitti easque valide ſurſum premere poſſit, quo facto carnis portio ad vnius alteriusque pollicis longitudinem accedens ſeruatur, qua

qua poſtea vulnus apte contegitur. Hic retractor coriaceus etiam carnes ab iniuriis ſerrae magis defendit, quam linteum, cum haec proxime ad illas ducenda ſit, nimia enim perioſtii denudatio nocet et exfoliationem oſſis neceſſariam quidem, ſed tamen ſumme difficilem reddit. Si nunc carne relaxata extremum oſſis cum cura obtegi poteſt, ſtriae emplaſtri glutinantis cruciatim appoſitae ad has partes et reliquum apparatum continendum ſufficientes ſunt, inprimis ſi faſcia apte circumuoluitur; huius enim nimia ſtrictura vere nociua eſt, et circulationem ſanguinis impediendo, dolorem, gangraenam et ipſam nonnunquam haemorrhagiam inducit. In arteria deliganda non magna carnis vicinae portio ſimul comprehendenda eſt, praeter dolores enim, quos mouet, ſinubus formandis in curatione moleſtis occaſionem praebet.

In fractura cruris complicata partes tibiae p. 131. atque fibulae ad quinque pollicum longitudinem in vulnere liberae haerebant, carnibus circumfuſis maxime contuſis et dilaceratis. Amputatio igitur ſub genu ſuſcipiebatur, ſed caro mollis circumfuſa et fibula extremitate ſua ſuperiore ab articulatione cum tibia ferme ſoluta arteriis ligandis maxima opponebat incommoda; his vtcunque ſuperatis, ſeptimo demum die haemorrhagia enormis, quae ligatura non coerceri poterat, oriebatur, quam ob rem agaricus quernus cum aliquo fructu applicabatur, haemorrhagia tamen poſt duos dies denuo recrudeſcebat, toto itaque arteriae tractu compreſſo, et apertura eiusdem et vitriolico trombo, et digito miniſtri continuo adſtantis, coercita, de machina cogitabatur, quae parum ab ea differt, quam Cl. PETIT propoſuit *, et hic icone melius, quam verbis deſcribitur.

 Opinio

* vid. Memoires de l'Acad. Royal. des Sc. à Paris, An. 1731. Edit. Amſtel. p. 122. 146.

p. 139. Opinio Cl. PETIT de coagulo ſanguinis in arteria haerente et haemorrhagiam impediente Cl. Auctori non arridet: licet enim experientia eandem confirmare videatur, tamen coagulum, poſt obitum tandem formatum fuiſſe perhibetur, ſanguinem in viuis fluidum manere, et per vaſa lateralia deriuari vt certum aſſumitur, quo facto arteria praeſciſſa collapſa vel potius coalita ita arctatur, vt ſanguinem dimittere non poſſit. Noſtro forte iudicio, trombus ſanguinis arterioſi condenſati, quem calor vitalis ſolus in fluiditate ſeruare nequit, fortiter contracta arteria continetur et denſatur, ideoque vtrumque auxilium requiritur. Agarico querno in haemorrhagia ſiſtenda vires quidem non denegat Noſter, illas tamen non ſemper certas eſſe pronunciat et machinam ſupra laudatam aptius comprimentem commendat.

p. 142. In quadragenario viro febris oriebatur et ſymptomatibus vehementioribus ſtipata progrediebatur, poſt quatuordecim dies crus intumeſcebat et inflammabatur; praemonendum vero eſt, hunc virum ante aliquot annos fracturam tibiae paſſum fuiſſe. Inciſione itaque facta non tantum materia ſanioſa effluebat, ſed tota tibia carie affecta erat. In triſti hoc caſu non niſi amputatio aliquod auxilium praeſtare poterat, quae licet ob debilitatem aegri difficile perficeretur, ſuſcepta tamen ex voto ſucceſſit. Tibia poſt ſeparationem diſquiſita nulla medulla, ſed purulenta et ſanioſa materie ſcatebat, et vti in icone oſtenditur, tota carie adeſa erat, callus tamen poſt fracturam formatus magis, quam reliquae tibiae partes, eroſioni reſtitiſſe videtur.

p. 144. Cariem in tibia cauterio actuali coerceri, et exſiccationem et ſeparationem partis corruptae ita promoueri Noſter, ad mentem CELSI, in caſu, vbi cauſtica potentialia parum praeſtiterunt, oſtendit;

dit; fungoſa autem caro prius exſcindenda eſt, quo effectus cauterii in os euidentior euadat.

In imbecillitate crurum et diſtorſione ex articulorum laxitate faſciae conſuetae infirmitatem vix iuuant, de remedio itaque cogitandum erat, quod partes in vnum vel alterum latus nutantes ſuſtineret, nec circuli ſanguinis libertatem tolleret. Exemplo itaque in icone expreſſo oſtendit Noſter, quomodo infirmitas genu et tarſi, bacillis ferreis vtrinque depreſſis, vel ab vno, vel ab vtroque latere cruris poſitis, ad calceos fixis, vtrinque erectis circularibus laminis et loris ſupra et infra ſuram firmatis, et flexione per aliquem ginglymum ad genu conceſſa, ſupra hoc iterum circulari lamina et loro firmatis, leuari et ſucceſſu temporis tolli poſſit. Exigit vero haec machina ad varios vſus adaptanda conſilium eruditi et rerum anatomicarum gnari chirurgi, exercitata manu artificis adiutum. p. 148.

Mittimus nunc varias de valida aſtragali dimotione, de vſu corticis peruuiani in gangraena etiam ſenum, de tumore ſcirrhoſo ad calcem nato et exſtirpato cet. obſeruationes, et de tumore a carpo ad dorſum manus extenſo feliciter exſtirpato exponimus. Ganglion erat poſt validam tenſionem natum, quod per aliquot annos ita increuerat, vt motum manus impediret. Inciſo tumore materia albumen ouorum referens effluebat, maſſulis pinguibus allii decorticatis radicibus ſimilibus ſimul extractis, tumor enim ſteatomatis quoque indolem induxerat. Cyſtide et ſcalpello et digeſtiuis remota, conſolidatio quidem vulneris ex voto ſuccedebat, motus vero difficultas ex muſculorum inertia et ſynouiae ſpiſſitudine oriunda diu remanebat. Ad hunc facilitandum manum cum parte cubiti in capſam ex ligno excauato paratam recondebat, quae, vti ex icone apparet, ad carpum ginglymo inſtructa erat, per quem motus digitorum et carpi moderatus p. 155. p. 167.

 permit-

permittebatur et iuuabatur. Fotus ex decocto pedum ouinorum bis de die applicatus rigiditatem primo tollebat, poſtea aqua frigida applicata robur amiſſum iterum inſtaurabatur.

p. 171. Meſſor falce flexoris tendines ſupra carpum ſibi reſecuerat, vulnere ideo partim per debitam partium reſilientium attractionem, partim per ſuturas rite diſpoſito intra menſis ſpatium ſanato, motus quidem in brachio, manu et digitis reſtituebatur, ſed ſenſatio ſub vulnere nunquam rediit. Hac data occaſione in genere oſtenditur, ſuturas vulnerum, licet interdum neceſſariae ſint, a chirurgis modernis tamen quantum fieri poteſt, euitari; et licet ex ſua quidem indole incommoda non inducant, in partibus tamen tendinoſis et membranoſis vix applicandae ſunt. Tendinis Achyllis acuto inſtrumento diſciſſi coaleſcentiam bis praeſtitit Noſter, in vno caſu ſutura vſus eſt, in altero faſcia a PETITO inuenta, cuius correctionem Cl. Viri MONROVS et LOUIS dederunt *, in vtroque caſu ex voto ſucceſſit ſanatio, melius tamen in eo, in quo ſutura non adhibita fuit.

p. 178. Fragilitatis, flexilitatis et diſſolutionis oſſium exemplum in vltima obſeruatione adducitur. Foemina a ſanis parentibus nata et ipſa ſemper ſana viſa, menſtruis ex voto ſuccedentibus, trigeſimo aetatis anno dolore corporis vniuerſi, cum febre coniuncto, corripiebatur, illo tandem potiſſimum in extremitatibus corporis inferioribus percepto. Poſt nouem menſes fractura cruris ſpontanea eueniebat, callus vero, licet chirurgus attentus curam dirigeret, non formabatur, ſed flexilitas crurum cum ſignis veri ſcorbuti ſuccedebat. Ab eo tempore per quadriennium vsque ad mortem aegrae flexibilitas et diſſolutio oſſium de die in diem increſcebat; difficilis et anxia reſpiratio, gibberoſitas ſucceſſiue nata et aucta,

* vid. huius Voluminis, p. 148.

aucta, dolor ad vertebras lumborum praecipua erant ſymptomata, et cum longitudo corporis ante morbum quinque pedes et ſemiſſem aequaret, ea per morbum ad quatuor pedes reducta fuerat, corpore et poſt mortem, quantum fieri poterat, extenſo, duorum pedum et duorum pollicum tamen decrementum oſtendente. Medicamenta varia inprimis chalybeata exhibita ſine fructu fuerunt. In ſectione cadaueris cor et pulmones flaccidi, hepar inſolitae magnitudinis, lien paruus reperiebantur, nulla vero pulmonum ad pleuram adhaeſio, nulla viſceris cuiusdam laeſio. Omnia oſſa dentibus exceptis maiori vel minori mollitie conſpicua erant. Caput, thorax, ſpina dorſi et peluis eundem ferme gradum mollitiei habebant, extremitatum autem inferiorum oſſa molliora deprehendebantur, in his parenchymatica quaſi ſubſtantia facta erat, quae cultro vix magis, quam muſculoſa caro reſiſtebat; medulla copioſa cylindros oſſeos replebat, ſed ſine foetore aut aliis corruptionis ſignis. Diſſolutio in oſſibus cylindricis ab interna parte inceperat et inde ad externas laminas proceſſerat. Perioſtium craſſius apparebat, cartilagines ferme tenuiores, diſſolutio tamen non niſi in oſſea ſubſtantia reperiebatur.

IX.

Nuoua Raccolta d'opuſcoli ſcientifici e filologici in Venezia appreſſo Simone Occhi, 12. Tom. I. 1755. 22 pl. 2 tab. aen. Tom. II. 1756. 1 alph. 2 tab. aen. Tom. III. 1757. 22 pl. 2 tab. aen. Tom. IV. 1758. 22 pl.

h. e.

Noua collectio opuſculorum ſcientias et philologiam illuſtrantium. Tom. I. II. III. IV.

Cum vltimos tomos collectionis praecedentis indicaremus * iam primus et ſecundus tomus continuationis, de qua nunc exponimus, in lucem prodierant, cum vero non niſi pauca pro inſtituti noſtri ratione ex his excerpere potuiſſemus, tertium et quartum tomum, quos poſtea accepimus, prioribus iungere decreuimus. Noua vero haec opuſculorum ſcientias et philologiam illuſtrantium collectio a priori vix differt, doctiſſimus enim ANGELVS CALOGIERA, Monachus Camaldulenſis, tantum verſus, orationes, translationes et omne id, quod non preſſius ad hanc ſyllogem pertinet, nunc excludere decreuit, orationes tamen funebres, quae memoriam eruditorum conſeruant, aliquem adhuc locum ſibi vindicant.

p. 129. In tomo I. opuſculum tertium ſiſtit diſſertationem in celebri quadam eruditorum ſocietate praelecta, qua CLEMENTIS BARONII *opuſculum, de impotentia diaboli in transportandis per aerem corporibus humanis ex vno loco in alterum, ſub examen reuocatur.* Adduxerat nimirum BARONIVS argumenta quinque, quibus huiusmodi vectionem per aëra fieri

* vid. Comment. noſtr. Vol. VII. P. I. p. 110.

fieri debere, attamen non poſſe, docuerat, ſcilicet 1) per immediatam motus in corpore communicationem, 2) excitato turbine, quo corpus auſertur, 3) aere tantopere condenſato, vt corpore humano mouendo grauior fiat, 4) ſublata corporis grauitate reſpectiua, 5) docendo hominum volandi artem. Auctor itaque huius diſſertationis leges motus a corporum natura petitas non quidem negat, ſed et ſpirituum vires in motibus corporum dirigendis euincere annititur.

Opuſculum ſeptimum *hiſtoriam foſſilium Piſaurienſium aliorumque in locis vicinis repertorum tradit* Auctore IOHANNE BAPTISTA PASSERI. Eſt haec diſſertatio tertia * quae de generatione marmorum et eorum maculis agit. Noſter vero non tantum marmora ſtricte ſic dicta, quae ex terra calcarea induruerunt et polituram accipiunt, ſed lapides omnes ſimplici vel variegato colore conſpicuos, qui ad aedificia exſtruenda adhibentur, intelligit. Poſtquam itaque ille non tantum in Piſaurienſi tractu natos, ſed in ruinis antiquorum aedificiorum repertos lapides diſquiſiuerat, generationem eorum, cum ad vnum principium reducere non poſſet, in ſex diuerſis modis conſiderat ſcilicet depoſitione, impaſtatione, agglutinatione, cryſtalliſatione, acceſſione et exſudatione. Praemittit vero generalem conſiderationem mutationum ſuperficiei telluris in quibusdam orbis partibus. Terram nimirum variam limoſam, arenoſam, vnctuoſam vel tenacem, variis etiam ſalinis et mineralibus aliis particulis remixtam, motu maris vel aeſtuantis, vel pacatius ſtagnantis, et aliarum aquarum agitatarum, vel blande decurrentium, partim vehementer moueri et remiſceri, partim ſegregari oſtendit, vt vel craſſis-

p. 289.
p. 308.

* vid. primam in Comment. noſtr. Vol. III. P. IV. p. 654 ſecundam, Vol. VII. Part. I. p. 112.

craſſiſſimae, vel teneriores particulae ita in varia ſtrata et maſſas congerantur et ſubſiſtant. Obiectiones poſtea varias, quae mutationes littoris marini potiſſimum concernunt, mouere tentat.

p. 316. Primus modus depoſitionis optime cognoſcitur, vbi ſtrata, vt in exemplis docetur, alba et puriſſima coeruleum vel ſubuiride ſuperimpoſitum habent, quo in caſu non ſemper vnda, quae inferius ſtratum adduxit, recedendo alterum ſecum adduxit, ſed ſaepius priori iam quieſcenti, aliud nouum poſt magnum temporis interuallum per diuerſam aquarum directionem inductum fuit.

p. 321. Secundus modus impaſtationem ſiſtit, vbi non tantum terra molliſſima vndis agitata fuit, ſed ſimul alias varias partes lapidum et terrae maſſas conſiſtentia et colore diuerſas abreptas ſecum duxit, pro parte diſſoluit et inter ſe miſcuit et tandem in vnum ſtratum ſubſedit. Haec quidem mutatio non in paruis tantum, ſed etiam in magnis terrae partibus et tractibus euenit, et ita etiam in vno ſaepe tractu varias ſpecies marmoris, ob colorem et conſiſtentiam diuerſas, exhibuit. Color nimirum diuerſus exſolutionibus mineralium, ferri potiſſimum oritur; has enim pori terrae nondum conſiſtentis imbibunt, et ita maſſas et vniformes et difformes diuerſo gradu tingunt. Haec ſtrata, quae primo diſtincta ſunt, deſtructione inducta iterum ſeparari et in nouas formas componi poſſunt, ita vt inde non tantum varii gradus vnius coloris, ſed etiam differentia plurium in vna maſſa cognoſcatur.

p. 332. Strata lapidum nunc diſquirit, quae, per impaſtationem formata, alias ſilicinas partes diſtinctas ſibi agglutinant, et in ſinu ſuo fouent, indeque colorum mutationes, quae vicinis partibus varia ratione communicatae fuerunt, explicat, et veros lapides agglutinatione factos ex hac ipſa idea declarat. Partes enim lapidis aſſumuntur, quae adeo durae ſunt,

ſunt, vt in coniunctione non confundantur, ſed ſuccus glutinans lapidificus illas tantum, quoad ſuperficiem varie adunat et in maſſam firmam cogit. Hoc gluten ſuperficiale temporis tractu deſtruitur; in antiquis itaque marmoribus, quorum ſuperficies adeſa quaſi deprehenditur, ſplendor politurae non reſtitui poteſt niſi et ferro, et arena lamina quaedam auferatur et denſa magis non detrita ſuperficies detegatur. Hos quidem lapides ex exemplis allatis in quasdam ſpecies diſtinguit et ad quartum modum marmorum per cryſtalliſationem formatorum explicandum progreditur.

Granitem et porphyritem hic conſiderat, quos lapides arenarios vocat, nec materia viſcida et molli, ſed ſale quodam lapidifico concretos iudicat, et vti lapides arenarii vulgares ſale, vt dicit, magis diluto combinantur; ſic in his ſiccum magis ſal aſſumit. Attentionem ſuam conuertit in albas ſplendentes maculas, quae iis interſperſae ſunt. Oſtendit porro ſummam horum lapidum duritiem, non primigeniam, ſed temporis tractu auctam fuiſſe, ita vt cum nunc difficile ferro cedant, in principio magis obedientes fuerint. Subiungit nunc varia de marmoribus aegyptiacis, quae huius indolis ſunt et ad quintum modum progreditur. p. 343.

Duplici, vt dicit Noſter, labore marmora fiunt, quae venas habent, cum maſſa integra non confuſas ſed diſtincte excurrentes, acceſſoria itaque marmora *ſopravenuti* appellantur, ſi maſſa aliqua ſubſedit et poſt exſiccationem interſtitia reliquit, quae alia acceſſoria materia colore maxime diuerſa repleta fuerunt. p. 352.

Sextus modus tandem lapides adducit, qui exſudatione naſcuntur, quorſum alabaſtri ſpecies referuntur. In cauernis nimirum ſubterraneis non tantum humidis, ſed et ſiccioribus exſudat materia quaedam fluida lapidifica in columnas concreſcens, p. 356.

quae

quae non incruſtatione, ſed ex vera organica ſtructura vegetationis lege diſpoſita naſcuntur. Hoc quidem aſſertum variis obſeruatis comprobare annititur Noſter et licet in iis tantum lapidibus demonſtrari poſſit, qui ex puriſſimo ſucco nati candidisſimi ſunt, et regularem fabricam oſtendunt, aliae tamen irregulares maſſae, quae ex rudi petra ſurgunt et in excreſcentias lapideas impuras extenduntur ex vegetationis lege quoque declarari poſſunt. Tandem achatis orientalis geneſin difficulter explicari poſſe oſtenditur, cum minime ex ſtalagmiae geneſi, per aquas decurrentes facta, deduci queat.

p. 368. Huic tractationi annexa eſt epiſtola comitis HIERONYMI GABBRIELLI in qua obſeruationes curioſae in diſquiſitione cauernae montis *Cucci*, qui altisſimus inter Appenninos eſt, collectae adducuntur, et ſimul quadraginta ſex marmorum ſpecies indicantur, quae in territorio ſtatus eccleſiaſtici inueniuntur.

p. 1. In Tomo II. Opuſculum primum IANI PLANCI epiſtolam *de vrina cum ſedimento coeruleo* exhibet, cuius ſummam alibi expoſuimus *.

p. 11. Secundum opuſculum *deſcriptionem variarum rerum naturalium in Sicilia repertarum* ſiſtit, Auctore DOMINICO SCHIAVO *Panormitano*. In epiſtola, ad Cl. IOHANNEM FRANCISCVM SEGVIERIVM data, de iis exponit, quae in itinere per loca vicina patriae vrbis potisſimum ſuſcepto detexit. Muri hortorum circa Panormum ex lapidibus conſtruuntur, qui varia corpora marina in ſe continent, ſed in quibusdam tantum oſtracitae, in aliis pectinitae, in aliis plantae marinae deprehenduntur, quod, vt alii iam oſtenderunt, non confuſam corporum horum diſpoſitionem, ſed ſtrata varia

* vid. Comment. noſtr. Vol. VI. P. II. p. 261.

varia diuerſis temporibus inducta, oſtendere videtur. Occaſione gloſſopetrarum in vicinia oppidi p. 25.
Corleone dicti repertarum, ad varias de geneſi horum lapillorum ſententias examinandas et ad tractationem de gloſſopetris Melitenſibus progreditur. In terra *Giancauallo* dicto multas achatae et iaſpi- p. 41.
dis ſpecies inuenit, quae vt olim, ſic et nunc in varias Italiae partes diuehuntur. Vidit Noſter in monaſterio quodam varias ſtalactitae ſpecies, quae a niue liquefacta et per lapides fornicis tranſcolata ibique lapidificam materiam ſuſcipiente ortae fuerant, nonnullae ex his in pauimento natae colores varios lapidum tinctorum iaſpidis ſcilicet aſſumſerant. Lapides hi in vicino monte effoſſi ita differunt, vt ſuperficiei proximi quodammodo impuri, profundius autem excauati ex ſubtiliſata magis terra coaliti et elegantius tincti inueniantur. Prope p. 50.
villam St. Stephani in monte quodam et riuulo inde deducto ſilices rotundae figurae reperiuntur, quae in cauo ſuo cryſtalliſationes fouent, et ideo cum melonibus ſic dictis petrefactis montis *Carmel* maxime conueniunt. In vicino oppidulo *Chiuſa* dicto ruinae domiciliorum et tractus terrae cultae e ſede ſua dimotae deſcribuntur, hae per aquas ſubterraneas propullulantes et ex montibus deſcendentes *lavanche* efficiuntur, quae ſenſim paulatimque fundamenta et ſtrata terrae mouent, e loco in locum transferunt, quo facto domicilia ſaepe corruunt.

Vidit Noſter rudera antiquiſſimae vrbis *Iato*, a p. 59.
qua mons vicinus nomen accepit, in quo cauerna ſubterranea ampliſſima ſtalactitae concretionibus interne ornata, deprehenditur. Proxime ad archie- p. 65.
piſcopalem vrbem, quae mons regius, *Morreale*, dicitur, montem altisſimum, qui verſus orientem ſurgit et *Cuccio* appellatur, nec non vicinos diſquiſiuit, et in his fontes varios aquae purisſimae inuenit, ex quorum ortu ſententiam Cl. VALISNIERI de fonti-

de fontibus et fluminibus ex niue diſſoluta et aquis in cauernis montium collectis, oriundis, comprobare annititur, oſtendit enim aquas ex his fontibus hyberno et vernali tempore tanta copia non effluere, quam aeſtiuo tempore, vbi nimirum niues copioſius ſoluuntur. Ita et Noſter in aliis quoque locis menſe ſeptembri riuulos aqua ferme deſtitutos inuenit, cùm per plures menſes pluuiae nullae acceſſerint. In riuulis ex his montibus productis, ramenta auri inuenta fuiſſe variis teſtimoniis com-
p. 81. probatur. In fine nonnulla de terra medicata de *Baiola*, quae antacida eſt, et de papyrii planta proponuntur, quae vero, cum maximam partem ex aliis ſcriptoribus deprompta ſint, a nobis fuſius repetenda non erunt.

p. 293. Opuſculum octauum diſſertationem *de ſucceſſiua productione montium* exhibet Auctore THOMA GABRINI. Montes ſucceſſiue produci ex igne ſubterraneo, terrae motus et inde eleuationes terrae efficiente, primario quidem, ſed et ex vento arenae aceruos coagmentante demonſtrat, et hac occaſione alias mutationes partiales telluris et corpora marina in montes introducta ſimul conſiderat. Cl. LAZARVM MORO non citat, qui tamen de hoc argumento fuſius ſcripſit.

Opuſculum duodecimum ſiſtit *relationem* D.
p. 435. BERNHARDINI ZENDRINI *de ratione dirigendi curſus aquarum in littore Rauennenſi nuper propoſitam.* Ad architecturam pertinet haec tractatio, fundamenta tamen petit ex triplici aquarum motu in mediterraneo et ſpeciatim adriatico mari, fluxu ſcilicet et refluxu, nec non de appulſu leniſſimo maris ad littora a priori diſtincto, qui quidem ratione variae directionis et effectus, quo ſabulum ad littora appellitur, diſtincte declarantur.

In Tomo III proponitur *Commentarius de origine et conſtitutione praecipuarum academiarum vrbis Senenſis.* Deſcribuntur hic academiae, quae praecipue culturam linguarum et poeſeos ſuſceperunt, *intronati* et *rozzi*, nos tertiam academiam phyſico-criticorum, quae ad noſtrum inſtitutum ſpectat, paucis tangimus. Initium ſuum habuit haec academia ſub finem ſuperioris ſeculi, quo tempore iam Regia Anglica et Germanica Imperialis Naturae Curioſorum inclareſcebant; Cl. enim Medicinae Theoreticae et Botanices Profeſſor Senenſis P. M. GABRIELLI menſe martio anno nonageſimi primi varios eruditos viros conuocabat, quorum erat Medicinae et Philoſophiae experimentalis potiſſimum culturam ſuſcipere, quamobrem et priuatos et publicos conuentus celebrabant. Protectorem habuerunt COSMVM III, Magnum Hetruriae Ducem, qui eorum ſtudia annuis reditibus adiuuabat. Inſtrumentorum mathematico-phyſicorum apparatum, antliam pneumaticam ſcilicet, et alia, quae ad aeris naturam et viciſſitudines indagandas apta ſunt conſtruebant, iisque ad experimenta perficienda vtebantur. Non tantum eruditi Senenſes, ſed et alii viri celeberrimi totius Italiae huic ſocietati adſcribebantur, ex quibus BAGLIVIVS, DEL PAPA, LANZONVS, VALISNIERI, LANCISIVS a nobis praecipue nominandi ſunt. Et licet anno huius ſeculi quinto obitus fundatoris eueniret, ad hunc vsque diem tamen continuati fuerunt labores Academicorum, et praeter ea, quae in Diario eruditorum Parmenſi et in ſic dicta *Galleria de Minerua* ſparſim edita fuerunt ſpecimina, ſelectum obſeruationum ab illuſtri hac Academia collectorum exſpectamus. p. 93.

Secundum opuſculum exhibet epiſtolam IANI PLANCI (*Ioh. Bianchi*) Medici Ariminenſis prima- p. 105.

rii ad amicum quendam Ceſanenſem *ſuper ſupplemento ſic dicto ad hiſtoriam medicam apoſtematis lobi dextri cerebelli a Cl. D.* CAROLO SERRA *publicato* Cl. SERRA, qui aegrum ipſe viderat et cum quo Noſter deſcriptionem ſectionis cadaueris * communicauerat, poſt quinque demum annos edebat ſupplementum, in quo varia ad huius morbi hiſtoriam pertinentia adduntur, cum vero res prolatae Cl. PLANCO diſplicuerint, indignationem ſuam in hac ipſa epiſtola, quae anno 1755 Arimini ſeparatim edita fuit, prodidit, nihil tamen, quod rem medicam preſſius ſpectat, in ea deprehendimus.

In tertio opuſculo ſiſtitur HIERONYMI DE BONO diſſertatio *de medica faculcate in* CICERONE *omnino comperta.* Enumeratis breuiter artibus iis, quarum cognitio in CICERONE fuit, Cl. Auctor oſtendere inſtituit, iis artem etiam medicam accenſendam eſſe, atque hanc opinionem, quam non animi cauſſa, ſed ſerio propoſuit, ita ſe optime defenſurum putauit, ſi CICERONEM doceret et theoriae et praxeos exquiſita cognitione inſtructum
p. 138. fuiſſe. Qui quidem etſi nihil de re medica ſcripſit, nec ipſe artem fecit: tamen adeo multa Cl. Auctor exiſtimauit in eius libris occurrere loca, quibus medicina illuſtretur, vt iis colligendis iuſtum volumen poſſet componi. Recenſuit igitur loca, quae ipſi viſa ſunt ſententiam propoſitam confirmare.
p. 139. Ac praeter illas quidem diſciplinas, in quibus eſt ad medicinam praeperatio, vt aſtronomiam et aſtrologiam, ipſas arti proprias diſciplinas tenuit, quod
p. 144. praeſertim nobili illo loco, qui eſt de fabrica corporis humani, atque alio, quo vſus partium corporis traditur, demonſtrauit. Ceterum quod de ſanitate

* Summam huius et obſeruationum anatomicarum ſimul expoſitarum vid. in Comment. noſtr. Vol. III. Part. IV. p. 643.

ſanitate tuenda quaedam non inutiliter ſcripſit, argumenta, ſimilitudines, metaphoras et formulas loquendi duxit ab arte medica, medicos laudauit, AESCVLAPIO fecit, de animi denique commotionibus, medicina, et cum corpore coniunctione intelligenter ſcripſit, ea omnia Cl. Auctori viſa ſunt ſignificare medicinae praeclaram in CICERONE p. 179. cognitionem. Similiter in praxi, cui chirurgiam accenſuit, eum verſatum fuiſſe, ſingulis locis proponendis oſtenſum eſt. Quorſum pertinent formulae verborum ex hac medicinae parte petitae, praecepta ſanitatis per temperantiam cibi et potus, aeris item ſalubritatem, atque conſuetudinis ſuauitatem conſeruandae, morborum e ſignis praedictiones, animique ex vultu cognoſcendi ratio. Quibus addidit plantarum quamdam cognitionem et nonnullarum beſtiarum, ſine quorum omnium cognitione non credibile eſſe putat, CICERONEM artis vocabula graeca facere potuiſſe latina, quod ab eo diligentiſſime factum eſt.

Quartum opuſculum *de exiſtentia, natura et indole tuberculorum vt cauſſa aſthmatis* agit Auctore p. 235 D. CASPARE DEODATO ZAMPONI de Cartocelo. Varias doctrinas medico practicas ſuis diſcipulis tradens ſuper tuberculis pulmonum vt aſthmatis cauſſa dubia quaedam mota fuerant, quae peculiari ſermone enodare ſuſcipit. Tubercula vulgo dicuntur tumores varii inprimis glandularum, quae ab impedito humorum progreſſu diſtenduntur et lenta obſtructione creſcunt; ſpeciatim autem, et inter Italos medicos praecipue, glandulae pulmonum mole auctae tubercula *tubercoli* dicuntur, cum nodi et ſcirrhi pulmonum frequentius appellentur. De iis vero glandulis, quae in ſuperficie membranae, aſperam arteriam et continuata bronchia inueſtientis, haerent, Noſter potiſſimum loquitur: hae in ſtatu

 ſano

ſano mucum tenuiſſimum vias aereas inungentem exſudant, in ſtatu autem morboſo mole augentur et varia obſtructione inducta duriores fiunt. Diuerſo autem modo hanc mutationem fieri Noſter aſſerit, vel enim duriores et immobiles ſcirrhi, nulla inflammatione concitandi generantur, vel obſtructiones lentae fiunt, quae ſuperueniente inflammatione et in veros abſceſſus et in vlcera inde nata mutantur. In priori caſu aſthma efficitur chronicum malum difficili reſpiratione et tuſſi ſicca moleſtum, in altero caſu vera phthiſis inducitur, materia purulenta copioſius reiicitur, et vlcera nata porro proſerpunt. In aſthmate ſicco nulla febris obſeruatur, in phthiſi vera febris lenta ingruit, hominemque in tabidum ſtatum coniicit. Tuberculorum itaque praeſentiam in aſthmate, quam Noſter potisſimum in hac tractione vrgere videtur, non tantum teſtimoniis praeſtantisſimorum medicorum confirmat, ſed ad ſectiones quoque cadauerum prouocat. Quae de curatione adducuntur pauca ſunt, et aſthma in genere potisſimum reſpiciunt. Venaeſectionem in paroxyſmo grauiori admittit, crebrius tamen repetitam hydropem inducere vere affirmat, reliqua medicamenta ſunt lenientia et paregorica, quae tusſim ſiccam, vel pesſimum ſymptoma leniunt.

p. 357. Sextum opuſculum epiſtolam de ſpecie quadam animalculi inſecti marini exhibet Auctore MARCO CORBARI. Hic enim rationem reddit Ill. Viro MARCO FVSCARINO Procuratori de St. Marco de itinere in inſulas Zazyrthum et Cephaloniam ſuſcepto, variusque res obiter tangit a nobis non
p. 371. adducendas. Patauium reuerſus collectas in itinere res naturales Cl. ANTONIO VALISNIERI, Filio, Prof. Hiſt. Nat. Patauino oſtendit, qui, cum, inter alia, inſecti marini ſpeciem, quam Graeci *Armeniſtari* appellant, inueniſſet, monuit, patrem iam in hanc

rem

rem inquiſiuiſſe et ex relictis ſchedis epiſtolas quasdam a Cl. Viris, ALEXANDRO PINI et CESTONI, datas monſtrauit, quas, licet accurata deſcriptio in iis non reperiatur, hic tamen inſertas legimus. Accuratam nunc deſcriptionem, icone addita illuſtratam addit Noſter.

Siſtit vero animalculum *Armeniſtari* dictum* p. 383 planum aliquod ellipticum ex duabus laminis ſemicartilagineae denſitatis, ſibi inuicem impoſitis conſtructum, tenerior alia membrana veli ad inſtar perpendiculariter erecta, haec laminae ſuperiori affixa eſt, et in eius extremis anguſta ſenſim latior et tandem in medio non nihil cuſpidata ſurgit. Centro ſuperficiei inferioris oſtium aliquod inſculptum eſt, quod in ſinum aliquem conicum coecum per medium veli vsque ad apicem producitur. In omni ambitu corporis inſecti fibrae ſeu cirrhi molles eminent, et pedum ad inſtar vndique extenduntur; in ipſo corpore radii a peripheria ad centrum excurrunt vt canales, quorum interſtitia ligamentis paruis triangularibus muniuntur, et his vbique interſperſus eſt contextus cellularis. In circulo humorum diſquirendo accurate quidem verſatus fuit Noſter, illum tamen in hoc molli animali non ſatis definire potuit. Mucus coerulei coloris totum corpus obtegit, in velo autem is tenuior et pallidior eſt, ex hoc ſapor acido ſalſus et odor non nihil aromaticus redditur, animal ipſum mucoſum et inſipidum; ſi acidum ipſi adſpergitur, color coeruleus in rubrum vertitur et acris ſapor

X 3 non

* Eſt *Velum marinum* IMPERATI Hiſt. Nat Lib. XXVIII. Edit. Colon. p. 898. 912. *Vrtica marina ſoluta rarior* velella *dicta.* FAB. COLVMNA de purpura in Apend. de aquat. et terreſt. p. 20 et 22. *Meduſa oualis concentrica ſtriata margine ciliata, ſupra velo membranaceo.* LINNAEI Syſt. Nat. Edit. X. p. 660. Sp. 11.

non nihil temperatur, habet enim vrticarum marinarum indolem et viuum animal ore aſſumtum irritantem quendam et pungentem ſenſum exhibet, qui in mortuo tandem perit. Hoc animalculum incolis inſularum, ad quas appellitur, acceptum dat alimentum, varii igitur modi praeparationis cum acido, oleo etc. proponuntur. COLVMNA motum huius animalis deſcripſit, Noſter autem eius aſſerta ſuis obſeruationibus non confir-
p. 403. mare potuit. Quando venti, inprimis euronotus, vel vehementius, vel per aliquot dies ſaeuiunt, tunc dicta animalcula et ſimul cochleae quaedam, quarum iconem, quoque ſub triplici facie addidit Cl. Auctor, ad littora et ſcopulos pelluntur et a piſcatoribus copioſe colliguntur, cochleae illae dicuntur *Armeniſtari-mana* ſiue matres horum animalculorum, haec enim ex cochleis egredi perhibent piſcatores. Sed haec ipſa res a Cl. Auctore non accuratius diſquiri potuit, igitur nec his nec aliis obſeruationibus in fine huius tractationis annexis, fuſius recenſendis immorabimur.

In Tomo IV nihil continetur, quod ad phyſico medicas doctrinas pertinet, et ideo a nobis indicari deberet.

X.

Diſſertatio medica inauguralis de fonte medicato Caſtenacenſi, *vom Keſtenholtzer-Bad* Auctore IOH. MICHAEL KÜRSCHNER, Merchenrietho-Franco, Argentorati, 1760 typis Simon. Kürsneri, 4. pl. 3

Etſi eiusmodi diſſertatiunculae, niſi ſelectum pertractunt argumentum, raro in Noſtris Commentariis obtinent locum: tamen, quum haec fontem

deſcribit

deſcribit medicatum, parum adhuc in noſtris oris cognitum, ad augendam talium fontium hiſtoriam huius diſſertationis mentionem facimus.

Primum caput de ſitu, regione et hiſtoria fontis agit. Oppidum, in cuius vicinia fons hic prorumpit, *Caſtenacum*, *Keſtenholtz*, a pluribus caſtanetis ibi reperiundis, dicitur, nouemque millia ab *Argentorato* abeſt. Vt puteus ab externis iniuriis defendatur, ipſi ſuperſtructa eſt domus porticibus ornata. In hiſce porticibus ſaepe e terra propullulantes et effloreſcentes paruae cryſtalli reperiuntur, quae ſalis ſublatentis indicia praebent. Salinam huius putei indolem iam dudum pecora, de paſcuis domum reuertentia, indicauerunt, dum a via ordinaria recedentia, aquam prope a fonte fluentem reſpuentia, hunc prae illo quaeſiuerint. p. 5.

Caput *ſecundum* naturam et principia conſtitutiua huius aquae explicat. Affirmat Cl. Auctor aquam in *hydrophylacio* adhuc contentam tangentibus calorem exhibere tepidum, quem tamen defectu thermometri determinare nequiuit. Suſpicamur vero hunc gradum caloris valde paruum eſſe, quia Cl Auctor ipſe ſe illi non aduerſari fatetur, qui hunc frigidum nominare mallet. Qui enim illa aqua tanquam balneo calido vti volunt, eam vt prius calefaciant opus habent, quam in vſum trahatur. Aqua hauſta limpidiſſima apparet, omnis odoris expers, guſtum autem ſalinum linguae impertit: eſt praeter ea grauior aqua deſtillata. Neque acidorum, neque alcalinorum ſalium miſcela mutatur, nec vlla excitatur efferueſcentia, quod acidi et alcalini in aqua abſentiam declarat. Attamen oleum tartari, quod vocant, per deliquium puluerem paucum album ex aqua deiicit: ex quo Cl. Auctor concedit praeſentiam quidem hoc indicare acidi, quod puluerem hunc album, quem terram eſſe in ſequentibus probat, ſolutum tenuit, ob maiorem p. 8.

vero affinitatem cum ſale alcali, hunc arripuit, illam vero, terram nempe, reliquit. Ideo tamen nullum *explicitum*, vt Cl. Auctor dicit, ineſſe aquis acidum, ſed ſaturatum tantum. Et quum ex reliquiis aquae didicit, ſalem communem et ſalem mirabilem GLAVBERI aquis contineri, per facta hunc in finem experimenta docet, potius ſalem communem admixtione olei tartari per deliquium deſtrui, quam ſalem mirabilem. Solutionem enim ſalis communis affuſo oleo tartari illico turbari et terram albam ad fundum deiicere: ſolutionem vero ſalis mirabilis minime alterari, immutatam potius manere, contendit. Exinde porro concludit puluerem deiectum eſſe terram, ſeu baſin ſalis communis. Sed hunc ſalem, et reliquae cum aquis inſtitutae experientiae, ſolutiones praeſertim mercurii et plumbi, in acido nitri factae indicarunt. Hoc peculiare tantum adnotat ſolutionem mercurii maiori quantitati aquae immiſſam puluerem coeruleſcentem ad fundum deiicere, quem effectum pro indicio principii inflammabilis praeſentis accipit, et petrolei ſuſpicionem, quo vero fundamento non comprehendimus, inde naſci credit. Decoctum gallarum aquae affuſum nullam coloris mutationem producit, ergo nullum
p. 16. ferrum aquis ineſſe perhibet. His experientiis adductis, progreditur Cl. Auctor ad coctionem et euaporationem aquarum, accepitque ex quatuor libris medicis materiae ſolidae gryſei coloris drachmas tres. Hanc materiam more chemicorum amplius inueſtigat, inuenitque, ſale educto, remanere terrae gryſeae triginta quinque grana: ſalem arte in cryſtallos redegit, duplicisque generis obtinuit cryſtallos, partim cubicas, partim parallelipipedas. Hae carbonibus iniectae facillime fluebant, et calcem relinquebant: illae fragorem, qualem ſal communis, edebant; quare poſteriores ſalis communis cryſtallos, priores ſalis mirabilis GLAVBERI

iudicat,

iudicat, hac tantum differentia, has duplo maiori copia illas ſuperare. Reiterauit hoc examen cum multo maiori quantitate aquae, et, quod naturam contentorum attinet, eadem obtinuit, proportionem tamen paulo diuerſam. Lixiuium poſt cryſtallorum confectionem reſiduum in poſteriore examine accuratius inquiſiuit, et ad ſiccitatem decoxit, accepit micas adhuc quasdam ſalinas ſubfuſcum colorem referentes, carbonibus candentibus iniectae crepitantes et odorem empyreumaticum de ſe ſpargentes. Ex hoc, vt ſupra monuimus, petroleum aquae inhaerere Noſter autumat, quamuis, ſi noſtrum adiicere licet iudicium, inflammabilis quidem principii praeſentiam, quod plurimis aquis ineſt, quam petrolei, indicet. Vt autem tandem determinet Cl. Auctor, qualis naturae reſidua et ab omni ſale libera, terra ſit, ei ſpiritum vitrioli affudit, efferueſcentia orta eſt, qua finita, lixiuium obtinuit, quo arte tractato ſalem ſic dictum ſeleniticum accepit. Exinde colligit ad calcarias ſpecies eiusmodi terras pertinere, quae cum ſpiritu vitrioli talem ſalem praebent. Sed remanſit adhuc quaedam terrae pars, quam ſpiritus vitrioli non attigit nec ſoluit, hanc vitreſcentem nominat, quia cum paribus partibus ſalis tartari vitrum flaueſcens dedit.

Reſtat caput *tertium*, quod de effectibus aquae p. 21.
inſcribitur. Hos a principiis conſtitutiuis aquae, ſcilicet aqua, ſale mirabili GLAVBERI, ſale communi, terra calcaria, terra vitreſcente et petroleo deriuat. Quum vero terra vitreſcens et petroleum in parciſſima tantum copia aquae inſint, nullum ab hiſce effectum expectandum eſſe Cl. Auctor ipſe cenſet. Comparat deinde has aquas cum aliis fontibus medicatis; e. g. Niederbronnenſibus, Carolinis prope molam ſcaturientibus, Wisbadenſibus, Ferinis in ducatu Würtembergico ſitis, cum quibus

 ratione

ratione partium conſtitutiuarum pari paſſu eas ambulare arbitratur. Quando autem Cl. Auctor putat aquam *Caſtenacenſem* ea propter, quod particulis ferrugineis careat, in quibusdam caſibus, praeſertim ciborum digeſtione, aquis aliis *actiuioris*
p. 23. *et vitriolaceae aut martialis indolis* eſſe praeferendam, valde haeſitamus num illi aſſentiamur. Argumentum enim ab eo adductum; *eiusmodi particulas martialis proſapiae ſi adeſſent, nimis corrugando ſolida digeſtioni potius obicem ponere, quam eandem adiuuare;* nobis non ſatisfecit: quum de contrario, per experientiam perſuaſi ſumus, et quilibet concedet, qui ad effectus in praxi attendit. Praeter ea a particulis ferreis ſtimulatio quidem ſolidorum, et inde maior eorum rigiditas expectanda, minime vero, vt ſolida ab eis corrugentur, extimeſcendum eſt. Poſtquam expoſuit Cl. Auctor, quid aqua haec ſalina in ſtatu naturali ſeu ſano efficere ſecundum principia conſtitutiua poſſet: ad praeternaturalem ſeu morboſum pergit, ſimulque docet, remediis diluentibus, demulcentibus, aperientibus, attenuantibus, incidentibus, diureticis, imo catharticis hanc aquam eſſe adſcribendam: licet, quod vltimam virtutem attinet, eam potius copioſe ingurgitatae aquae, quam ſalibus tribuere voluerit, quia ſales minime in tanta copia aquae inſint, vt virtutem catharticam exſerere queant. Adiicit tandem generalem indicem morborum, in quibus aqua haec tam interne, quam externe, ſub balneorum calidorum et frigidorum vſu, eſſe poteſt ſalutaris.

XI. Plan-

XI.

Plantarum americanarum faſciculus nonus continens plantas quas olim CAROLVS PLVMIERIVS Botanicorum princeps detexit eruitque, atque in inſulis Antillis ipſe depinxit. Has primum in lucem edidit concinnis deſcriptionibus et obſeruationibus aeneisque tabulis illuſtrauit IOANNES BVRMANNVS M. D. Profeſſor Botanices Amſtelaedamenſis. Amſtelaedami 1759 in fol. pl. 7. tab. aen. 25. a tab. 202 - 226. Eiusdem faſciculus decimus 1760. in fol. pl. 12. tab. aen. 36 a tab. 227 - 262.

Vltimos duos faſciculos plantarum Americanarum Plumerianarum, quas Cl. BVRMANNVS hactenus edidit, indicare ſuſcipimus * et de finito opere Cl. Editori publice gratulamur gratesque perſoluimus, quod egregium hoc opus haud interrupta ſerie, cum orbe erudito communicauerit omniaque praeſtiterit, quae labores a praeſtantiſſimo ſuperioris ſeculi Botanico ſuſceptos, ad praeſentem rei herbariae ſtatum accommodant. Cum etiam nobis gratiſſimum ſit, quidquid in re herbaria ſub nomine Burmanniano innoteſcat, impoſterum quoque alia, quae floram exoticam illuſtrant, expectamus. Licet enim Pater poſt tot egregia ſpecimina cum laude acquieſcere poſſet, ei tamen et vitam et vires impoſterum quoque apprecamur, quo conſiliis ſuis Filium veſtigiis paternis vere inſiſtentem iuuet.

In

* Indicauimus in Commentariis noſtris faſciculum I et II. Vol. V. Part. II. p. 238. III et IV. Vol. VI. Part. II. p. 240. V. et. VI. Vol. VII. Part. I. p. 174. VII et VIII. Vol. hoc IX. Part. I. p. 136.

In nono faſciculo exhibentur Mimoſa humilis foliis palmato pinnatis; Moriſonae; Morus aculeata fructu villoſo; Muntingiae ſpecies vera et aliae duae ad Rhamnum referendae; Myrti quatuor ſpecies; Nhandirobae duae ſpecies ad Feuillaeam reducendae; Nicotianae ſpecies vna; Nymphaeae tres ſpecies, vt notae, icone non adumbrantur; Oldenlandia; Oleaſter ad Cornum reducitur; Oxys ſiue Oxalidis ſpecies; ſeptendecim Palmarum ſpecies et Parkinſonia aculeata alibi deſcriptae hic omittuntur. Polygonum marinum fruticoſum ad Daphnen refertur; Penaea ad Polygalam relata; Periplocae ſpecies plures exhibuit PLVMERIVS, ex quibus hic tantum delineantur quinque, quarum tres huius generis ſunt, duae ad Nerium referuntur; Periclymeni ſpecies quatuor, quarum tres ad Loniceram, ſecunda ad Liguſtrum referuntur; Petiueria; Phaſeolorum quindecim ſpecies habuit PLVMIERIVS, ex quibus tantum quarta et duodecima ad Dolichon et decima ad Glycinen relatae icone adumbrantur. Phyllyrea humilis ad Caſſinen refertur; Portulacae ſpecies, Phytolacca et Lycoperſicum ad Solanum referuntur et tandem Plinia et Plucknetia adduntur.

Ex obſeruationibus Cl. Editoris ſequentes repeti merentur. *Moriſonia*, cuius flores tetrapetali in ramis lateralibus racemoſi, fructus ex pedunculis geniculatis ſphaerici glabri et ſemina reniformia in pulpa nidulantia deprehenduntur, *Capparidis* generi, quam maxime analoga eſt, et huic in ſerie generum
p. 201. a latere ponenda. *Muntingiae* icon praeſtantiſſima exhibetur, breui deſcriptione digna, licet dolendum ſit, quod ſtamina, quae copioſa tamen aſſumuntur, non exprimantur. Planta fruticoſa vel arborea, rami ſeniores nudi, fuſci, iuniores pubeſcentes, gemmae villoſae ſtipulae filiformes deciduae, folia alterna lanceolata, ſerrata, neruoſa, ſupra viridia ſubtus tomentoſa; flores axillares ſolitarii; calix hexape-

hexapetalos, corolla ſimilis, petalorum vnguibus anguſtis, (ad pentapetalas itaque non referenda haec planta) ouarium ouato obtuſum, villoſum, fructus bacca globoſa vnilocularis, vmbilicata, ſemina numeroſa ſubrotunda. Ex qua deſcriptione ſatis apparet, reliquas duas ſpecies ſeparari et ad *Rhamnum* amandari debere cum pentapetalae pentantherae ſint. *Myrti* ſpecies et tetrapetalas et pentapetalas pingit, et petala non rotunda tantum, ſed oblonga etiam, immo cuſpidata et ſerrata exhibet PLVMIERIVS. Cl. Editor quoque confirmat LINNAEI aſſertum in Flora Zeylanica propoſitum: *Myrtum* et *Caryophyllum* aliqua affinitate inter ſe iuncta eſſe. *Nhandirobae* ſeu potius *Feuillaeae* duae ſpecies proponuntur, quarum vna eſt foliis cordatis angulatis, altera foliis trilobis. Licet vero in his foliis aliqua affinitas locum habeat, non tamen dioecia eſt planta, vt BROVWNIVS aſſerit, qui duas ſpecies in vnam coniungit, ſed in qualibet et ſtaminei et piſtillati flores diſtincti ſunt. PLVMIERIVS, qui in generibus priorem tantum plantam indicauerat, in tabulis ſuis vtramque egregie expreſſit; in priori racemi florum ramoſi ſunt, in altera flores ad alas ſolitarii. *Nicotiana foliis cordato crenatis, corollis racemoſis, ſubringentibus, caule arboreo, ſtrigoſo*, cum *Nicotiana glutinoſa* LINNAEI et foliis cordatis et p. 204. racemis ſimplicibus reuolutis et corollarum figura conuenit, differt vero foliis crenatis, caule, petiolis, pedunculis et calycibus ſtrigoſis. *Palmarum* ſpecies hic non depictas eſſe dolemus, cum vero Cl. Editor ſpem aliquam faciat, ſe eas peculiari labore extricare et totius generis ideam tradere velle, ad hanc rem praeſtandam vires et otium ei apprecamur. *Petiueria* allii odore ſatis graui praedita eſt p. 213. ita, vt lac vaccarum earumque carnes ſimili ſapore imbuat, hanc ob cauſſam forte ſumme aperiente vi conſpicua. *Portulaca foliis oppoſitis, oblongis,* p. 219.

pedun-

peduncilis vnifloris alaribus obſeruante LOEFLINGIO a *Portulaca* vere differt, cum ipſi propria corolla nulla ſit, ſtamina numeroſa et ſtyli tres, quapropter etiam a LINNAEO Syſt. Nat. Edit. X. no. 1143. *Seſuuium* appellatur. Cineres inde parantur ad vitra conflanda, LOEFLINGIVS ideo *Halimum* dixerat.

In decimo faſciculo continentur Piſonia; quinque Pittoniae ſpecies, quae Tournefortiae ſunt; duae Plumeriae et duae Pſeudoacaciae ſpecies, quae vltimae ad Robiniam pertinent; Poincianae et Portulacae ſpecies vt notae omittuntur. Pyretrum aphyllum curioſa planta nondum ſatis definita; Ranunculi aquatici duae ſpecies, quae ad Aliſma referuntur; Rapuntium Lobeliae ſpecies; duae Rauwolfiae et tres Renalmiae ſpecies; Ricinoides quatuor ſpecies, quarum duae priores ad Acalypham, duae poſteriores ad Croton referuntur; Riuina; Rondeletia; Ruellia alibi deſcripta omittitur; Saururi ſpecies duae ad Piper pertinent; Sicyoides ſiue Sicyos foliis laciniatis; Sinapiſtrum ſiue Cleome; Sloanaca; Solani ſpecies ſex, quibusdam aliis vtpote ſat cognitis omiſſis; Spartii ſpecies quatuor, quarum prima ad Pterocarpum, ſecunda ad Hedyſarum, tertia et quarta ad Securidacam transferuntur; Staphylodendri ſpecies, quae Ptelea eſt; Tabernaemontana; Suriana; Sambuci ſpecies, quae forte ad Caſſinen pertinet. Tamni ſpecies duae, quarum prima ad Smilacem, altera ad Anguriam pertinet; Telephioides fruteſcens et Terebinthus non adducuntur. Thymelaea fruteſcens ad Tournefortiam transferenda; Tithymali ſiue Euphorbiae ſpecies duae. Tragiae ſpecies duae; Trachelii ſiue Lobeliae ſpecies. Tribuli terreſtris vna ſpecies, altera ad Rhamnum vel potius Zizyphum referenda; Triumfetta; Turnera, vt nota, omittitur. Valdia ſiue Oueda; Van Rheedia ſiue Rheedia; Viſci quatuor ſpecies et quinta his accedens Viſcoides

dicta;

dicta; Vitis ſpecies quinque; Vrticae ſpecies; Ximeniae ſpecies duae; Xiphion ad Iridem pertinens; Styracis ſpecies et Schinus foliis pinnatis.

Ex variis Cl. Editoris obſeruationibus ſequentes ſubiungimus, *Tournefortia foliis ouatis ſerratis,* p. 224. *petiolis ſpineſcentibus ſpicis terminatis recuruis*, a ſequenti ſpecie ſcilicet *Tournefortia foliis oblongo ſerratis petiolis ſpineſcentibus, ſpicis capitatis terminalibus* vere diſtincta videtur. Corollae in vtraque ſpecie maiores, quam in congeneribus, in priori profundius diſſectae, in altera ſerratae, in vtrisque poſt lapſum folii, baſis petioli in ſpinam mutanda remanet, in altera vero petioli curti et ad baſin iam ſpinuloſi ſunt. Praecipuam tamen differentiam exhibet modus florendi, in priori enim pedunculi ſunt axillares, ramoſi, longiſſimi et inflexi, in altera vere terminales et capitati vix pedunculati. *Tournefortiae* praeterea et *Plumeriae* ſpecies egregiis iconibus declarantur, et varietates etiam apte diſponuntur, additis optimis auctorum nominibus. *Rauwolfiae* p. 233. duae ſpecies exhibentur, quarum prior *foliis lanceolatis quaternis neruoſis*, altera *foliis ouatis venoſis verticillatis* dicitur, in priore folia petiolata vix ſinuoſa ſunt, in altera ſubſeſſilia lata et ſinuoſa; in priore florum racemi longiores, in altera breuiores ſunt; in priore corollae laciniis profunde diſſectis truncatis, in altera vix diſſectae et rotundiores inueniuntur. *Riuina floribus corymboſis foliis lanceolatis,* p. 237. *integerrimis*, cuius icon hic exhibetur, ab altera ſpecie, quae in Hort. Amſtel. Tom. I. tab. 66 exhibetur, longe differt, in hac enim racemi ſimplices axillares et folia cordato-ouata ſunt; in noſtra vero planta ſpicae multae caulis ſummitatem terminant et folia magis lonceolata ſunt. Altera *Xi-* p. 261. *meniae* ſpecies, quae *Au-Caragna* RECCHI appellatur, non rite definiri potuit, cum flores deficiant, forte ad *Iacquiniae* nouum genus pertinet.

Arbor

Arbor eſt odorata et guſtu acris ac gummi, quod ex eo fluit, Caragnam dicitur et vires habet Tacamahacae, ſed vehementiores.

Quae ex egregio hoc opere paſſim annotauimus ſatis demonſtrant, floram Americanam egregie in eo declaratam eſſe. Nec tamen ex iconibus, in quibus ſtamina et aliae minores florum partes non ſemper accurate delineatae erant, hanc explicationem petere poterat Cl. Editor, ſed ex collatis praeſtantiſſimorum Auctorum ſcriptis, quae in Theſauro Zeylanico et Herbario Amboinenſi edendo iam euoluerat, monitis etiam Ill. LINNAEI interdum adiutus, haec praeſtitit. Optamus tamen cum eo, vt ex peritiſſimis Gallorum Botanicis aliquis Antillas petat inſulas, obſcuras et dubias PLVMERII plantas ibi attente examinet et ad vera genera reducat.

XII.

ANTONII DE HAEN, Conſiliarii Aulici ac Medicinae Pract. in antiqu. et celeberr. vniverſitati Viennenſi Profeſſoris Primarii Theſes pathologicae de haemorrhoidibus a medicinae ſtudioſis ordine defendendae et oppugnandae die 9 Martii 1759 ſingulisque poſtmodum diebus veneris hora tertia pomeridiana etc. Viennae, 1759 typis Ioan. Thom. Trattner. 8. pl. 6.

Morbis medendi modus aeque mutabilis eſt, ac habitus veſtium. Hic enim, qui alio tempore perplacebat, alio reiicitur, non quidem ex perſpecta illius mutati praeſtantia, ſed ex vano quodam hominum arbitrio. Idem quoque arti ſalutari euenire, nemo inficias ibit. Quot non a priſcis

medicinae

medicinae temporibus varia morborum genera experta fuerunt medendi methodos; mox illa eligebatur, priore reiecta, mox reiecta reuocabatur, vtraque tandem abolita, noua condebatur praecedentibus non diutius retenta. Largiendum quidem omnino eſt, mutato cuiuslibet aeui viuendi generi, variaeque regionum temperiei aeris plurimum eſſe tribuendum, ſed intelligens quisque, credimus, fatebitur, mutationes iſtas in morbis, raro fundamento ex veris naturae phaenomenis legibusque indubitatis ſtructo, ſaepiſſime ficta quadem ingenioſi hominis hypotheſi, niti. Quot quantaque inde in aegrotos proficiſci poſſint mala, quae profecto magna ſunt, hic non eſt, nec ſufficit, enarrare: praeſtat potius omnes, quibus ad id eſt ſat virium ingenii, ſufficiens auctoritas et frequens cum aegrotis vſus, ſedulo exhortari, vt omnem curam eo dirigant, quo medica ars demum ab omnibus, quoad certe fieri poteſt, fictis opinionibus libera, vnice naturae legibus ſit ſuperſtructa. Laudabili itaque auſu Cl. Auctor duabus opinionibus bellum indixit, quas plurimorum medicorum Auſtriacorum animos huc vsque occupare vidit; altera ſcilicet de nimia frequentia malignitatis in morbis continuis, altera de inſigni vſu ſummaque in plerisque hominibus neceſſitate fluxus haemorrhoidalis. Ex illa opinione peruerſa illa oriebatur methodus, qua medici regimine calidiori aegrotos excruciabant auxiliaque ita dirigebant, vt exanthemata prorumperent, in quibus omnem quaſi recuperandae ſanitatis ſpem eſſe repoſitam credebant. Quam ineptam opinionem et in *rationis* ſuae *medendi* Tomo II et in alia huic ſimili diſſertatione, cuius epitomen propediem daturi ſumus, ſubuertere is tentauit. Ex altera id reſultabat incommodi, vt omnem fere morbum et acutum, et chronicum, etiamſi repugnaret natura, per haemorrhoides curare

tentarent medici, cui reuellendae opinioni haec deſtinata eſt diſſertatio, quae qua occaſione conſcripta ſit, ipſe titulus monſtrat. Non omnem vero haemorrhoidum hiſtoriam in illa complexus eſt Auctor, ſed id ſolummodo ſibi propoſuit, vt argumenta dilucidaret, quibus vſus illarum rite determinaretur abuſusque praecaueatur. Sub finem appoſuit quaeſtiones, quae hanc doctrinam concernunt, et quas in caſibus ambiguis ſibi formare poſſent medici tirones, in quorum quoque gratiam ſingulis addita eſt dubii ſolutio.

Omnem diſſertationem in 5 capita diſpeſcuit Cl. Auctor, in quorum primo breuibus *de anatomica et phyſiologica haemorrhoidum conſideratione* eſt praefatus. WINSLOWIVM in diſtributione vaſorum haemorrhoidalium, cum arterioſorum, tum venoſorum ſecutus credit, diſtinctionem illam practicam in haemorrhoides externas et internas, ob frequentem anaſtomoſin, qua haec vaſa ſibi inuicem vniuntur, vel eſſe nullam, vel non tanti aeſtimandam, vt curandi methodum mutaret. In capite *ſecundo cauſas*, et in *tertio vtilitatem* illarum et *damnum* recenſet. Studioſe hic plurima loca ex HIPPOCRATE, quae huc reducuntur, vel reduci poſſunt, colligit: licet enim hinc inde dubium ſit, vtrum haemorrhoides quamcunque ſanguinis euacuationem, vt interpretum plurimi volunt, an eam ſolum, quae per vaſa ſic dicta haemorrhoidalia contingit, denotent, ſatis ſuperque tamen apparet,
p. 34. haemorrhoides in multis omnino aegritudinibus auxilium praeſtitiſſe, ſuppreſſas autem vel peruerſe prolicitas produxiſſe noxas, ex quibus tandem Cl. Auctor iudicat: haemorrhoides vetuſtiores, quae corpori illibatam conciliarint ſanitatem, non impune prorſus ſupprimi; recentibus vero non eſſe indulgendum, ſed, permittente natura, eas aliorſum ducendas: viris haemorrhoides non eſſe idem,

quod

quod feminis ſit fluxus menſium; nec quemlibet morbum, ex plethora vel cacochymia ortum, ope haemorrhoidum, non a natura, ſed arte et vi quaſi productarum poſſe curari. Inter damna, quae haemorrhoides ſequi ſolent, primarium eſt hydrops. In *quarto* capite, in quo de *origine haereſeos circa haemorrhoides natae* Cl. Auctor agit, errores eorum detegere allaborat, qui fluxui huic patrocinari ſolent. Sic colicam haemorrhoidalem, quam Stahliani quam ſaepiſſime ſe obſeruaſſe perhibent, perperam ab iis hoc nomine inſigniri credit, cum ii quamcunque colicam, quae a centenis aliis cauſis oriri poteſt, haemorrhoidalem vocaſſe videantur; ſic quoque ileum haematitidem HIPPOCRATIS longe alium morbum fuiſſe, quam iſtam haemorrhoidalem colicam, vt STAHLIVS eſt interpretatus, ex ſymptomatum conſideratione patet, quorum quippe, ne vnum quidem ad haemorrhoides referri poteſt. Perluſtrat deinde Cl. Auctor quaeſtionem a IOH. FR. CLEM. MORAND, Praeſide p. 49.
IOAN. BAPT. LVDOVICO CHOMEL Pariſiis anno huius ſeculi quinquageſimo propoſitam, quae mira de hoc fluxu praedicat, eiusque vtilitatem maximis extollit laudibus. Oſtendit vero hiſtorias in illa allatas admodum eſſe incompletas, nec tanti habere ponderis, vt iis perſuadeamur, nullumupereſſe de illius vſu, latiſſime patente, dubium. In *quinto* denique capite continentur *practicae quaeſtiones*, quarum primaria momenta, qua fieri poteſt, breuitate, adducamus. Sunt vero earum duodecim. 1) Si homo, cui quondam ex plethora haemorrhoides fluxerunt, nunc iis ex aliquo tempore ceſſantibus, aegrotet, et ipſi ſanguis quaſi ſuperabundet, naturamque ex indubitatis ſignis eas tentare clarum ſit, illarum fluxus omnino eſt reſtituendus; ſi vero aegrotus plethoricus eſſe dudum deſierit, nec natura ſimile quid moliatur, alia methodo tractandus eſt;

et, etiamſi plethora adhuc ſuper ſit, natura vero fluxum illum, non moliri percipiatur, neutiquam per haemorrhoides, ſed per venaeſectionem plethora eſt imminuenda, victuque parciori arcenda. 2) Idem in melancholis hypochondriacis, ab atra bile factis et quondam per haemorrhoides leuatis, nunc, cum eae non reuertuntur, denuo aegrotantibus valet. 3) In homine per longum tempus cum haemorrhoidibus optima gauiſo ſanitate, nunc iis euaneſcentibus, prima vice in melancholicum ſtatum lapſo, cauſa melancholiae ortae probe eſt perſcrutanda prius, quam de haemorrhoidibus reſtaurandis cogitari conueniat. Si melancholia eſt a nimia ſolidorum mobilitate fluidorumque tenuitate, nocent haemorrhoides; ſi vero illa a ſpiſſo atrabilarioque ſanguine, disquirendum eſt, vtrum hoc de totius corporis, an ſolummodo de venae portarum maſſa ſanguinea valeat; primo in caſu attenuantia remedia atque immutantia, in altero demum vnice haemorrhoides proſunt. 4) Licet quondam a natura morbus per haemorrhoides releuatus fuiſſet, eae tamen in eodem homine, nunc denuo aegrotante, niſi aperta naturae haemorrhoides molientis ſint indicia, non ſunt reuocandae. 5) Haemorrhoides a cauſa externa ſeu occaſionali olim excitatae, nunc ad ſanitatem vel conſeruandam, vel reducendam, non denuo ſunt promouendae, niſi vera adſit plethora ſanguisque atrabilarius et, cauſa occaſionali remota, illae cum vtilitate olim fluxerunt. 6) Haemorrhoides in grauidis et lactantibus ex rebus fluxum concomitantibus ſunt perpendendae. 7) Si cum haemorrhoidibus, quae cum catameniis ita alternent, vt altero 14 die menſes, altero haemorrhoides fluant, conſtet integra ſanitas, eae impune feruntur. 8) Cum in femina nupta, iuuencula, fluxum menſtruum nunquam experta haemorrhoides foecunditati obeſſe poſſint, praeſtat fluxum menſtruum,

abolito

abolito haemorrhoidali, prouocare; nec eae haemorrhoides, quae in femina aetatis prouectioris iuſto tempore euanidum fluxum menſtruum excipiunt, ſunt fouendae, plethora potius, quam eae indicant, venaeſectione et diaeta parciori imminuenda. 9) Nec ex praeſente tumore in ano, pruritu, teneſmo, materia albida profluere incipiente in homine, haemorrhoides vel nunquam, vel quondam paſſo, nunc alio morbo decumbente, ſtatim concludere licet: haemorrhoidum neceſſitatem extra omne dubium eſſe poſitam; quippe quae ſolummodo dependet a morbi natura, tempore criticisque ſignis. 10) Vera plethora cum vix cadat in infantes, ſequitur, ab haemorrhoidibus eos liberos eſſe. 11) A calidiore atmoſphaera, incraſſante diaeta, vel inprimis vero a medentium culpa, haemorrhoidum frequentia quibusdam in regionibus eſt repetenda. 12) Non omnis dolor, tenſio, pulſatio in lumbis, dorſo, collo, prodromi ſunt haemorrhoidum.

XIII.

Bibliotheca regni animalis atque lapidei, ſeu recenſio auctorum et librorum, qui de regno animali et lapideo methodice, phyſice, medice, chymice, philologice, vel theologice tractant, in vſum naturalis hiſtoriae ſtudioſorum conſcripta et edita a LAVRENTIO THEODORO GRONOVIO. I. V. D. Societ. Phyſ. Medic. Baſileenſis Socio. Lugduni Batauorum. Sumptibus Auctoris, 1760. 4 mai. Alph. 1 plag. 19 c. praef.

Fontes oſtendere, ex quibus largum ſcientiarum haurire licet apparatum, ſatius interdum eſt, quam ingenioſiſſima effingere ſyſtemata, quae ſcien-

tias plerumque, tantum abeſt, vt illuſtrent illarumque cognitionem facilitent, vt e contrario ſubnata inde errorum noua occaſione, nouis difficultatibus eos irretiant, qui illarum emetiri cupiunt ambitum. Si quod vero illarum genus, vel inprimis hiſtoria naturalis iis difficultatibus laborat et in illa perueſtiganda, quam maxime opus eſt ſubſidiis, quibus eius ſtudioſi vti poſſint, vt ſciant, quid ab aliis in illa iam ſit praeſtitum. His quidem non caruit huc vsque illa. Exſtant plures bibliothecae, inſignem librorum copiam recenſentes, ex quibus, quantum de hac ſcientia cognitum indubitatumque inter eruditos conſtet, repetere licet. Sed dubito, fore nullos, qui eas affirment omnibus numeris eſſe abſolutas. Multa eis addi poſſunt, non noua ſolum, ſed ſatis diu cognita, caſu vero vel culpa eorum, qui catalogos librorum huc pertinentium, collegerunt, obliuioni data. Non actum itaque egit Cl. Auctor, cuius nomen inter ſcriptores hiſtoriae naturalis ob muſeum ſuum ichthyologicum inclaruit, quod catalogum hunc librorum ad hiſtoriam naturalem pertinentium, horis ſubſeciuis collectum, clariſſimorum quorundam virorum ſuaſu excitatus, typis mandare euulgareque ſuſceperit. Non quidem totius hiſtoriae naturalis ambitum elegit, ſed ſcripta botanica ſtudio omiſit, cum cognouerit, collectionibus illorum a SEGVIERIO et LINNAEO in publicum miſſis, omnino parum, ſi ea, quae poſt illas prodiere, excipias, addi poſſe. Complectitur itaque hic liber tantummodo regnum animale et minerale. Homo quidem, quatenus animal, quoque ad hiſtoriam naturalem pertinet, adeoque libri, qui de illo agunt, huc referendi fuiſſent, ſed hos itidem Cl. Auctor ſilentio tranſire maluit, quam adiiciendo copioſo illo librorum anatomicorum et phyſiologicorum apparatu limites huius bibliothecae nimis extendere.

Ordinem

Ordinem in colligendo elegit nominalem, nominaque auctorum ſecundum elementa litterarum coniunxit ſcriptoresque anonymos adiecit litterae A. Hac enim via taedioſae euitari poterant repetitiones, quod vero alia methodo non aeque facile fieri potuiſſet. Quo tamen inde vſus huius libri non praeſcindatur nimis, ad calcem appoſuit indicem, vt vocant, realem, quem ſatis amplum maximo eum euoluenti vſui futurum credimus. Noli vero credere, in hac bibliotheca nunc omnia ſcripta, quae huc redeunt, eſſe coaceruata planeque nulla omiſſa; quo minus hoc tibi perſuadeas, praemonet te ipſe Auctor in praefamine, qui, cum ex aliorum bibliothecis intellexerit, fieri non poſſe, quin vnus alterue liber vel auctor, ſumma licet adhibeatur diligentia, noſtram ſubterfugiat cognitionem, ſupplementis ſiue auctuariis hunc librum complendi conſilium cepit, quorum primum iam meditatur, et ſtatim ac librorum copia denuo ſatis increuerit, quod breui fieri poſſe videtur, ſe in lucem proditurum, ſpondet. Hunc interim librum comparauimus, cum variis aliis bibliothecis de eadem ſcientia conſtructis, et non poſſumus non profiteri, illum omnino variis hinc inde indicatis ſcriptis, vel ſcriptorum editionibus, quas alibi fruſtra quaeſiueris, locupletiorem eſſe, licet quoque negare nolimus, et hic varia deeſſe, de quibus in aliorum ſcriptis iam facta fuit mentio. Haec itaque aut non conſuluerit Auctor, aut dubius de illis in ſupplementa reſeruauerit. Indicantur vero non ſolum libri, ſed omnia quoque, quae hanc ſcientiam attingunt, ſchediasmata, vel ſeorſim, vel collectim edita, vel quoque eruditorum variis, iisque optimis diariis, in exterorum quoque lingua conſcriptis, inſerta. In laudem etiam huius libri cedit, quod Cl. Auctor, ne nudi tantum et ſteriles ſcriptorum tituli enumerentur, hinc inde adiectis notulis, vel conten-

torum elenchis, vel propriis auctorum opinionibus vſum huius libri ampliare ſtuduerit. Plerumque etiam, vbi librum vel ipſe, vel amici fide digni, non videre, fontem indicauit, ex quo illius notitiam hauſit, ne error in illis forte commiſſus ipſi verti poſſet vitio. Huc itaque referimus, quod Cl. Auctor, HARDERVM inter eos auctores retulerit, qui de apibus ſcripſerint, inſcriptione forte apiarii deceptus, qua ille collectionem diuerſarum obſeruationum, medicarum, anatomicarum et phyſicarum indicare voluit. Nulli interim dubitamus, quin Auctor ab hiſtoriae naturalis amatoribus reique litterariae ſtudioſis maximam ſit initurus gratiam, vel inprimis ſi ſteterit ſuis promiſſis.

XIV.

Noua phyſico - medica.

Regia Chirurgiae Academia *Pariſienſis* nuper declarauit, anno 1762 illi ſe exhibituram eſſe annuum praemium nummi quingenta pondo gallicorum, qui optime determinauerit modum, quo aperiri abſceſſus et ex artis legibus, pro diuerſis corporis partibus curari debeant. *Determiner la maniere d'ouvrir les Abſcès et leur traitement méthodique, ſuivant les différentes parties du corps.*

Nec illa intermittet reliqua, veluti inferioris ordinis dicenda, praemia chirurgis tironibus quouis anno exhiberi ſolita, de quibus iam olim expoſuimus *, prae aliis bene merentibus dare eorumque ſtudium inde atque induſtriam magis magisque excitare.

Regia ſcientiarum et elegantiorum litterarum, quae *Toloſae* floret, Academia ante aliquot annos propo-

* vid. Comment. noſtr. Vol. V. P. I. p. 175.

propoſuerat quaeſtionem medico-chirurgicam, cuius optimae ſolutioni praemium quingentorum pondo gallicorum anno 1760 promiſerat *. Hiſce verbis eam expreſſerat Academia: *Les moyens de reconnoître les contre-coups dans le corps humain et d'en prévenir les ſuites.* Verum autem illius ſenſum, intellectu ſatis difficilem, alii viri de hoc argumento diſſerentes, aeque ac nosmet ipſi, non perceperunt; qua de cauſſa eandem denuo exhibet Academia, duplicato praemio, ad annum 1763 referendam. Illa nunc quidem paulo clariorem reddidit mentem ſuam, iudicia de commentariis ipſi exhibitis nuper ferens. Alios enim, inquit, ad contrafiſſuras, quas dicunt chirurgi, capitis tantum; alios quidem inſimul ad corporis truncum eiusque extremitates reſpexiſſe, ſed argumenti ambitum ſatis non emenſos fuiſſe; omnes vero non ſatis enodate explicaſſe mechanismum ſiue modum, quo per repercuſſum accidere poſſint laeſiones, vt harum inde ſedes atque natura intelligi queant: *en général aucun des ouvrages préſentés n'explique le méchaniſme des contre-coups dans un détail ſuffiſant pour déterminer quelles ſont les connoiſſances qu'on peut en tirer ſur le ſiege et la nature des leſions produites par ces accidens.* Reliqua ab iis, qui ſuper hoc argumento conſcriptos, Academiae tradere velint commentarios, obſeruanda, nota ſatis, iam repetere nolumus.

Lugduni Gallorum condita ſcientiarum artiumque Academia nuper obtulit quaeſtionem, in quam artis chemicae periti inquirant, quo nimirum ſerica lauandi nouum inueniant modum, ſine ipſorum bonitatis aut nitoris imminutione. *Trouver une maniére nouvelle de décreuſer la Soie, ſans altérer ni ſa qualité, ni ſon luſtre.* Quum enim per experientiam conſtare obſeruauerit Academia, ſerica

* ibid. Vol. VII. P. II. p. 364.

ex China apportata, illam prae illis in Europa paratis, habere praerogatiuam, quod, cum ſordibus purgentur, vel colore aliquo tingantur, nitorem ſuum his melius retineant; id, quod inprimis valeat de illis candidis. Cauſſam huius rei in ſapone quaerendam eſſe putat, quippe quem in hoc opificiorum genere non adhibeant Chinenſes et cuius oleum in ſapone noſtro ſuperabundans, et albo ſericis conciliando colori noceat, et nitorem eius imminuat: Operae itaque pretium eſſe, aliud excogitare atque detegere remedium, quo ſerica tingi poſſint. Commentarios ideo ſibi tradendos, ſiue gallice, ſiue latine exarati ſint, expectat Academia ante primum diem aprilis anno 1762, de eorum excellentia poſt diem S. LVDOVICO ſacrum iudicatura optimeque merenti praemium nummi aurei trecentorum pondo gallicorum conceſſura. Scire inſuper licet, illos mitti debere vel ad Cl. BOLLIOUD MERMET, vel Cl. DE FLEURIEU, vtrumque Academiae Secretarium, vel quoque ad ipſius typographum, AIME DELAROCHE, eo, quod curſus publici nomine debetur, antea ſoluto.

Electoralis Bauarica, *Monachii* ante annum et quod excurrit, condita *, ſcientiarum Academia in conuentu nuperrime habito, duas propoſuit quaeſtiones, quarum ſingularum optimam ſolutionem anno 1761 coronabit praemio nummi quinquaginta aureorum, qui vulgo ducati dicuntur. Illarum vna ad *hiſtoricam*, altera ad *philoſophicam* claſſem ex Academiae inſtituto pertinet, quam poſteriorem, quum phyſici argumenti ſit, cum lectoribus noſtris communicamus: *Quidnam ipſae* nimirum *plantae*, quaeritur, *ad ſucci ſui nutritii praeparationem conferant? Quidnam contra cauſſae, ſi diſſimile illarum reſpexe-*

* vid. Comment. noſtr. Vol. VII. P. IV. p. 721. et Vol. VIII. P. I. p. 180.

ſpexeris incrementum, diſſimili quoque ſolo attribuendum ſit? Num porro diuerſa telluris bonitas variaeque in illa macra deſiderandae qualitates, ipſius potiſſimum agri culturae reſpectu, per tentamina chemica poſſint ita determinari, vt facilis inde vſus percipi queat. Commentarios, vel latine, vel germanice, conſcriptos ad finem vsque auguſti iam dicti anni 1761 colliget Academiae Secretarius, Ill. LORI, Aulae Bauaricae Conſiliarius; reliquis quoad auctorum nomina eodem modo obſeruatis, qui aliis academiis huc vsque vſu venit.

In eodem conuentu vtrique Academiae claſſi nouus praefixus fuit Director; *hiſtoricae* Vir Generoſiſſimus, DE BVAT, Eques Melitenſis: *philoſophicae* autem Vir Generoſiſſimus, I. A. DE WOLTER, Sereniſſ. Bauariae Electori Principi a conſiliis intimis eiusque Protomedicus, qui ibi ſolet appellari.

A Regia ſcientiarum Societate *Londinenſi* in ſociorum numerum recepti nuper fuere Viri Clariſſimi, IOAN. LIEUTAUD, PAVL. IAC. MALOUIN, Medici Pariſini, CAROLVS ALLIONE, Profeſſor Taurinenſis et S. A. D. TISSOT, Lauſannenſis medicus.

Qui per plures iam annos Regiae ſcientiarum et elegantiorum litterarum Academiae *Berolinenſi* a curandis fuit rebus chemicis, Cl. ANDREAS SIGISMVNDVS MARGGRAF, is nunc ab eadem phyſicae claſſis Director nominatus et a Pot. Boruſſorum Rege iam confirmatus fuit.

In Academia *Rintelenſi* Virum Cl. THEODORVM GERHARDVM TIMMERMANN Duisburgenſem, Med. D. Profeſſorem Medicinae Publicum Ordinarium conſtitutum eſſe iamque illud munus ſuſcepiſſe legimus.

Hamona in Weſtphalia euocatus fuit *Francofurtum ad Viadrum* Vir Cl. IOANNES PHILIPPVS LAVRENTIVS WITHOF, M. D. vt muneri Profeſſoris Medicinae ordine ſecundi praefigatur, quo olim functus fuerat CAROLVS AVGVSTVS DE BERGEN, de cuius vita quam proxime ad lectores noſtros relaturi ſumus.

Cl. FRANCISCVM BOISSIER DE SAUVAGES, Botanices in Academia Monſpelienſi Profeſſorem, ab hoc munere ſeſe abdicaſſe, illudque Cl. FRANCISCO IMBERT Med. D. traditum eſſe, nuperrime accepimus. Hunc virum vicario nomine iam huc vsque in eadem academia ſalutarem artem docuiſſe, ex quo Cl. MARCOT ſtirpis regiae medicus factus ideoque Monſpelio auocatus fuit, vel ex noſtris quoque conſtat commentariis *.

Patauii ſub exitum menſis iunii anno 1760 diem ſuum obiit ſupremum Vir Cl. IOSEPHVS ANTONIVS PVIATI, Med. D. et Praxeos Medicae Profeſſor P. Ord.

Londini porro nuper die quarto ianuarii anno, quem agere coepimus 1761 inſignem iacturam fecit orbis litterarius obitu Viri de rebus theologicis aeque ac medicis meritiſſimi, STEPHANI HALES, S. S. Theologiae Doctoris, ſacrorum Antiſtitis Teddingtonenſis, Ser. Walliae Principi Regiae ab orationibus ſacris, Regiaeque ſcientiarum Societatis Londinenſis Socii, aetatis anno octogeſimo tertio vita defuncti. Eſſe omnino conſtat, cur ad noſtros illum quoque referamus. Quis enim eſt, quin egregia ab ipſo edita, phyſici argumenti ſcripta nouerit, ſanguinis potiſſimum et vegetabilium ſtaticam, aliaque? Inter prima vero eius merita comme-

* ibid. Vol. IV. P. IV. p. 721.

commemorari debet perutilis illa machina, ab ipſo excogitata et ſingulari libro nuper demum ab ipſo deſcripta, quibus effoetum in clauſis locis aërem repurgamus, *ventilatoris* nomine ideo ab ipſo inſignita. Litterarum amantiſſimus tanto in eas incubuit ſtudio, vt epiſcopi dignitatem adipiſcendi ſaepe quidem nactus occaſionem, illam tamen vitae tranquilliori litterisque colendis aptiori poſtponeret. Interea non litterarum ſolum culturae atque induſtriae ſingularis laude, ſed religionis quoque ſanctitate, quam ſemper obſeruauerit, morumque inſigni integritate exemplum dediſſe, quod alii imitentur, ipſi Angli, eius ciues, depraedicant.

Hafniae relatum legimus, ſocietatem illam doctorum aliquot virorum, quos Pot. Daniae Rex in prouincias nonnullas orientales iter ſuis ſumtibus ſuſcipere iuſſit *, nuper conſcendiſſe nauem bellicam, cui Groenlandiae nomen impoſitum ſit; illos porro iter ſuum ab initio Conſtantinopolin directuros, deinde per Aegyptum in Arabiam felicem continuaturos tandemque redeuntes per Syriam confecturos eſſe: illis inſuper, quos ſuo tempore nominauimus, duos adhuc alios itineris comites laborumque ſocios additos eſſe viros dexterrimos, CHRISTIANVM ſcilicet CAROLVM CRAMER, Medicinae Doctorem, et GEORGIVM GVILIELMVM BAVRENFEIND, pictorem et chalcographum.

Auguſtae Taurinorum viuere deſiit die ianuarii viceſimo 1761 Vir optime meritus, IOANNES BAPTISTA BIANCHI, Med. D. Anatomes Profeſſor emeritus, Archiatrorum Comes, (*Capo del protomedicato*), Academiae Naturae Curioſorum et Inſtituti ſcientiarum Bononienſis Socius, vti etiam Academiae ſcientiarum Pariſinae Correſpondens, aetatem

* ibid. Vol. VIII. P. II. p. 348.

aetatem octuaginta annorum aſſecutus. Quae vitam huius viri atque memoriam attinent, ea nobis communicatum iri ſperamus, ſuo tempore etiam a nobis commemoranda.

Memoria IOANNIS IVNCKERI, Medicinae Doctoris et in Academia Halenſi Profeſſoris Publici Ordinarii, Facultatis Medicae Senioris, Alumnorum Regiorum Ephori, in Regio Paedagogio et Orphanotropheo Medici Ordinarii et Collegii Octouiralis ad aedem S. VLRICI Senioris.

Num quis litteras ſine interprete facile poſſit percipere easque in publicum vſum conuertere? dubia omnino res eſſe videtur. Illarum quidem, ſi in genere de iis loqui velis, duplex datur genus: vnum, quod meditando tantum conſequimur; alterum vero, quod obſeruando vel tentando comprehendere poſſumus. Quod prius attinet, is, qui ingenio valet acuto atque praeſtanti, ſuis animi viribus ſuoque ſtudio felices facere progreſſus, quin et forte eo facilius nouas detegere poterit veritates, quo minus aliorum erroribus a recto cogitandi modo ſecedendi incurrit periculum: in altero autem ſtudiorum genere ſine alterius viri eorum ſatis periti ductu, ſi vmquam, certe tamen longe difficilius, attingi poſſe finem, vix non omnes conceſſuros eſſe arbitramur. Interim tamen, quum medicae artes eo pertineant absque dubio, praeſtantia dari ingenia et in hoc ſtudiorum genere ſua tantum induſtria ſuoque ſtudio excellentia, IVNCKERI noſtri comprobat exemplum. Non in omni quidem litterarum, quas coluit, genere is ſibi ipſe conſuluit; medicas tamen artes, quas inprimis profeſſus fuit, ex aſſidua optimorum auctorum lectione tantum addi-

addidicit vſuque ſelici atque exercitatione perfecit. Merita igitur, quibus conſpicuus fuit, eo digniorem reddiderunt eum, cuius memoriam conſeruemus, licet is ipſe ab omni laude famaeque cupidine per totam vitam fuerit alieniſſimus, ideoque de vita ſua rebusque geſtis parum vel nihil litteris conſignatum reliquerit. Nec nobili quidem loco, neque illuſtribus, attamen honeſtis et integerrimis, natus erat parentibus, Londorfii nimirum, pago in ſuperiore Haſſia ſito, ab vrbe ſatis celebri, Gieſſa haud procul diſtante, anno ſuperioris ſeculi octogeſimo, die menſis ianuarii tertio noui, qui dici ſolet, ſtili. Patre vtebatur IOANNE LVDOVICO, matre vero IVLIANA, nata BECKERIA, conducendis et colendis agris honeſtum quaeſtum facientibus. Optimis his parentibus exoptatiſſimus *Noſter* erat filius, quem igitur vt a teneris iam inde purioris doctrinae fundamentis imbuerent, non omnem ſolum habebant curam, ſed, quum eo adhuc tempore aliquibus acquiſitis opibus eſſent praediti, litterarum, inprimis ſacrarum, ſtudio illum mancipantes, vix primae aetatis annos ſupergreſſum quotidie mittebant Allendorfium, vicinum vicum, vt latinae linguae rudimenta diſceret, paulo tamen poſt Obernhofium, oppidum in Wetterauia ſitum, vbi prudentis viri, ſcholae ibi conditae praefecti, curae atque inſtitutioni ipſum tradebant: optimo autem hoc viro defuncto, eiusque obitu ipſa ſchola ex negligentia ſuperiorum prorſus ſublata, anno ſeculi nonageſimo ſecundo in celeberrimum illud Gieſſenſe introducebant paedagogium, cui tum temporis vir magni nominis, IOANNES HENRICVS MAIVS, pater, praeerat. Multo ſtudio multaque induſtria hic loci *Noſter* incumbebat in litteras ab humanitate dictas, adeo vt poſt quatuor iam annos in academiam cum inſigni ſpe colligendi fructus ſe conferre poſſet.

Marbur-

Marburgum itaque petebat, philoſophiae artique potiſſimum ſalutari addiſcendae animum applicaturus. Poſt breue autem tempus in felici, quem ingreſſus erat, ſtudiorum tramite non interpellabatur tantum, ſed parum potius aberat, quin prorſus ab illo excluderetur. Triſtiſſimo enim bello, magnam Europae partem illo tempore deuaſtante Haſſiamque ſimul grauiter premente, parentes *Noſtri* ad ſummam fere egeſtatem redacti, patriam relinquere et primum in Franconiam, deinde vero in Palatinatum ad Rhenum ſe recipere, filiumque ab academia auocare cogebantur. Maxima hinc *Noſter* quidem moeſtitia affectus, illi tamen ſuccumbere neſcius, recuperabat animum Lipſiamque abire conſtituebat, ſola ſpe in Dei prouidentia poſita fretus, fore vt haec ipſi monſtraret viam, quam ſequuturus attingere poſſet finem ſibi propoſitum. Lipſiam autem adueniens, nomen quidem ſuum illico dabat academiae in numerum ſtudioſorum relatus, noſtram tamen vniuerſitatem cum Halenſi academia permutandi eodem fere tempore capiebat conſilium ea de cauſſa, quod perciperet, gymnaſium ab AVGVSTO HERMANNO FRANCKIO, viro poſt fata adhuc immortali, iam ibi condi, cui admouendorum praeceptorum numerus nondum eſſet abſolutus. Lipſia igitur diſcedens, FRANCKIVM conueniendi cauſſa Halam petebat, ibique illum quidem virum ſibi ſtatim valde propenſum inueniebat, ſed locum in gymnaſio, quum vacaret tum temporis nullus, ab eo impetrare nondum poterat. Triſtiſſimus hinc ex illius aedibus egrediens, quid faceret aut vnde neceſſaria ad vitam ſuſtentandam depromeret, plane neſciens, en! ſibi obuium habebat virum iuuenem, ciuem academicum, antea ne viſum quidem, qui moeſtitiae in ipſius vultu apparentis cauſſam ſciſcitans eamque intelligens, *Noſtrum* ſibi adſciſcebat contubernalem et ad victum ſuppeditanda

ipſi

ipſi parabat, donec in gymnaſio praeceptoris aliquod munus poſſet conſequi, quod etiam poſt breue tempus obtinebat. Inferioris quidem tantum ſubſellii pueros ab initio habebat erudiendos; quum vero tempus ab his laboribus liberum elegantioribus litteris vlterius excolendis, CHRISTOPHORO CELLARIO duce, traderet et cum laude huius viri in iis proficeret, ſcholae ſic dictae latinae paulo poſt conditae, tandemque paedagogio regio Halenſi, admouebatur. Medicis interim addiſcendis ſcientiis animus quidem ſemper intentus huc vsque fuerat: parentum tamen precibus hortatuque amicorum nunc tandem commotus, ſtudium theologicum principem ſuorum laborum finem habere conſtituebat. In illo igitur venerabilem Abbatem BREITHAVPTVM inprimis ſequebatur: ſupra iam laudatus autem FRANCKIVS et IOANNES HENRICVS MICHAELIS linguas orientales ipſum docebant. Tam inſignes quoque in his faciebat progreſſus, vt primas lineas grammaticae illius graecae duceret, quam ipſius in graecis litteris antea diſcipulus, poſtea magis elaboratam edidit IOANNES HENRICVS SCHVLZIVS, vir de re litteraria aeque ac medica inſigniter meritus poſtque mortem omni laude digniſſimus.

Quo acrior vero *Noſtri* erat induſtria, eo maius virium ſanitatisque perſentiſcebat diſpendium. Aeris itaque ſolique mutandi auctores ſuaſoresque ipſi erant nonnulli medici: quo fiebat, vt anno huius ſeculi ſecundo Lemgouiam abiret ibique, commendante FRANCKIO, in collegio ibi ſtabilito adoleſcentulis illuſtriſſimis, quae in eo ingenue educabantur, praeceptor atque magiſter virtutis verique ſacrorum cultus praefigeretur. Poſt breue autem tempus locum hunc, non tamen munus ſibi creditum, mutabat. Poſt obitum enim DOROTHEAE ELISABETHAE, Comitis Lippienſis *de*

Brack, natae Comitis Waldeccenſis, quae hunc conuentum condiderat, vi teſtamenti ab hac comite facti, adoleſcentulae comites in alium conuentum, in quo generoſae quaedam virgines educabantur, Schackenſem ſcilicet in Waldeccia, ducebantur, quippe cui CHARLOTTA SOPHIA, illius defunctae ſoror, praeerat Abbatiſſa, cuiusque curae iam dictae adoleſcentulae comites ſimul tradebantur. Per tres annos hic commorabatur, reliquum ab officiis tempus arti medicae, cuius ſemper amantiſſimus permanſerat, addiſcendae tribuens. Quamuis enim theologico ſtudio ſimul mirifice delectaretur, adeo vt ſermones ſacros ex ſuggeſtu publico ſaepius haberet: propenſio tamen in artem ſalutarem excolendam praeualebat; cui etiam eo facilius ſatis facere poterat, quo largiorem et conſiliorum et librorum copiam ipſi ſuppeditabat dexterrimus medicus, WESTHOFIVS, qui concioni illi illuſtriſſimae à ſanitatis cura erat. Poſt annum vero ſeculi huius ſextum voluntati ſuae liberius indulgere poterat. Illo enim, cui hactenus intererat, collegio prorſus diſſoluto, poſt breuem moram in orphanotropheo Pyrmontano actam, Halam ſe recipiebat. Paulo vero poſt in Erfordienſem academiam ſe conferebat animumque nunc totum, parentibus eum tandem approbantibus, ad artem ſalutarem applicabat. Profeſſorum tamen medicorum ſcholas non frequentabat, ſed priuatam tantum operam, ſummo tamen adhibito ſtudio multaque cura, illi excolendae dabat. Chemiae potiſſimum illecebris allectus, plurimum ei excolendae tribuebat temporis, optimi, quo et poſtea pauci ſuperiores fuere, chemici, STAHLII, principia ſecutus. Attamen non chemiae tantum, ſed vniuerſae prorſus medicinae diſciplinis, quales tradere ſolebat STAHLIVS, quam maxime delectatus eas ita inueſtigabat ſuasque faciebat, vt illis vnis ſeſe addixiſſe dici poſſet; id, quod libri vix

non

non omnes ab ipſo editi ſatis ſuperque teſtantur. Anno deinde, et quod excurrebat, elapſo, medicinam ipſe nunc facere conſtituens, in comitatum Wittgenſteinenſem ſecedebat ibique per quatuor annos aegrorum, ipſius auxilium implorantium, curam in ſe ſuſcipiebat. Ibbenburae deinde, quod oppidum in comitatu Lingenſi ſitum eſt, per alios quinque annos cum inſigni ſucceſſu vacabat praxi medicae ampliſſimae. Quo tempore etiam augendae eruditionis gratia iter faciebat per foederati Belgii prouincias, inuiſebat academias, ibique per aliquot menſes commorbatur, conſuetudine doctiſſimorum virorum, inprimis medici illius fama ſatis clari, DIPPELII, vſus, a quo in re medica quidem percepiſſe fructum, cuius vero ſingularem circa religionis vſum doctrinam prorſus ſe auerſatum fuiſſe ſaepius teſtatus fuit. Anno denique ſeculi decimo ſexto Halam denuo reuerſus, ſequenti anno poſt orphanotrophei Regiique paedagogii medicus ordinarius conſtituebatur. Ab amicis huc vſque nondum commoueri potuerat, vt Doctoris titulum atque honores, quibus tamen ab omnibus iudicabatur eſſe digniſſimus, petere vellet. Muneris nunc vero, quod ipſi demandatum erat, ratio ita ſe habebat, vt gradum academicum diutius renuere non poſſet, praſertim cum lectiones medicas publice in academia Halenſi habiturum ſe eſſe inpoſterum declaraſſet. Ab eadem igitur academia Doctoris Medici honores atque iura conſequebatur anno ſeculi decimo octauo, inaugurali ſua diſſertatione *de medicina quadam efficaci in motibus naturae exacerbatis* multo cum applauſu defenſa.

Permultis nunc obrutus erat laboribus, ita vt mirum videatur, quo modo iis perficiendis omnibus par eſſe potuerit. Scholas enim medicas non aperiebat ſolum, quumque ſtudioſorum frequentia doctoris animum induſtriamque excitaret, eas ſedulo

et ſine intermiſſione continuabat, ſed ampliſſimam quoque nanciſcebatur praxin, aegris numeroſiſſimis tum praeſentibus, tum exteris, auxilium eius atque conſilia rogantibus. In primis commemorari omnino videtur illud omni laude digniſſimum b. FRANCKII ſupra iam laudati inſtitutum, quo pauperibus cum Halae, tum in vicinia, degentibus, ſi aegrotarent, concedebatur poteſtas cum adeundi et conſulendi medicum orphanotropheo propoſitum, tum remedia, quae is praeſcriberet, ex pharmacopoea ad eandem domum condita, gratis accipiendi. Quamuis autem vnius hominis vires prorſus ſuperaret hic labor: ita tamen eum exſequebatur *Noſter*, vt determinatis quibusdam horis admitteret hos aegros, coram aliquot medicinae candidatis in eorum valetudinem inquireret hisque ipſis id officii traderet, vt, ſi neceſſe eſſet, illos aegros inuiſerent et de sii ad ipſum deinde referrent. Qua igitur ratione et muneri ſuo ſatis faciebat, et artis tironibus ſuppeditabat occaſionem diſcendi modum, quo curam aegrotantium gerere deberent. Inſigni quoque laborum ſuorum ſucceſſu gaudebat tantamque conſequebatur famam, vt ad permultos principes, quibus conſuleret aegrotantibus, auocaretur, inter quos vnum modo nominare iam fas erit. Potentiſſimum Daniae nimirum Regem, qui bis eum inuitauerat Hafniam prima vice anno ſeculi vigeſimo nono, vt Regio Principi aegrotanti conſiliis ſuccurreret, altera vero ſequenti anno poſt, vt cum aulae Danicae medicis conferret, quomodo infirma ipſius Regis valetudo confirmari poſſet. Hanc quoque apud Regem inibat gratiam, vt is locum inter ſuos archiatros cum magnifico ſtipendio ipſi offerret, quem vero renuere malebat, quam pauperes ſibi creditos Halenſes derelinquere. Praeter hos vero iam recenſitos labores practicos omne ab iis tempus vacuum muſeo dabat, GEORGII ERNESTI STAHLII,

medici

medici poſt fata quoque celeberrimi, ſcripta inprimis perluſtrabat illumque virum prae aliis ſibi deoptabat et praeceptorem et patronum, ideoque, cum illo, in aula Berolinenſi iam degente, perpetuum habebat litterarum commercium, etſi eius olim intereſſe lectionibus academicis numquam potuerat. Ad ipſius quoque mentem nonnullos exarabat libros medicos, quos in plurimorum, qui noſtros legant commentarios, manibus eſſe putamus paulo infra a nobis enarrandos, e quibus et *Noſtri* indefeſſus labor ordoque ſatis aptus apparet, quo magiſtri artem docere queant tirones et quo hi ipſi artem deinde diſcant applicare; licet id quidem concedamus, haud paucos fore, qui inprimis quod artis theoriam attinet, ipſius ſententiis non ſemper ſubſcripturi ſint.

Fieri itaque non poterat, quin *Noſtri* ſtudium atque induſtria remuneraretur. Anno itaque ſeculi trigeſimo ab academiae Halenſis proceribus, ipſo non rogante, commendabatur Boruſſorum Regi, cui profeſſoris medicinae ordinarii munus demandaretur. Confirmabat quoque hanc academiae voluntatem Rex illudque munus in *Noſtrum* conferebat, quo is etiam ad mortem vsque ſtrenue et pro omnibus viribus perfunctus fuit, donec tandem ſenio atque laborum copia confectus anno ſeculi quinquageſimo nono die octobris vigeſimo quinto viuere potius deſineret, quam moreretur, maraſmo, qui nobis dici ſolet, ſenili extinctus, viri pii, laborioſiſſimi, benefici aliisque inſeruiendi ſtudioſiſſimi, laudem conſecutus atque meritus.

Matrimonium ter inierat *Noſter:* prima vice anno ſeculi ſeptimo die trigeſimo maii, in palatio Berleburgenſi, cum Celſiſſima conuentus Schackenſis Abbatiſſa, iam ſupra commemorata, CHARLOTTA SOPHIA, Waldecciae et Pyrmontii Comite, CHRISTIANI LVDOVICI, S. R. I. Comitis, filia.

 Qua

Qua coniuge anno vigeſimo tertio pie defuncta, poſt biennium ſecundas nuptias celebrauit cum IOANNA ELISABETHA, Conſultiſſimi Haſſo-Darmſtadini Iaegersburgenſis Praetoris, LICHTENBERGII, filia, ex qua filiam ſuſcepit, PHILIPPINAM LOVISAM, Viro Perilluſtri, S. R. I. Baroni DE GARTENBERG, a Potentiſſimo Poloniarum Rege ſupremi rerum metallicarum collegii Dresdenſis conſtituto Praeſidi Vicario, nuptam. Mater autem filiam hanc enixa, ſexto die poſt obiens *Noſtrum* altera vice reddebat viduum. Amicorum autem hortatu commotus ad tertia vota tranſiit anno ſeculi vigeſimo ſeptimo et Generoſiſſimam CHRISTIANAM ELEONORAM, PHILIPPI GVILIELMI de BOMSDORF, Potentiſſimi Poloniarum Regis legionis peditum tribuni, filiam, in matrimonium duxit, quae ipſi quinque liberos quidem peperit, ex quibus vnum tamen modo filium reliquit ſuperſtitem, FRIDERICVM ſcilicet CHRISTIANVM, Philoſophiae et Medicinae Doctorem huiusque in Academia Halenſi Profeſſorem Ordinarium et orphanotrophei regiique paedagogii medicum, Hafniae anno ſeculi trigeſimo die maii decimo tertio natum, cum in Daniam iter ſuſcepiſſet pater iamque in eo eſſet, vt reditum pararet; qui filius ipſi tum temporis et poſtea gaudio, et ſenectute ingraueſcente, ſolatio fuit et adiumento.

Index librorum a IOANNE IVNCKERO editorum.

Conſpectus medicinae theoretico-practicae tabulis CXXXVII omnes primarios morbos methodo Stahliana tractandos exhibens, cum praefatione STAHLII. Halae Editio prima 1718, ſecunda 1724, tertia 1734, quarta 1750. 4.

Conſpectus

Conſpectus chirurgiae tam medicae methodo Stahliana conſcriptae, quam inſtrumentalis recentiſſimorum auctorum ductu collectae, quae ſingula tabulis CIII exhibentur. ibid. Editio prima 1721, ſecunda 1731. 4.

Germanice verſus hic liber quoque prodiit ita inſcriptus: Chirurgie, worinn alles, was zur Wundarzney gehöret, ſowohl die wahren Grundſätze, als auch die chirurgiſchen Operationes abgehandelt werden. ibid. *Erſte Auflage* 1722. *zweyte Auflage* 1744.

Conſpectus formularum medicarum exhibens tabulis XVI tam methodum rationalem, quam remediorum ſpecimina, ex praxi Stahliana potiſſimum deſumta, et therapiae generali accommodata. Halae. Editio prima 1723, ſecunda 1730, tertia 1739, quarta 1753. 4.

Conſpectus therapiae generalis cum notis in materiam medicam tabulis XX methodo Stahliana conſcriptus. ibid. Editio prima 1725, ſecunda 1736. 4.

Conſpectus chemiae theoretico-practicae in forma tabularum repraeſentatus, in quibus phyſica, praeſertim ſubterranea, et corporum naturalium principia, habitus inter ſe, proprietates, vires et vſus itemque praecipua chemiae pharmaceuticae et mechanicae fundamenta e dogmatibus BECCHERI et STAHLII potiſſimum explicantur, eorundemque et aliorum celebrium chemicorum experimentis ſtabiliuntur. Tom. Prior. ibid. Editio prima 1730, ſecunda 1744. 4.

Alter huius libri tomus prodiit. ibid. 1738. 4.

Hunc librum in linguam teutonicam non ſolum tranſtulit Cl. LANGE, *ſed etiam tabula de acido vniuerſali volatili, aliisque additamentis, ſuffragante* b. IVNCKERO *auxit, ediditque ſub hoc indice: Vollſtändige Abhandlung der Chemie nach ihrem Lehrbegrif und der Ausübung, darinn die Naturlehre, beſonders von den Mineralien, der natürlichen Körper erſte*

Beſtandtheile, Verhalten gegen einander, Eigenſchaften, Kräfte und Gebrauch, zur wohlgegründeten und nützlichen Anwendung in der Apotheckerkunſt, andern Künſten und Handwerken, der Hauswirthſchaft und gemeinen Leben ausgeführet und mit vielen Erfahrungen beſtätiget worden. ibid. *Erſter Theil* 1749, *zweyter Theil* 1750, *dritter Theil* 1753. 4.

Gallice quoque hic liber in compendii formam redactus prodiit : Elémens de Chymie ſuivant les principes de BECKER et de STAHL, traduits du Latin ſur la ſeconde Edition de M. JUNCKER, avec des Notes par M. DE MACHY. à Paris, 1757. 12. Voll. 6.

Conſpectus phyſiologiae medicae et hygienes in forma tabularum repraeſentatus et ad dogmata Stahliana potiſſimum adornatus. Halae, 1735. 4.

Conſpectus pathologiae ad dogmata Stahliana praecipue adornatae et ſemeiologiae potiſſimum Hippocratico - Galenicae in forma tabularum repraeſentatus. ibid. 1736. 4.

IOANNIS IVNCKERI inſtitutiones phyſiologiae et pathologiae medicae, quas e prolixioribus ſcriptis excerpſit THEODORVS CHRISTOPHORVS VRSINVS. Halae, 1745.

Nonnulla quoque aliorum virorum ſcripta vel edenda curauit, vel ad ea praefatus eſt. IOH. DAN. GOHLII *Gedanken über den von Vorurtheilen kranken Verſtand, beſonders in der Materie von den* ſpiritibus animalibus, *zum Druck befördert durch* D. IOH. IVNCKER. *Halle,* 1733. 8.

IOH. PAVL FRIEDELS *philoſophiſche Gartengeſellſchaft oder heilſame Betrachtung des Buchs der Natur, zur Erkenntniß und Vermehrung des Schöpfers in* XXIX Aſſembléen *angeſtellet. Mit einer Vorrede* D. IOH. IVNCKERS. ibid. 1735. 8.

GEORGII

GEORGII ERN. STAHLII theoria medica vera etc. Editio altera correctior cum praefatione IO. IVNCKERI. ibid. 1737. 4.

Praeter haec indicata ſcripta, proſtant quoque diſſertationes academicae CXXXVII ſub b. IVNCKERI praeſidio habitae. Cum vero neſciamus, num is harum omnium auctor fuerit? an quaedam ab ipſis *Reſpondentibus*, quorum haud paucos in diſſertationum fronte auctores ſimul nominatos legimus, conſcriptae ſint; omnes iam ſilentio tranſire conſultius duximus, ſpatii inſuper opportunitate iam excluſi. Catalogum interim illarum cui perluſtrare libet, eum ad Programma academicum, quo Cl. GEORG. FRIDER. MEIER, Philoſoph. Prof. P. Ord. tunc temporis Academiae Prorector, ad exſequiarum beati viri ſollemnia inuitatus fuit, remittimus.

XV.

Index ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1759 prodierunt.

Auserleſene mediciniſche chirurgiſche anatomiſche chymiſche und botaniſche Abhandlungen der Römiſch-Kayſerlichen Akademie der Naturforſcher aus dem Lateiniſchen überſetzt. Sechſter und Siebenter Theil. Nürnberg, 4. *m. K.* Voll. 2.

Hiſtoire de l'Academie Royale des Sciences. Année 1754. Avec les Mémoires de Mathématique et de Phyſique pour la même Année, tirés des Regiſtres de cette Academie. à Paris, 4 mai. c. f.

Hiſtoire et Mémoires de l'Academie Royale des Sciences de Paris, pour l'année 1751. à Amſterdam. 12. c. f. Voll. 3.

Phyſiſche Abhandlungen der Königlichen Akademie der Wiſſenſchaften in Paris, 13*ter Theil; aus dem fran-*

zöſiſchen überſetz von W. B. A. VON STEINWEHR. *Breslau.* 8 mai. c. f.

Abhandlungen der Königlichen Akademie der Chirurgie, aus dem Franzöſiſchen überſetzt von IOH. ERNST GREDING. *3ter Band. Altenburg,* 4 m c. f.

Recueil des Pieces, qui ont concouru pour le Prix de l' Academie Royale de Chirurgie. Tome III. à Paris, 4 mai.

Philoſophical Transactions, giving ſome Account of the preſent Undertakings, Studies and Labours of the Ingenious in many conſiderable Parts of the World. Vol. L. Part. II. for the Year 1758. London, 4. c. f.

Transactions Philoſophiques de la Société Royale de Londres, traduits par Mr. DEMOURS. Années 1737, 1738, 1739, 1740. à Paris, 4. c f. Voll. 2.

Der Königlich Schwediſchen Akademie der Wiſſenſchaften, Abhandlungen aus der Naturlehre, Haushaltungskunſt und Mechanik auf das Jahr 1757, *aus dem Schwediſchen überſetzt von* ABRAHAM GOTTHELF KAESTNER. *19ter Band, Hamburg und Leipzig,* 8. c. f.

Hiſtoire de l'Academie Royale des Sciences et Belles Lettres. Année 1757. à Berlin, 4. c f.

Miſcellanea philoſophico - mathematica ſocietatis priuatae Taurinenſis. Tomus Primus. Auguſtae Taurinorum, 4. c. f.

Mediciniſche Bemerkungen und Unterſuchungen einer Geſellſchaft von Aerzten in London. Erſter Band. Aus dem Engliſchen nach der zweyten verbeſſerten Ausgabe überſetzt; mit Kupfern. Altenburg, 8.

Eſſais de la Société de Dublin, traduits de l' Anglois par M. THEBAULT. à Paris, 12.

Memoires de Mathematique et de Phyſique, rédigés à l' Obſervatoire de Marſeille. à Avignon, 4.

Journal Oeconomique, ou Memoires, Notes et Avis ſur les Arts, l' Agriculture, Commerce et

tout

tout ce qui peut y avoir rapport, pour l'Année 1759. Parties XII. à Paris, 8.

Excerptum totius Italicae, nec non Helueticae litteraturae. Annus 1759. Tom. I et II. Bernae, 8.

Allgemeines Magazin der Natur, Kunſt und Wiſſenſchaften. 10ter Theil. Leipzig, 8 mai.

Danmarks og Norges Oeconomiske Magazin etc. III Bind. Kioebenhavn. 4.

Oekonomiſche Gedanken zu weitern Nachdenken eröfnet aus dem Däniſchen überſetzt von C. G. MENGEL *5, 6, 7, 8, 9, und 10tes Stück, Kopenhagen und Leipzig.* (Hae partes nunc in vnum ſunt collectae volumen et ſequens praefixa eſt inſcriptio: *Kopenhagener Magazin von Oeconomiſchen Cameral-Policey-Handlungs-Manufactur-und Bergwerksgeſetzen, Schriften und kleinen Abhandlungen, welche die Königl. Däniſchen Reiche und Länder betreffen. Erſter Band. Geſammlet und überſetzt von* CHRISTIAN GOTTLOB MENGEL, *Kopenh. und Leipzig,* 8.

Dresdniſches Magazin, oder Ausarbeitungen und Nachrichten zum Behuf der Naturlehre, der Arzneykunſt, der Sitten und der ſchönen Wiſſenſchaften. Erſter Band. Dreßden. 8.

Hamburgiſches Magazin der geſammleten Schriften aus der Naturforſchung und den angenehmen Wiſſenſchaften überhaupt. 22ter Band. Hamburg und Leipzig, 8.

Phyſicaliſch-oeconomiſche Auszüge aus den neueſten und beſten Schriften, die zur Naturlehre, Haushaltungskunſt, Policey-Cameral und andern damit verwandten Wiſſenſchaften gehören mit untermiſchten ganz neuen Abhandlungen und Zuſätzen durch gemeinſchaftlichen Fleiß ausgearbeitet. Erſten Bandes, 3 *und* 4*tes Stück. Stuttgard.* 8.

Oeconomiſche phyſicaliſche Abhandlungen. 15*ter Theil. Leipzig,* 8.

Der Phyſicaliſche und oekonomiſche Patriot; oder Bemerkungen und Nachrichten aus der Naturhiſtorie

der

der allgemeinen Haushaltungskunſt und der Handlungs-Wiſſenſchaften, 4ter Band, oder des 4ten Jahres, 1-4tes Quartal, Hamburg und Leipzig, 4.

Neue geſellſchaftliche Erzählungen für die Liebhaber der Naturlehre, der Haushaltungswiſſenſchaft, der Arzneykunſt und der Sitten. 2ter Theil. ibid. 8 m. c. f.

Fränkiſche Sammlungen von Anmerkungen aus der Naturlehre, Arzneygelahrheit, Oekonomie und den damit verwandten Wiſſenſchaften, 22, 23, 24 Stück, (womit der 4te Band beſchloſſen). Nürnberg, 8.

Bremiſches Magazin zur Ausbreitung der Wiſſenſchaften, Künſte und Tugend. Des 3ten Bandes, 2 und 3tes Stück. Bremen, 8.

Der Herzogthümer Bremen und Verden zur Erläuterung der politiſchen Kirchen- Gelehrten und Natur-Geſchichte. 3te Sammlung ibid. 8.

Allgemeine Haushaltungs- und Land- Wiſſenſchaft, aus den ſicherſten und neueſten Erfahrungen und Entdeckungen geprüfet und in Ausübung gebracht von einer ökonomiſchen Geſelſchaft in England. Hamburg nnd Leipzig, 8 mai. (Germanice verſum hunc librum in lucem edidit, PETRVS L. Baro ab HOHENTHAL.)

Kurze aus ſelbſt eigner Uebung in dem Königreich Böheim und Marggrafthum Mähren erkundigte und zu mehr nützlicher Emporbringung der Landwirthſchaft verabfaßte gründliche Anmerkungen. Wien. 8.

Hiſtoire générale des Voyages, ou nouvelle Collection de toutes les Relations des Voyages par Mer et par Terre, qui ont été publiées jusqu' à préſent dans les differentes langues de toutes les Nations connues, contenant ce qu'il y a de plus remarquable — — touchant leur Situation — leur Climat, leur Terroir, leurs Productions — leurs Montagnes, leurs Mines —: enrichi de Cartes geographiques — — de figures d'animaux, de vegetaux. Tome 15, à Paris, 4.

Allge-

Allgemeine Hiſtorie der Reiſen zu Waſſer und Lande; oder Sammlung aller Reiſebeſchreibungen durch alle vier Theile der Welt. 17ter *Band. Leipzig*, 4 mai. *mit Kupfern.*

Queſtions relatives à l' Agriculture et à la nature des Plantes. à la Haye, 12.

Ackerbauſchule. Aus dem Franzöſiſchen überſetzt. Leipzig, 8.

Traité ſur le Connoiſſance et la Culture des Jacintes par l' Auteur du Traité des Renoncules, à Paris.

Wirthſchaftliche und rechtliche Abhandlung von dem Hopfen, nebſt IOH. HEYMANNS *hiſtoriſchen Vorberichte von der Kräuterkenntniſs der alten Deutſchen, wie auch deſſelben Ueberſetzung der vom Herrn R.* BRADLEY *in engliſcher Sprache herausgegebenen Abhandlung von dem Reichthum eines Hopfengartens. Nürnberg*, 4.

Kurze Anweiſung zu Sprengung feſter Steinfelſen in Bergwerken, Feldern, Straſsen, Flüſsen und Steinbrüchen. Eiſenach, 8. *m. K.*

Ganz natürliches Zauber-Lexicon, welches das nöthigſte, nützlichſte und angenehmſte in allen realen Wiſſenſchaften überhaupt und beſonders in der Naturlehre, Mathematick, der Haushaltungskunſt und natürlichen Zauberkunſt und aller andern, vornehmlich auch curieuſer Künſte beſchreibet. Ulm, gr. 8.

Beyträge zu microſcopiſchen Beobachtungen und Anſtalten. Nürnberg, 8. *m. K.*

Beyträge zu den Beobachtungen derer Saamenthiergen und Kleiſter-Aale gehörig. ibid. 8.

Donnernder Buſswecker, darinnen gezeiget wird, woher der Donner, Blitz, Hagel und Erdbeben entſtehen u. ſ. w. Frankf. und Leipzig, 8.

Der Arzt. Eine mediciniſche Wochenſchrift. 1 *und* 2*ter Theil. Hamburg*, 8 mai.

Reliqua proxime.

Contenta

Contenta in hac parte.

1. Noui Commentarii Academiae ſcientiarum Imperialis Petropolitanae. Tom. III et IV p. 195
2. SCHAEFFERS *Gichtſchwamm mit grünſchleimichtem Hute* p. 229
3. ROYER Spec. Phyſiol. de perpetua fibrarum muſcularium palpitatione p. 234
4. Letter of the malignant Sore-throat p. 238
5. REIMARI *Betrachtungen über die Triebe der Thiere* p. 240
6. Hiſtoire naturelle generale et particuliere avec la Deſcription du Cabinet du Roi. Tom. VII p. 257
7. V. HALLER Elementa phyſiologiae corporis humani. Tom. II p. 265
8. GOOCH Caſes and practical Remarks in Surgery p. 303
9. Nuova Raccolta d'opuſcoli ſcientifici e filologici. Tomo I. II. III. IV p. 314
10. KÜRSCHNER Diſſ. de fonte medicato Caſtenacenſi p. 326
11. PLVMIERII Plantarum americanarum Faſciculus IX et X p. 331
12. DE HAEN Theſes pathologicae de Haemorrhoidibus p. 336
13. GRONOVII Bibliotheca regni animalis atque lapidei p. 341
14. Noua phyſico-medica p. 344
15. Index ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1759 prodierunt p. 361

Praemo-

Praemonitum ad Lectores.

Decem fere nunc elapſi ſunt anni, ex quo commentarios noſtros edere coepimus. Quantum in nobis quidem fuit, omnem in recenſendis libris colligendisque nouis litterariis adhibuimus fidem atque induſtriam. Tantum tamen abeſt, vt arrogantia quadam elati, labores noſtros omni emendatione maiores omnique errore liberos eſſe putemus; vt nonnulla potius eſſe nosmet ipſi fateamur, quae vel addita, vel aliter dicta aut emendata, malimus. Duo inprimis, quae deſiderari forte queant, adhuc ſupereſſe arbitramur; vnum, quod libri aliquot, hoc temporis ſpatio editi, cum grauioris argumenti, tum alias ob cauſſas notatu explicatuque digniores viſi, a nobis fuerint omiſſi; alterum, quod in librorum quolibet anno prodeuntium indices, quos collegimus, plurimi irrepſerint errores, saepius inde ortos, quod illorum, qui tum temporis certe ad manus noſtras nondum peruenerant, titulos ex ephemeridibus litterariis deſcribere coacti, vel mancos, vel praeſertim quoad editionis annum in libri fronte obuium, plane falſos ſaepius ibi obuenerimus; id, quod deinde, poſtquam libros inſpiciendi copiam nacti fueramus, indignabundi deteximus. Vt hiſce igitur querelis, inde contra nos a nonnullis forte mouendis, obueniamus, noſtrosque inſuper labores, quantum demum fieri poterit, lectoribus reddamus et gratiores et vtiliores, hoc cepimus conſilium, quo, decimo commentariorum volumine finito, nouum, quod ordine erit vndecimum, edamus, in quo, ſupplementi loco, grauiorum, a nobis vero nondum expoſitorum, librorum rationem adhuc dare, et indices vniuerſales et illuſtrium auctorum, et ſcriptorum ab iis editorum, et fatorum, et rerum deni-

denique ad ipſam ſcientiam naturalem et medicinam pertinentium, vel, vt breuibus rem dicamus, omnium in decem his voluminibus a nobis enarratorum, iamque in ſuas claſſes redactorum, ſummam exhibere velimus, additis ſub finem erroribus, quos paſſim, cum in librorum catalogis, tum in ipſius operis articulis, inuenimus nosmet ipſi. Quo autem hunc finem eo certius conſequamur lectoribusque noſtram ipſis inſeruiendi voluntatem magis magisque ſignificemus, eos hac ſchedula rogatos cupimus, velint, ſi qua forte falſa vel animaduerſione et emendatione tantum digna in decem his commentariorum voluminibus deprehenderint, haec ab ipſis forſan collecta monita intra anni tempus nobiſcum communicare, quo in illum, quem edituros nos eſſe iam diximus, tomum vndecimum ſuis quaelibet iſta locis inſerere queamus.

COMMENTARII DE REBVS IN SCIENTIA NATVRALI ET MEDICINA GESTIS.



VOLVMINIS IX. PARS III.

LIPSIAE MDCCLXI.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.
Venduntur etiam
Amſtelodami apud I. Schreuder et P. Mortier iun. Londini apud C. G. Seyffert, Pariſiis apud Briaſſon, Patauii apud I. Manfré, Venetiis in B. Albrizzi et S. Coleti officinis, Romae apud Venant. Monaldini.

I.

Hiſtoire de l'Academie Royale des Sciences. Année MDCCLIV. Avec les Mémoires de Mathematique et de Phyſique pour la même année, tirés de Regiſtres de cette Academie. A Paris, de l'Inprimerie Royale. MDCCLIX. 4. Hiſt. 1 Alph. Mém. 3 Alph. 19½ pl. 21 Tab. aen.

h. e.

Hiſtoria Academiae regiae ſcientiarum Pariſinae ad annum 1754. cum Commentariis mathematicis ac phyſicis.

Antequam ad hos commentarios enarrandos nos accingamus, nonnulla ex *Hiſtoria* Academiae delibanda nobis ſunt. Inter haec primo occurrunt *Obſeruationes ad phyſicam generalem ſpectantes* octo.

Prima eſt de ignibus, qui ſponte ſua nati ſunt p. 28.
in ſuperficie quorundam corporum, praecipue tectorum ſtramineorum, et ſepium ex arundine factorum, in locis quibusdam agri *Taruiſini*. Per

ver atque aeſtatem obſeruati ſunt, ſed tantum ſub dio, variis diei noctisue horis, tempeſtate etiam ventoſa et pluuioſa. Praeceſſit illos fere ſemper gallorum cantus, canum vlulatus, et fortis odor ſulphuris, quo illa loca abundant.

Secundo narratur, REAUMURIUM Academiae monſtraſſe nidum auis petrefactum, in Saxonia noſtra repertum; quod ob corporum vere petrefactorum raritatem dignum viſum eſt memoria.

Tertio, Idem monſtrauit, et tanquam opus mirae diligentiae et induſtriae laudauit, taeniam praelongam, de folliculo bombycis euolutam.

Quarto vidit academia rarum in piſcium genere monſtrum, duo piſciculos ventribus iunctos.

Quinta obſeruatio eſt de quadam ſublimatione hydrargyri in barometro ſimplici, quae in conclaui per hiemem raro et modice calefacto contigit. Nempe in parte vacua tubi aſcenderant globuli, nudis oculis haud conſpicui, innumerabili multitudine, qui anteriori praeſertim parti tubi adhaerebant, et vitrum ibi opacum reddebant. Et quanquam hi globuli per ſuccuſſiones tubi tollebantur, tamen poſt octiduum nouae maculae ſimiles ibidem rurſus conſpiciebantur. Idem in alio barometro admodum phoſphoro obſeruatum eſt. Vtrum detur hydrargyrus, qui tam modico caloris gradu ſublimari poſſit, an huius phaenomeni ſingularis cauſſa quaerenda ſit in attractione vitri, per ambeuntem aerem electrificati, Academia in dubio relinquit.

Sexta eſt de halone ſeu corona circa Solem viſa.

Septima, de lapide bezoardico orientali, ob magnitudinem, quae oui ſtruthio-cameli magnitudinem aequat, notabili, qui in capra ſilueſtri repertus dicitur.

Vltima, de fonte, qui ſub finem aeſtatis noctu multo plus aquae, quam interdiu, effundit.

His

His obſeruationibus ſubiungitur recenſio libri, cui titulus eſt: *Experiences phyſico-méchaniques* etc. *traduites de l'Anglois de Mr.* HAUKSBEE *par feu M. de* BREMOND etc.

Sequuntur *obſeruationes anatomicae*, quarum prima haec eſt. Ex tumore magno, adhaerenti ad collum infantis, et, dum infans in lucem edebatur, disrupto, effluxerant, praeter magnam ſanguinis copiam, plurima fruſta cartilaginum atque oſſium. Admiratio rei effecit, vt ſaccus ille, infante poſt horam mortuo, cultro anatomico ſubiiceretur. Parietes eius erant ex prolongata cute; in medio reperiebantur oſſa, quorum inordinata ſtrues baſin cranii male conformatam referebat; prope pedunculum autem, qui ſaccum cum collo infantis iungebat, corpora haerebant membranoſa, teretia, contorta, aerem inflatum admittentia, paruis inteſtinis plane ſimilia. Hunc tumorem nutriuerant vaſa diſtincta admodum, quorum alia erant arteriae ex carotide laeua, alia venae ex ſubclauia ſiniſtra oriundae. p. 62.

Secunda obſeruatio. Virgo, annos nata vndeuiginti, iugulabatur febri putrida, in qua effluxus puris ex aure dextra, cum vehementi capitis dolore, notabilis viſus erat. Poſt eius obitum inſtituta ſectio capitis monſtrabat in cerebro, cuius ſubſtantia in hemiſphaerio dextro flaua, et conſiſtentia alterata, apparebat, tumorem cyſticum oui gallinacei magnitudine, mollem, puris flaui plenum. Dextrum os temporis erat carioſum in parte interna inferiore, et in angulo, quem cum oſſe petroſo format, caries excauauerat ſulcum, per quem materies purulenta defluxerat in cellulas apophyſis mammillaris, vnde in cauitatem tympani delata, et per meatum auditorium egreſſa erat.

Tertia obſeruatio. Ex equae ventre cum vermibus expulſi ſunt hippolithi permagno numero, in quorum ſingulorum medio fuit granum plumbi.

Quarta ad hiſtoriam naturalem elephantorum ſpectantia varia tradit ex epiſtola de elephanto, qui *Neapoli* alebatur, a Conſule gallico, ibidem degenti, ſcripta. Ratio etiam eum alendi, et regendi, hic deſcripta legitur.

p. 70. In *quinta* Cl. LIEUTAUD mentionem facit feminae, quae tumorem habuit in ea regione colli, vbi glandula thyreoidea ſita eſt, qui, quum per decem annos exiguus fuiſſet, et vix moleſtus, tandem per ſex vltimos vitae menſes ſubitaneum incrementum cepit, reſpirationem moleſtam reddidit, nullisque topicis, neque aliis remediis ceſſit. Quam aegram quum repentina mors inter confabulandum cum aequalibus proſtrauiſſet, vidit Vir Cl. in arteria aſpera huius feminae ſub larynge fluctuans corpus membranoſum albidum, irregularis figurae, internae ſuperficiei arteriae aſperae lata baſi affixum; in diſſecta autem glandula thyreoidea reperit ſaccum, malum aurantium capientem, aqua limpida tumidum, et praeterea continentem plurimas cyſtides minores, aquae inſipidae plenas, ſphaericas; quibus facile, quum leuiter adhaererent, exemtis, vidit cartilagines tracheae ea in parte, qua ſaccus iſte ipſis contiguus erat, deſtructas, ita vt ibi arteria aſpera pertuſa eſſet foramine circulari, cuius diameter dimidium fere pollicem aequabat, et quod hydatides ſimiles iſtis in ſacco contentis, ſed vacuae, replebant. Hae corpori iſti, in arteria aſpera fluctuanti, continuae erant. Effuſio liquoris ex his hydatidibus in arteriam aſperam cauſſa repentinae mortis fuiſſe videtur: niſi forte a corpore illo membranoſo, laryngi per vocem, aut ineptam colli poſituram, praetenſo, ſubitanea ſuffocatio effecta eſt. Vtcunque ſit, hoc notatu dignum haec docet obſer-

obſeruatio, poſſe vaſorum lymphaticorum dilatatione cartilagines deſtrui, quemadmodum in aneurysmate idem vaſorum ſanguiferorum expanſione accidit. Ab eodem Cl. LIEUTAUD in alio cadauere verus polypus in trachea ſub larynge, et in alio polypus in ipſa larynge deprehenſus eſt.

Sexta obſeruatio continet ea, quae Cl. HERISSANT ex anatomia ſtruthiocameli de inteſtinis eius, muſculis pectoralibus, et ſterno notabilia didicit. Sternum in hac aue multo longius eſſe affirmat, quam ſecundum PERRAULT.

Proximum locum occupat recenſio libri de hippiatrica, cuius Auctor eſt LA FOSSE.

Obſeruatio chemica vnica hic habetur. Quum p. 86.
vas, in quo cobaltum fuerat repoſitum, et cuius orificium charta ſpiſſiore et charta tenui tectum fuerat, poſt viginti annos aperiretur: in chartae tenuis ſuperficie interna videbatur arbuſculum, licet in charta ſpiſſa, quae ſub tenui fuerat poſita, vix vlla impreſſio conſpici poſſet.

De re quoque *botanica* vna tantum obſeruatio p. 87.
eſt in hoc volumine, quae docet, ſquamas ſcillae non eſſe mera bulbi inuolucra, ſed continere germina, per quae planta multiplicari queat.

Inter *machinas atque inuenta*, quae Academia Pa- p. 139.
riſina approbauit, ſunt duo inſtrumenta, introducendis in pulmones vaporibus ſalutaribus apta.

Sub finem Hiſtoriae huius anni leguntur *elogia Chriſtiani* L. B. de WOLFF, *Martini* FOLKES, *Abrahami de* MOIURE, et Comitis D'ONSENBRAY, cui magnam nominis celebritatem conciliauerat muſeum, a praeparatis anatomicis, ſingularibus cor-

poribus naturalibus, et praeſertim machinis atque inſtrumentis omnis generis inſtructiſſimum, quod ipſe Academiae ſcientiarum Pariſienſi teſtamento legauit.

Pergimus ad ipſos commentarios phyſicos et mathematicos huius voluminis, quorum eſt

1) *De variis ſententiis ſuper quaeſtione, an mare glaciale arcticum traiici poſſit, et de ficta diuerſorum fluminum coniunctione* *. *Auctore Cl.* BUACHE.

p. 19. 2) *Cl.* GUETTARD *de ſtalactitis* **. Poſtquam Auctor varia de vſu huius vocabuli, eiusque ſynonymorum (*ſtalagmiae, ſtiriae*) apud veteres et recentiores auctores annotauit, monet, ſe hoc nomine compellare omnem materiem, quae ex aqua, in qua
p. 24. antea ſoluta et ſuſpenſa fuerat, ſe praecipitauit, et aliquam figuram ordinatam aſſumſit, ſiue libere, ſiue reſtricta per parietes ſeu terminos loci, in quo genita eſt. Quum autem, hac definitione admiſſa, pateat tot conſtitui poſſe ſpecies ſtalactitarum, quot materiae, diuerſae naturae, in aqua ſolui poſſunt: Auctor de illis tantum ſtalactitis agere conſtituit, qui *arenarii* et *calcarii* dici poſſunt. Et in hoc quidem commentario de ſolis arenariis exponit, initium capiens ab eis, qui in montibus prope *Stampas* reperiuntur. Hi montes fere toti ex arena compoſiti ſunt, inter quam ſtrata tamen diuerſa, parum profunda, extenſa ſunt. Primum conſtat humo, ſecundum vel marga, vel lapidibus calcariis, tertium ſilice fuſco, quartum turbinitis, quintum bolo ſubnigra, ſextum ſtalactitis, de quibus hic agitur. Quidam habent figuram globi, maiores ex permultis globorum ſegmentis compoſiti ſunt. Durities eorum varia

* Lectus d. 13 Nouemb. 1754.
** Lectus d. 24 Dec. 1754.

varia eſt; quidam digitis poſſunt conteri, ſed aeri diu expoſiti duriores euadunt. Veriſimile eſt, eos in cauis, quae aqua, in montis interiora penetrans, formauit in arenoſa montis materia, gigni, dum minima arenae granula, quae ſecum vehit aqua, ibi praecipitentur, adiuuantibus illorum concretionem particulis argillaceis vel bolaribus, quas aqua de ſtratis ſuperioribus abraſit, et quae vice glutinis fungi videntur. Similem ſtalactitarum geneſin Auctor in duabus aliis lapicidinis obſeruauit. Attamen glutine illo non omnino opus eſſe ad formandos ſtalactitas, colligit inde, quod illi etiam in locis repe-riuntur, vbi montes aliam ſtructuram habent, quam paullo antea deſcriptam, veluti prope *Bavillam*, vbi in ſuperficie fere terrae naſcuntur ſtalactitae, multo maiores iſtis, qui prope *Stampas* effodiuntur. Quum inter illos occurrant, ſtatuis vel figuris humanis imperfectis aliquatenus ſimiles: occaſionem inde arripit Auctor, notandi quosdam hiſtoriae naturalis amatores, qui cum ALDROVANDO foſſilibus omne fere pretium ſtatuunt ex ſimilitudine cum animalibus, vel parte aliqua corporis animalis aut humani, quam ſimilitudinem ſaepiſſime illis viuida nimis ipſorum phantaſia affingit, quique naturam ſibi perſuadent in formandis iſtis foſſilibus figuram perfectiſſimorum corporum affectare. Fieri etiam potuiſſe exiſtimat, vt conſpecta in aliquo campo eiusmodi lapidum figuratorum multitudo olim fabulae de ſatis aeuo Deucalionis hominibus originem daret.

3) *Obſeruationes aſtronomicae in inſula Mauritii ſeu Francica habitae a Cl. de* LACAILLE *anno* 1753*.

4) *Commentarii de ſtalactitis pars ſecunda Auctore* Cl. GUETTARD. Hic de ſtalactitis calcariis agitur. p. 57.

* Lectae d. 11 Maii 1754.

Primum horum lapidum exemplum petit Auctor a rupe, qua tectum eſt latus montis proxime *Meldas* verſus meridiem et orientem ſolem ſpectans. In faſtigio huius montis eſt ſcaturigo aquae. Mons ipſe conſtat ex ſaxo tenero et molli. Hunc aqua iſtius fontis, quum olim per decliue montis libere dimanaret, videtur ſoluiſſe, et ex huius aquae ſedimento, temporis progreſſu, natam eſſe illam rupem credibile eſt. Partes huius rupis non ſunt continuae, ſed multis cauernis et minuſculis et maiuſculis, interſtinctae, in quibus elegantes ramificationes, et columnae fere cylindricae, et papillae variarum figurarum, et quidquid in ſpecubus maioribus nonnullorum montium non ſine admiratione animaduerſum eſt, in paruo cernere licet. Ramificationes illae ſunt a plantis, per limum, quem aqua praedicti fontis generauit, incruſtatis, et tantum non omnes ſunt intus cauae, quoniam rami plantarum tandem putrefactione deſtructi ſunt. De hac rupe PERRAULT iam ſcripſerat in libro, cui titulum fecit, *de l'origine des fontaines:* ſed in eius narratione ac deſcriptione varia reprehendenda inuenit
p. 68. Cl. GUETTARD. Alterum exemplum ſtalactitarum calcariorum petit e *Monte martyrum* prope Lutecias Pariſiorum, vbi ſtalactitae reperiuntur in fiſſuris ſaxorum, ex quibus gypſum paratur. Ex horum ſaxorum externa ſuperficie effloreſcit puluis; et huic pulueri per aquam abrepto, et in fiſſuras delato, ſtalactitas illos originem debere exiſtimat. Repugnare quidem huic ſententiae videtur, quod hi ſtalactitae ab aqua forti facile ſoluantur, licet ipſorum illorum ſaxorum particulae in aqua forti illaeſae perſiſtant: ſed reſpondet Auctor, fieri poſſe, vt id, quod aqua ex iſtis ſaxis ſecum abſtulerit, ſuo alcali, per quod actionem acidi nitroſi impediri conſtat, priuetur, poſito videlicet, aquam eſſe acido
p. 71. quodam grauidam, quod ſeſe in ſolutione pulueris ſeu farinae ſupra memoratae cum ſale alcalino huius

pulueris

pulueris coniungat, qua coniunctione ſeparatio materiae ſalinae ſaxi, a materie eiusdem calcinabili efficiatur. Hanc explicationem per examen chemicum aquae et ſaxi *montis martyrum*, quod ipſe adhuc inſtituere pollicetur, confirmatum iri confidit. Interim haud negat, ſimpliciorem explicationem haberi poſſe ex eo, quod inter ſaxa huius montis nonnulla ſtrata lapidum calcariorum obſeruata ſunt, qui ab aqua forti, magna ſaltim ex parte, ſolui poſſunt. Tranſit hinc ad genus ſtalactitarum, quod in ſpecubus et antris quorundam montium reperitur, et, quum ſatis durum ſit, vt polituram ferat, eisdemque venis, atque alabaſtrum, notatum ſit, et ad huius naturam prorſus accedat, pro alabaſtro haberi debet, ideoque ab IMPERATO (Hiſt. nat. L. 24. cap. 13. 14.) *alabaſtrum congelatum* dictum eſt. Verum inde monet, haudquaquam inferendum eſſe, quod omne alabaſtrum ſit ſtalactites, niſi antea demonſtretur, alabaſtrum vbicunque locorum ex aqua formari eodem modo, quo ſtalactites, neque ea etiam ratione generari, qua vulgares lapides, quorum ingentes maſſae in ſat magnis ſtratis reperiuntur. Porro, quia Cl. LINNAEVS ſtalactitas, quibus alabaſtrum originem debet, ſpatoſos eſſe affirmat, ſpatum autem omne an calcinabile ſit, nuper Cl. POTTIVS dubitauit, hac data occaſione ediſſerit Auctor ſententiam ſuam de diuiſione alabaſtri in gypſoſum et calcarium, nec non ſpati in vitreſcens, gypſeum, et calcarium. Ad alabaſtri diuiſionem quod attinet, natam eam p. 84.
eſſe iudicat ex confuſione duarum methodorum, ad genera foſſilium conſtituenda hactenus adhibitarum, quarum altera characteribus ſponte in ſenſus incurrentibus contenta eſt, altera autem docimaſtice vtitur. Secundum illam methodum alabaſtri nomen acceperunt lapides marmore paullo molliores, ſed polituram tamen admittentes, et ſemipellucidi;

ſecun-

ſecundum hanc vero quidam horum lapidum ad gypſum referendi ſunt, quia ab acidis mineralibus non ſoluuntur, et gypſum ex iis parari poteſt, quidam autem ad marmora, quum ſoluantur ab acidis et calcem praebeant vulgarem. At vero quum illa methodus, quam *ſuperficialem* dici poſſe autumat, ob characteres vagos, et ſaepe in vno eodemque corpore variantes, cedere huic debeat, ab iis, qui hiſtoriam naturalem foſſilium accuratius tractare velint, alabaſtrum, ex quo gypſum parari poteſt, inter ſpecies gypſi iudicat eſſe referendum, et alterum alabaſtri genus inter marmoris ſpecies. Similiter nomina ſpati vitreſcentis, ſpati gypſoſi, ſpati alcalini incommoda eſſe exiſtimat; non enim eidem lapidum generi ſubiiciendos eſſe duos lapides, quorum alter vitrificari, alter calcinari poſſit. Hinc ſe ait, malle cum Cl. LINNAEO ſpati nomen ſolis illis ſic dictorum foſſilium proprium facere, quae calcem praebeant, reliqua autem ad alia genera referre, ſimul ac certum ſit, ea proprietatibus eſſentialibus aliis praedita eſſe, vel etiam noua ipſis nomina imponere, ſi ad genera iam denominata reduci nequeant. Sic ſpatum, quod vitreſcens a Cl. WOLTERSDORFIO dictum eſt, inter fluores cenſendum putat, ſpatum vero gypſoſum ad gypſum, et bituminoſum odori-
p. 92. ferum ad bitumina ablegandum eſſe. His diſputatis, concludit tandem, ſtalactiten ſpatoſum reuera ex ſpato conſtare, ſed ex ſpato calcinabili, et cuius cryſtalliſatio, ſi ea regularis ſit, formam acuum pyramidalium affectet.

5) *Diuerſae obſeruationes, quas in tribus nauigationibus in promontorium Bonae Spei, in inſulam Francicam, et in inſulam Borboniam habuit Cl. de* LACAILLE *. Inter has obſeruationes ſunt aliquae, ad forum noſtrum pertinentes. Miram Vir Cl. diffe-

* Lectae d. 26 Febr. 1755.

differentiam obſeruauit inter inclinationem eiusdem extremitatis acus magneticae, quando ſeptentrionibus, et quando meridiei obuertebatur in omnibus locis vltra duodecimum gradum latitudinis auſtralis ſitis, ſeu in quibus inclinatio acus contraria deprehendebatur illi, quam in noſtris regionibus habet; namque in latitudine auſtrali 12 graduum et longitudine occidentali 34 graduum (inde a meridiano Pariſiorum numerata) inclinatio erat nulla. Scilicet p. 95.
in quolibet illorum locorum quum extremitas acus, quae per ſe verſus ſeptentriones ſpectat, meridiei obuertebatur, inclinatio eius 1, 2, vel nonnunquam, 3 gradibus maior deprehendebatur in hoc ſitu quam in priori; id quod in noſtris regionibus non accidit. Culpam huius diuerſitatis neque in ſiniſtram conſtructionem inſtrumenti, neque in obſeruandi difficultatem poteſt coniicere. Quia autem Cl. DANIEL BERNOVLLI exiſtimauit, culpam in vitio inſtrumenti latere: examen inſtrumenti ſui Cl. de LA CAILLE ſecundum praecepta BERNOVLLII inſtituit, et hic deſcripſit, vt harum rerum intelligentes de fide, quam obſeruationes ſuae mereantur, poſſent iudicare. In inſula *Francica* eſt ſpecies veſpertilio- p. 114.
num, qui felis bimeſtris magnitudinem habent: hos in menſis apponunt, ob gratum ſaporem, quem iuſculo, in quo coquuntur, conciliant. Serpentes in hac inſula non viuere poſſe dicuntur.

6) *Commentarii de ſtalactitis pars tertia, in qua* p. 131.
ſtalactitarum calcariorum deſcriptio continuatur a Cl. GUETTARD. Plurimi hic recenſentur et deſcribuntur ſtalactitae calcarii, quorum plerique naturam ſpati habent, partim e diuerſorum montium cauernis vel ſpecubus eruti, partim in alueis aquarum fluentium, vel receptaculis ſtagnantium nati. Singularia in his ſingulis lapidibus Auctor accurate notat et explicat. Occurrit inter eos etiam *flos ferri*

vulgo

p. 154. vulgo ſic dictus, in metallis ferrariis *Stiriae* primum repertus, de quo varias ſcriptorum ſententias enarrat, ſuamque ſic exponit, vt dicat, eum eſſe ſtalactitem ex ſpato filamentoſo conſtantem.

7) *Operationes iuſſu Academiae eo fine inſtitutae, vt decidatur quaeſtio, quaenam inter diuerſas menſuras gradus meridiani in vicinia Lutetiae ceteris ſit praeferenda, per Viros Cl.* BOUGUER, CAMUS, CASSINI DE THURY, *et* PINGRE *.

p. 187. 8) *Hiſtoria anatomica lienis. Commentarius primus Cl. de* LA SONE **. Praemiſſa breui hiſtoria laborum, quos MALPIGHIVS ac RVYSCHIVS anatomiae lienis impenderunt, Auctor initium diſquiſitionis ſuae capit a volumine huius viſceris.
p. 192. Id nonnunquam valde exiguum, interdum autem enorme, ſine ſtatus morboſi indiciis, reperit. Hinc non veretur Cl. LIEUTAUD accedere, et magnitudinem lienis, quippe quae a plenitudine vel vacuitate ventriculi pendeat, determinari non poſſe
p. 194. cenſet. Tunicae etiam, lienem veſtientis, indoles variat: in homine tamen ſano vtplurimum ſubtilis et ſatis elaſtica deprehenſa eſt; in bouis, aliorumque quadrupedum liene craſſior eſt illa tunica, et facile apparet compoſita e duabus laminis per telam celluloſam iunctis. Quas duas laminas Cl. de LA SONE lieni quoque hominis hic vindicat. In lamina interna etiam plana fibrarum carnearum nonnunquam, et quadam adhibita praeparatione, vidit, quae plana in lienis bouini tunica ſponte ſe oculis ſiſtunt. Haec lamina non ſolum arcte cingit ſubſtantiam lienis, ſed ei etiam in permultis punctis ſic adhaeret, vt ex illis punctis adhaeſionis filamenta ſubtilia in viſceris interiora penetrent, quae aliquod quaſi

* L. d. 23 Mart. 1757.
** L. d. 14 Nouemb. 1753.

quaſi rete inter ſe inuicem formant. Haec autem filamenta Cl. Auctori non eſſe videntur vaſa capillaria, ſed fibrillae deſtinatae ramificationibus vaſorum et ſubſtantiae pulpoſae ſuſtentandis atque alligandis. Neque tamen aſſentiri poteſt MALPIGHIO, qui p. 196. has fibrillas pro muſcularibus habet. Notabilis eſt p. 204. differentia inter ſtructuram lienis vitulini vel veruecini, et lienis in homine aliisque nonnullis animantibus ſtructuram. Hunc vaſa ſplenica intrant per plures truncos, illum per vnum; in illo arteria, vbi viſcus intrat, eiusque ramificationes ſingulae veſtiuntur vagina ſeu capſula peculiari, quae tunicas craſſiores reddit, in hoc tunicae arteriae manent, quales erant ante inſertionem; in illo vena mox mutatur in canalem ſingularem, depoſitis omnibus fere inuolucris ſuis, et hic canalis in multos quaſi ſinus diuiditur, qui tandem in cauitates vix viſibiles degenerant, in hoc autem vena characterem ſuum et figuram retinet; in illo tunica eſt craſſa, et in duas laminas manifeſto ſeparabilis, in hoc ſubtilis, et non ſemper e laminis compoſita apparet; in illo denique ex interiori lamina tunicae fila exeunt craſſa, alba, elaſtica, ligamentoſa, quae diuiſa in ramos ſe adiungant aliis ſimilibus, et iterum iterumque ſubdiuiſa tandem ad tunicas vaſorum ſplenicorum firmiter adhaerent, in liene autem hominis haec fila deficiant. Ea fila Autor coniicit in illis lienibus, quos arteria aeque ac vena in trunco vno intrat, originem debere tunicis, quas vena, dum in canalem et ſinus venoſos mutatur, deponit. Hinc etiam eſſe putat capſulam arteriae ſplenicae, quam tamen non niſi dimidium truncum arteriae recipere et veſtire tradit. Deinceps, quid de vaſis lymphaticis lienis diuerſi Anatomici ſenſerint, exponit, atque ea lieni hominis negari non poſſe, licet non magno numero in ipſo reperiantur, affirmat. Ramificationes vltimae arteriae ſplenicae

aut

aut abeunt in ſubſtantiam pulpoſam, aut cum ea ſubſtantia confunduntur, quam parenchyma quidem cum veteribus dicere licebit, ſed non in proprio vocabuli ſignificatu, quamuis MALPIGHIVS hunc
p. 208. ſignificatum tueri ſuſceperit. Non enim eſſe ſanguinem extrauaſatum et coagulatum Cl. Auctor hoc loco euincit, ſed ſubſtantiam organicam. Globulos illos ſeu veſiculas, quas MALPIGHIVS huic ſubſtantiae tribuerat, et glandulas ſimplices appellauerat, in multis quidem lienibus tam ſine praeparatione, quam poſt praeparationem in aqua ebulliente, examinatis, non vidit, in nonnullis tamen magnam harum glandularum copiam vtroque modo depre-
p. 212. hendit; neque huius diuerſitatis cauſſam a ſtatu viſceris morboſo vel ſano pendere autumat. Hinc aliquamdiu haeſitauit, vtrum MALPIGHII ſententia, an eorum, qui cum RVYSCHIO ſubſtantiam lienis pulpoſam totam vaſculoſam dicunt, amplectenda ſit. Sed diligentius perpenſa et adhibita methodo MALPIGHII, quae diuturnam ſatis macera-
p. 214. tionem lienis in aqua requirit, glandulas illas ſimplices ſeu folliculos fere ſemper conſpexit, ideoque a MALPIGHII partibus hac in re ſtare non veretur. Praeterea quae contra hanc ſententiam RVYSCHIVS protulit argumenta, inualida iudicat, quoniam propriis didicit experimentis, iniectam methodo *Ruyſchiana* materiem neutiquam in pulpoſam lienis ſubſtantiam penetrare. Inſuper grauibus, quas hic affert, rationibus adductus negat in vni-
p. 217. uerſum, praeparationem *Ruyſchianam* aptum eſſe medium, ad cognitionem perfectam tam teneri viſceris perueniendi. Accedit denique ad conſiderandam litem Anatomicorum de cellulis lienis; et poſtquam diuerſas earum notiones, quae veteribus ante MALPIGHIVM, ipſi MALPIGHIO, et deinceps WINSLOVIO fuerunt, enarrauit, affirmat, innatione lienis, per inciſionem, in ſuperficie ſubſtan-

ſubſtantiae eius factam, manifeſto exiſtentiam cellularum in hoc viſcere, inter quas omnes liberum ſit viarum commercium, et praeterea communicationem harum cellularum cum venis ſplenicis demonſtrari, easque ergo cellulas ſibi nil aliud eſſe videri, quam extremos ſinus venoſos, qui tanquam ſingulares appendices vltimorum ramulorum venae ſplenicae appareant, deſtinatae recipiendo ab arteriis capillaribus peculiari liquori. Quod autem parietes harum cellularum attinet, eos membranoſos cum MALPIGHIO vocare veretur, cui impoſuiſſe videtur eorum in liene poſt inflationem exſiccato apparentia; quotiescunque enim ipſe Vir Cl. lienem recentem transuerſim ſectum in aqua macerauit, leniter illo aliquoties compreſſo, omne iſtud textum celluloſum, fuſum quaſi, diſparuit, nullis eius veſtigiis remanentibus. Quamobrem parietes cellularum pulpoſos eſſe ſtatuit. De aliis ad cognitionem lienis pertinentibus rebus, quae ſuperſunt, in poſterum ſe acturum eſſe, ſpem nobis pergratam facit. p. 227. p. 229.

9) *De longitudine geographica abbathiae S. Matthaei per Cl. de* THVRY *. p. 237.

10) *De alabaſtro commentarius Cl.* DAUBENTON **. Vir Cl. ſumta occaſione ab alabaſtro, quod ex ſpecubus *Arcienſibus*, (quibus nomen eſt a villa Arcio (*Arcy*), inter *Antiſſiodorum* et *Aballonem*, vrbes *Burgundiae*, ſita in capite montis, hos memorabiles ſpecus continentis) ſecum abſtulerat, conſtituit definire atque explicare naturam et formationem eius, quod calcarium dicit, alabaſtri. Namque et calcariam alabaſtri ſpeciem dari contra Cl. POTTIVM affirmat.

* L. d. 16 Mart. 1754.
** L. d. 23 Aug. 1754.

affirmat. Quod agens, ſimul ſtalactitarum geneſin explicare annititur.

11) *De directione filorum, ex quibus pondera ſuſpenſa*
p. 250. *ſunt Auctore Cl.* BOUGUER *. Ex obſeruatione motus cuiusdam ponderum, e filis praelongis pendulorum, nonnulli in opinionem inciderunt, directionem grauium in ſuperficie telluris variationi notabili ſubiectam eſſe. Hanc opinionem BOUGUER per experimenta accurate a ſe inſtituta hic refellit, et iſtum motum cauſſis accidentalibus, atque ad ſyſtema coſmicum nequaquam pertinentibus, veluti calori aeris etc. attribuendum eſſe oſtendit.

12) *De oſteocolla prope Stampas reperiunda commentatio Cl.* GUETTARD **. Veriſimillima eſt explicatio ortus huius foſſilis, quam Vir Cl. hic pro-
p. 274. ponit. Natam eſſe, ait, hanc oſteocollam in locis olim paludoſis, et plantas aquaticas alentibus, dum caules et ſcapi earum incruſtati fuerint materie, ex marga et arena conſtante, quam torrentes aquae pluuiae, vel fluuii ripas ſuas transgreſſi, de montibus aduexerint, ibique depoſuerint. Qua explicatione multis argumentis confirmata, atque exemplis variis illuſtrata, colligit etiam quidquid omnes fere, qui de oſtecolla inde ab ERASTO, Medico Heidelbergenſi ſeculi decimi ſexti, vsque ad Cl. GLEDITSCHIVM ſcripſerunt, de foſſilis huius natura ac geneſi annotarunt, et quorundam, maxime vero Cl.
p. 295. GLEDITSCHII, ſententiis criticas ſuas obſeruationes ſubiungit. Tandem attingit quaeſtionem,
p. 303. ad quodnam foſſilium genus oſteocolla referenda ſit; et reſpondet, quum oſteocolla, ex mente ſua, pro ſtalactite margaceo habenda ſit, locum illi aſſignandum eſſe ſub genere, quod marga appellatur, et defi-

* L. d. 28 Apr. 1756.
** L. d. 15 Iunii 1754.

definiendam eſſe oſteocollam per margam ſuper quouis corpore figurato depoſitam, ſpecies autem oſteocollae ſecundum diuerſas figuras conſtitui poſſe.

13) *Tabulae locorum Iouis Saturni ac Soli oppoſitorum, in ſpecula aſtronomica regia ab anno* 1733 *ad annum* 1755 *obſeruatorum, una cum commentario de obſeruationibus, ex quibus hae tabulae computatae ſunt Auctore Cl.* LE GENTIL.

14) *Variae obſeruationes oeconomicae de apibus per Cl.* DU HAMEL *. In hac ſcriptione nouae p. 331. traduntur methodi, vſu iam comprobatae, per quas vitae apum et ſoboli magis parcitur, examina melius coguntur et ſeruantur, multoque largior cerae ac mellis vindemia, quam vulgata ratione, obtinetur.

15) Cl. BOUGUER *ſolutiones praecipuorum problematum de nauium gubernatione.*

16) *Obſeruationes anatomicae de corde. Commentarius tertius Cl.* LIEUTAUD, *in quo auriculae, foramen ouale, et canalis arterioſus deſcribuntur* **. Auricula *prima* cordis (h. e. quam venae cauae intrant ***, directionem habet verticalem, et eius capacitas quam ſecundae maior eſt: ſed rationem inter capa p. 369. citates auricularum et ventriculorum cordis accurate definire velle, fruſtraneum laborem iudicat Cl. LIEUTAUD. Ambas venas cauas, quanquam primo intuitu ſibi mutuo occurrere videantur, tamen vere continuas dici poſſe negat, ob habitum et craſſitiem canalis intermedii. Figuram auriculae primae mente reducit ad rectangulum oblongum. Tres cauitates in ea diſtinguit, quarum prima eſt p. 371. appen-

* L. d. 21 Apr. 1754.
** L. d. 21 Aug. 1745.
*** Vid. Comment. noſtr. Vol. VI. p. 670.

appendix in ſupremo angulo ſiniſtro, ſecunda eſt
in angulo inferiori ſiniſtro, in qua vena coronaria
ſe terminat, et quae in nonnullis cordibus tam pro-
funda eſt, vt pro appendice haberi queat, tertia
eſt orificium foraminis oualis in fundo auriculae
inter ambarum venarum cauarum orificia, quod
orificium in adultis etiam euidenter apparet.
Valuulae venae coronariae et cauae inferioris in
eadem auricula plerumque manifeſtae ſunt, atque
etiamſi ipſae deſtructae ſint, tamen veſtigia earum
haud difficulter cognoſcuntur. Valuula ſemilunaris
venae coronariae, quae ſeſe, praeter morem alia-
rum valuularum, opponit curſui ſanguinis, eamque
retardat; vnde facile perſpicitur, cur haec valuula,
ceu foetui tantum vtilis, aetatis progreſſu deſtrua-
tur, vt ſaepe nihil eius, praeter fila aliquot fluctu-
antia, remaneat. Valuula cauae venae inferioris,
quae interdum et in adultis ſupereſt, etſi ab EV-
STACHIO cognomen traxit, in ipſius tamen tabulis
p. 372. male delineata dicitur. Situs eius in cadauere
quidem eſt oblique transuerſus reſpectu axis venae;
cuſpis eius laeua, quae altior eſt dextra, ſeſe ſupra
eminentiam ſiniſtri marginis foraminis oualis exten-
dit, dextra parti orificii venae cauae, a corde remo-
tiſſimae, alligata eſt: In viuo autem foetu valuula
haec eandem cum vena directionem habet, et quaſi
agger eſt membranoſus, quo ſanguis cogitur in
foramen ouale influere. Quanquam autem mem-
branoſam Auctor appellat hanc valuulam, tamen
non negat, ſtratum fibrarum muſculoſarum
inter duas eius laminas comprehendi. Si quando
in adultis adhuc comparet, tantum non ſemper
foraminibus pertuſa cernitur, nonnunquam etiam
eius loco tantum filamenta quaedam, vel ſimplicia,
vel in retis modum contexta conſpiciuntur. Cuius
p. 374. rei hanc perhibet rationem, quod continuo ſanguinis,
verſus

verſus cordis ventriculum nunc fluentis, impulſu et
frictione haec ſubtilis membrana attenuatur, et
tandem pertunditur ac laceratur. Equidem huic
explicationi aduerſari videtur, quod interdum fila-
menta illa, quae putat eſſe a dilaceratione valuulae
reſidua, alteris ſuis extremitatibus in regionibus
auriculae, ab orificio venae cauae remotis, infixa
deprehendantur: reſpondet autem, haec fila, ab
initio fluctuantia, poſtea ſe ſuis extremis liberis ad
parietes auriculae applicuiſſe, et hunc contactum
ſuccedente tempore in firmam adhaeſionem et con-
tinuitatem mutatum eſſe. Idem quoque valuulae
venae coronariae accidere affirmat. At vero cum
his filamentis non confundenda eſſe, monet, fila,
quae a margine venae cauae ad orificium venae
coronariae pertingere obſeruantur; haec enim fila p. 375.
ſtatim ab initio in hoc ſitu nata eſſe, quum cuſpis
dextra valuulae venae coronariae cornui ſiniſtro
valuulae EVSTACHII affixa ſaepe reperiatur. Val-
uula EVSTACHII vt facilius demonſtretur, enchi-
reſes quaedam adhibendae ſunt, quas Auctor hoc
loco tradit; eosque, qui hanc valuulam duplicem
dixerunt, deceptos putat plicis, quae circa eam
facile formantur, ſi ea minus dextre tractetur. Au-
riculae ſecundae pars poſterior, et ſepto vicina,
craſſior eſt parietibus auriculae primae, reliqua
autem pars et appendix eandem cum prima
auricula craſſitiem habent, et lacertulos ſimiliter
fere diſpoſitos. Appendicem exiſtimat formatam
eſſe per expanſionem parietis auriculae ab impulſu
continuo ſanguinis e venis pulmonaribus ſiniſtris
erumpentis; quemadmodum et auriculae primae
appendix ſanguini e vena caua inferiori irruenti ori-
ginem debere videtur. Modum, quo foramen p. 379.
ouale obliteratur, ſic explicat. Vbi venae pulmo-
nales tantam copiam ſanguinis in auriculam ſecun-
dam effundunt, quanta ad aequilibrium cum

ſanguine in primam ingeſto requiritur, valuula foraminis oualis nanciſcitur ſitum ſepto parallelum, et ſeſe ad partes prominentes ſepti, quascunque contingit, applicat, et, quoniam ob preſſionem ſanguinis ex vtraque eius parte contrariam atque aeqalem in hoc ſitu quieſcit, adhaeret iſtis partibus, tandemque adnaſcitur, pro more partium ſolidarum et mollium corporis viui, quae, vbi ſat diu in contactu mutuo perſeuerant, tandem vniuntur et concreſcunt. Mechanismum denique, quo canalis arterioſus poſt natiuitatem clauditur, ita exponit. Bronchiis per aerem in pulmones irruentem extenſis ac dilatatis, primae eorum diuiſiones, cordi ex altera parte innixae, ex altera verſus aortam accedant, et ad eam ſe applicent, neceſſe eſt. Hinc etiam canalis arterioſus, qui ad latus aortae anteriora verſus iacet, ac directionem habet ipſi fere parallelam, totus comprimitur perpetuo, in ipſa quoque exſpiratione, quoniam bronchia nunquam aere prorſus vacua ſunt. Sanguini ergo non amplius tam liber, quam antea, tranſitus per hunc canalem conceditur. Praeterea propter dilatationem ramorum arteriae pulmonalis, quae pulmonum explicationem conſequitur, aliquid ſanguinis huic canali ſubtrahitur, quod nunc in arteria pulmonali, vbi minorem reſiſtentiam offendit, progreditur. Inſuper extenſio arcus aortae, qui bronchiorum dilatatione amplior redditur, eiusque per tracheae dilatationem facta promotio ſiniſtrorſum verſus canalem arterioſum, nouum ſanguinis curſum adiuuant et dirigunt. Sic canalis ille coarctatus ſucceſſiue, et vacuefactus, tandem conſolidatur.

17) *Cl.* de L'ISLE *obſeruatio occultationis ſtellae ε aquarii a luna, et coniunctionis ſtellae θ cum luna, die* 21 *Nouembris* 1754.

18) *Cl.*

18) *Cl.* du hamel *obſeruationes botanico-meteorologicae anno* 1753 *habitae prope Pluuerium in prouincia Vaſtinienſi* *.

19) *Cl.* d'alembert *inueſtigatio praeceſſionis aequinoctiorum, et nutationis axis telluris, in hypotheſi meridianorum terreſtrium diſſimilium* **.

20) *Noua inquiſitio in formationem gingiuarum, et laminae vitreae dentium. Auctore Cl.* herissant ***.
Secundum haec noua reperta Viri Cl. gingiua datur p. 431.
duplex, altera *temporaria*, altera *permanens*. Illa
ſpiſſa et coriacea inueſtit maxillae omnem partem,
in qua ſunt alueoli, et hos perfecte claudit, haec
autem eſt illius ac perioſtei productio. Folliculus
ſeu ſacculus membranaceus, in quo dens, antequam
ex alueolo prorumpit, abſconditus latet, eſt pariter
productio gingiuae temporariae, et toti quidem
ſuperficiei coronae dentis adhaeret, maxime autem
confiniis coronae et radicis. Vbi dens ſatis firmus
euaſit, vt in lucem poſſit prodire, orificium illius
folliculi, quod ad aperturam alueoli ſpectat, inſen-
ſibiliter dilatatur, fundusque paullatim verſus
aperturam alueoli attollitur, donec tota corona
ſupra marginem aperturae alueoli emineat; et dum
haec fiunt, folliculus ſeſe extrorſum explicat ſuper
maxilla, et gingiuam permanentem format; dens
autem ipſe continuata preſſione rumpit et perforat
gingiuam temporariam, ex qua, ſimulac perforata
eſt, fragmenta ſeu laciniae ſecedunt, quibus delapſis,
recens gingiua permanens, quae ſe rubicundo
colore, et minori tenacitate, ab altera gingiua
diſtinguit, in conſpectum datur. Idem ille folli- p. 433.
culus, cuius craſſities cum dente creſcit, in ſuper-

* L. d. 12 Iunii 1754.
** L. menſe Decembri 1756.
*** L. d. 13 Nouemb. 1754.

ficie ſua interiori, qua dentem contingit, tunc, quum dentis corona perfecte formata eſt, infinitam habet multitudinem veſicularum pellucidarum, quae in ſeriebus belle ordinatis diſpoſitae ſunt, et liquorem limpidiſſimum, ſi obſeruatio haec iuſto tempore inſtituatur, continent; nam paullo poſt hic liquor ſpiſſior et lacteus euadit. Huncce liquorem Cl. HERISSANT coniicit gignere laminam vitream dentis, dum ipſe in receſſione ſupra deſcripta folliculi a ſuperficie dentis guttatim e veſiculis iſtis expreſſus, circumfluat dentis nudatam modo ſuperficiem, atque in ſolidiſſimum corpus abeat, coronae dentis firmiſſime adhaerens. Iſtas autem veſiculas optime in dentibus naſcentibus vitulorum vel pullorum per lentem microſcopicam conſpici, lectorem monet.

21) *Cl.* GUETTARD *commentarius, in quo generatim examinantur ſolum, lapides et varia foſſilia in Campania Gallica, et quibusdam adiacentium prouinciarum locis* *. Hoc commentario V. Cl. proſequitur ſuum inſtitutum, hiſtoriam mineralogicam Galliae perficiendi. Nobis ex hac longiori diſſertatione pauca annotaſſe ſuffecerit. In monte Campaniae,
p. 448. *Beru* dicto, reperitur cryſtalli *Islandicae* ſpecies in ſtrato arenae nigrae. *Trecis* pigmentum album (*blanc de Troyes*), a nonnullis pigmentum album
p. 468. Hiſpanicum (*blanc d'Eſpagne*) perperam vocatum, paratur ex creta, quae in villa vicina *Villeloup* proxime ſub humo reperitur; quod parandi modus
p. 458. hic exacte deſcribitur. In territorio *Remenſi* multa admodum genera conchyliorum in lapide arenario
p. 474. lutei coloris, et haud procul a *Trecis* cornua Ammonis cum aliis corporibus marinis in terra argillacea nigra reperiuntur, quorum ſuperficies eſt ſplendide flaua, a particulis forſan ſulphureis, inquit Auctor,

* L. d. 3 Iulii 1754.

Auctor, quae cum hac terra permixtae ſunt. Prope *Grandipratum* et in pago *Moleſmienſi* effodiuntur corpora marina, ad claſſem coralliorum pertinentia, maxime aſtroitae, et madreporae, in lapidibus albis calcariis deliteſcentia. p. 492.

22) *Hiſtoria morborum epidemiorum anno* 1754 *Lutetiae obſeruatorum, cum temperie aeris per Cl.* MALOUIN *. Tres primi menſes huius anni fuerunt ſiccioris temperiei. Maximum frigus fuit octauo Februarii, quo die liquor thermometri *Reaumuriani* deſcendit ad $11\frac{3}{4}$ gradum. Multi ſubito mortui ſunt, praeſertim ſenes. Menſe Martio epidemica erat pleuritis gangraenoſa cum conatibus vomendi, quae aegros paucis diebus necabat. Per emetica bilis nulla eiiciebatur; pulſus erat conſtrictus; tuſſis nulla, vel parca. Venae ſectiones parum iuuabant aegros, bechica nihil, diluentia autem et purgantia vtiliſſime adhibebantur.

Vere temperies aeris ſicca fuit. Scorbuto permulti infeſtati ſunt. Singularis eſt Cl. MALOVINI obſeruatio haec. Puella, tredecim annos nata, p. 505. quae cum alia, ob variolas decumbente, familiariter viuebat, dolorem capitis ac renum, languorem, et anxietatem praecordiorum queri coeperat, et ſimul humorem bilioſum ex ore et aluo reddere. Ipſe confeſtim illam ἄνω καὶ κάτω purgabat, non quidem violenter, ſed tamen ſine intermiſſione, vſque ad quartum diem, quo puſtulae in cute erumpebant, ab omnibus pro variolis agnitae. Ille adhuc purgans remedium adminiſtrabat, quemadmodum id in morbo cutis a vitioſis humoribus facere ſolet. Hinc eruptio puſtularum ceſſabat, et porro aegra per aliquot dies tanquam conualeſcens tractabatur. Deinde eam optime valuiſſe ait, et ſic melius cum ea actum fuiſſe, quam ſi variolae ipſi

 per

* L. d. 8 Febr. 1757.

per inſitionem fuiſſent communicatae; quum humores varioloſi in hac puella eo ipſo tempore, quo natura eos moueret, euacuati fuerint. Simili caſu hanc ſententiam confirmare ſtudet, feminae nimirum, 30 annos natae, in qua variolae quarto ab eruptione die ſubito per animi commotiones retropulſae diſparuerant; hanc maximis anxietatibus fere oppreſſam emeticum, cordialibus iunctum, clyſmata et purgationes releuarunt; et poſthac eadem femina, licet iam aliquotanni elapſi ſint, neque variolis iterum, neque alio morbo correpta eſt.

Aeſtatis admodum calidae initium humidum, finis ſiccus fuit. Liquor in thermometro ad 30 gradum aſcendit.

Autumnus ſiccus magis, quam humidus dici potuit. Multi hac tempeſtate aegrotarunt febribus continuis, vel eruptionibus in cute, vel faucium morbis.

Annus hic inter ſiccos numerandus fuit, quum altitudo pluuiae non niſi 14'' 7''' deprehenſa ſit. Mortui ſunt hoc anno Lutetiae 21337, ſcilicet mares 11851, feminae 9486. Nati autem ſunt infantes 23140, maſculini ſexus 11624, feminini 11516.

23) *Cl.* CLAIRAUT *Commentarius de orbita apparente Solis circa tellurem, quae ipſi, habita ratione perturbationum a luna et planetis primariis, aſſignanda eſt* *.

24) *Cl.* DE L'ISLE *determinatio longitudinis geographicae inſulae Maderae* etc. **

25) *Cl.*

* L. die 9 Iulii 1757.
** L. d. 27 Nou. 1754.

25) *Cl.* ROUELLE *commentatio de ſalibus neutris, in qua duae nouae claſſes huiusmodi ſalium, et phaenomenon ſingulare exceſſus acidi in illis oſtenduntur.* *Salem neutrum* Vir Cl. appellat, qui formatus eſt e materia qualicunque, quacum acidum eſt vnitum in forma concreta ſeu ſolida. Horum ſalium tres claſſes conſtituit, quarum primam occupant *perfecta ſalia neutra*, quae iuſtam quantitatem acidi ad p. 573. exactum vſque punctum ſaturationis habet, et gradum ſolubilitatis mediocrem, velut tartarus vitriolatus, ſal mirabile GLAVBERI, cet; alteram *ſalia neutra cum minimo acido*, quae ſunt inſolubilia, aut ſaltim perparum ſolubilia; tertiam denique *ſalia neutra cum abundante acido*, in quibus iuſto maior quantitas acidi ineſt, ita vt acidum, quod punctum ſaturationis excedit, intime cohaereat et coniunctum ſit cum reliquis partibus, non autem tantum illis permiſtum ſit. Huius poſtremae claſſis ſalia perfacile inquit Auctor, ſoluuntur, comparata cum eis, quae ex eadem baſi cum minimo acido formantur, adeo vt plurima eorum etiam in aere deliqueſcant. Iam eorum ſalium, quae ad ſecundam et tertiam claſſem pertinent, diſtinctionem a ſalibus neutris perfectis neceſſariam eſſe, et ad Chemiae perfectionem vtilem, docere allaborat per aliquot exempla. Scilicet conſiderat ea ſalia, quae fiunt combinando acidum ſalis marini cum mercurio, acidum vitriolicum, cum mercurio, acidum ſalis marini cum regulo antimonii, acidum nitri cum biſmuto, et acidum vitriolicum cum alcali fixo. Vt mentem Cl. Viri magis declaremus, vnum alterumue exemplum hic exponere lubet. Acidum ſalis marini p. 576. cum mercurio vnitum non ſolum mercurium ſublimatum corroſiuum ſuppeditat, ſed etiam mercurium dulcem ſublimatum. Ille eſt ſal neuter cum excedente acido, et propterea quatuor eius partes poſſunt adhuc tres partes mercurii crudi ſoluere, qua

ipſa

ipſa ſolutione mercurium dulcem prodire conſtat. Et acidum in mercurio ſublimato corroſiuo abundans non duntaxat mixtum, ſed intime vnitum eſſe cum mercurio, ex eo, quod ſimul ſublimentur, colligit Auctor. Denique eandem facillime ſolubilem eſſe, notum eſt. Mercurius contra dulcis longe aliam naturam habet, non ſolum ſi vires, ſed etiam ſi ſolubilitatem ſpectes, quippe qui tam difficulter ſolubilis eſt, vt, ſecundum experimentum Auctoris, 1100 partes aquae feruentis ad ſolutionem ſuam requirat. Eſt ergo ſal quidem medius, ſed ab iſto diſtinguendus; vnde ſalis neutrius cum minimo acido, vel *inſolubilis*, nomen ipſi conuenire, Auctor iudicat. Similiter omnes fere materias metallicas cum quolibet acido affirmat ſimul praebere duplicis generis ſalia neutra. Idem de alcali fixo et acido vitriolico oſtendere voluit exemplo poſtre-
p. 586 mo. Quatuor vncias tartari vitriolati, ſicciſſimi, in puluerem redacti, cum duabus vnciis olei vitrioli vulgaris quidem, ſed boni tamen, commiſcuit; quod non ſine efferueſcentia factum eſt. Mixtum igne reuerberii tractauit, et liquorem inde diſtillauit, donec vapores albi ceſſarent. Liquor deſtillatus pondere ſex drachmas effecit, maſſa ſalina fuſa in fundo retortae reſidua quinque vncias cum vna drachma. Haec maſſa, Auctor ait, ex aere aquam attrahit, ſoluta in aqua cryſtallos praebet, ac cum alcalinis et fixis, et volatilibus, efferueſcit, tincturaeque violarum rubrum colorem conciliat, aliasque habet proprietates, quibus a tartaro vitriolato diſtinguitur; ſed eas Cl. Auctor alia commentatione eſt expoſiturus.

26) *Obſeruatio tranſitus Mercurii per Solem in nodo adſcendendi die 6. Maii* 1753, *vna cum methodo, hinc ducendi orbitae elementa Auctore Cl.* LE FRANÇOIS DE LA LANDE *.

27) *Cl.*

* L. d. 19 Maii. 1753.

27) *Cl.* DE PARCIEUX *commentatio, qua demonſtratur, aquam fluentem, quae machinae cuiuis, veluti molendino, aliiue, agitandae deſtinatur, ſemper plus efficere per pondus ſuum, quam per impulſum, agendo, et rotam ſitulis inſtructam, quae lente circum agatur, plus efficere, quam ſi celeriter circum agatur, habito ad celeritatem et copiam aquae, reſpectu* *.

28) *Cl.* DE LA CONDAMINE *commentatio de inſitione variolarum* **. Elegans haec commentatio, in qua hiſtoria inſitionis variolarum et fatorum, quae haec praxis experta eſt, copioſe et accurate traditur, atque omnes criminationes vel dubitationes, quas hactenus multi eidem oppoſuerunt partim medicis, partim ethicis argumentis, partim religionis praetextu vſi, ſolide refutantur; et a nobis olim iam *** laudata, et, quum in *Promtuario Hamburgenſi* in germanicam linguam translata habeatur, nimis nota eſt noſtris hominibus, quam vt plura de ea hoc loco dicere opus ſit. p. 615.

29) *Cl.* DE PARCIEUX *commentarius de experimento, quo demonſtratur, rotam ſitulis inſtructam, ab aquae copia eadem agitatum, eo plus poſſe, quo lentius circum agatur* ****.

30) *Equitis* D'ARCY *meditationes de machinis hydraulicis* †.

31) *Obſeruationes meteorologicae in ſpecula aſtronomica regia anno* 1754 *habitae a Cl.* DE FOUCHY.

32) *Cl.*

* Lecta in conuentu publico paſchali an. 1753.
** Lecta in conuentu publico an. 1754 d. 24 April.
*** Vid. noſtr. Comment. Vol. IV. p. 159.
**** Lectus d. 31 Aug. 1754.
† Lectae d. 14 Iunii 1755.

32) *Cl.* MONTET *commentatio de panniculis, prope montem peſſulanum paratis, ex quibus Belgae Tornam ſolis fabricantur.* In dioeceſi *Nemauſenſi* eſt villa, *Grand - galargues* dicta, quinque leucas a *Montepeſſulano* diſtans, vbi panniculi e cannabinis filis texti tinguntur ſucco plantae, quam incolae
p. 688. *maurelle* vocant, TOURNEFORTIVS autem *Ricinoidem*, et LINNAEVS *croton foliis rhombeis repandis, capſulis pendulis, caule herbaceo* appellauit. His panniculis tinctis vtuntur Amſtelodami ad fabricandum pigmentum coeruleum, *Torne Solis* nomine notum. Modus iſtos panniculos tingendi in hac commentatione deſcribitur.

II.

Vſus opii ſalubris et noxius in morborum medela, ſolidis et certis principiis ſuperſtructus, a D. BALTHASARE LVDOVICO TRALLES, Medico Vratisl. atque Academ. Caeſar. Nat. Cur. Adiuncto. Sectio Tertia. Vratislauiae. Sumptibus Ioannis Erneſti Meyeri, 1760. 4. Alph. 1 pl. 13.

Non absque voluptate Lectoribus noſtris elegantiſſimi iſtius de opio continuati operis, vtilitate ſua nunquam deſtituti, ſummam exhibemus, cuius finem rerum harum gnari auide adhuc expectarunt omnes. Verum citra voluntatem, iſte labor ita increuit, vt promiſſis, quae in ſecunda ſectione dederat Noſter, ſtare nunc non poſſet, ſed quartam, vltimam tamen, de eodem argumento ſuperaddere quaſi cogeretur. Excuſat vero Noſtrum rerum copia, excuſat argumenti dignitas; cuius demum finem eo maiori deſiderio nosmet ipſi expectamus, quo perfectius hoc opus aeſtimari debeat. Quod

Quod ad tertiam hanc ſectionem ſpectat, ab initio ſtatim, ante quam ipſum opus aggreditur, Noſter quaedam praefixit, quae vel auctiora vel magis emendata prioribus, ſectione prima et ſecunda expoſitis, addi iubet. Ipſum vero opus tribus abſoluitur capitibus, quorum primum conuulſiones et epilepſiam, alterum conuulſiuos morbos, tertiumque demum dyſenteriam aliosque fluxus alui recenſet, cauſas eorum diſquirit inſimulque oſtendit, quid opii vſus varie in iisdem praeſtare valeat.

Num ad conſopiendas vel et curandas conuul- p. 1. ſiones opium aptum remedium ſit, primo hic disquiritur. Sunt autem omnes conuulſiones violentae et inuitae muſculorum animalium contractiones, quarum cauſae potiores ad tres claſſes, repletionem nimirum, inanitionem et irritationem reduci poterunt. Ad primae claſſis cauſas referuntur plethora, febris, inflammatio, ſpiſſitudo ſanguinis, cruditates in primis viis coaceruatae, ſerum abundans, excretionum ſanguinearum et ſeroſarum ſuppreſſio idque genus alia. Quodſi nunc ab his cauſis conuulſiones natae ſint, omne id remedium dabit, quod expanſionem fluidorum et repletionem minuit; hinc venaeſectio, diluentia, attenuantia, refrigerantia et euacuantia atque cuncta, quae deriuationem excitant, conueniunt. Cum autem opium humores in grauiores commotiones rapiat, eosdem expandat et repletionem ideo vel inducat, vel augeat, iſtud proinde ad curationem nunquam exhiberi poteſt. Forte vero, conuulſiones ab inanitione p. 10. ortae, cum cauſae prioribus contrariae hic ſint, opio curari poſſunt? Certe, ſi huius generis conuulſiones perpenderis, vnicam ſpem in replentibus et, quae ſuccos ſanis ſimiles reſtituunt, ponendam eſſe, videbis. Quid itaque opium, licet expandat humores et rareſaciat, praeſtare hic valeret? Nonne ad breue tantum tempus hacce ratione palliatiua obtinere-

obtineretur curatio? Maioris momenti videtur obiectio, ſi dicant, mederi opium conuulſionibus ab inanitione ortis, excretiones compeſcendo, cum, has eo ſopiri, notum ſit. Sed haec etiam non absque omni reſtrictione vera ſunt. Nunquam enim conuenit opium, ſi haemorrhagiae cauſam ſuppeditant, nec etiam, vbi aliae fluxiones, opio minime obedientes, conuulſionibus ortum praebent. Ita opium nec ſudores leuat, nec diabeten tollit, nec venerem, nec ſpermatis excretiones inuoluntarias refraenat, ſed potius auget. Si vero aliquid in compeſcendis excretionibus opium poteſt, id certe in emeſi nimia nimiaque deiectione aluina expectandum eſt: in vtroque enim caſu non nocebit, ſi ſanguini etiam aliquis motus velocior et aliqua expanſio inducatur.

p. 14. Quodſi vero ab irritatione oriantur conuulſiones, opium interdum in iis conuenire, negandum non eſt. Maxime autem id valet, vbi ſolum motuum vitium ſubeſt, vt in hypochondriacis, dein ſi dolor aut ſtimulus, genus neruorum acrius adficiens, adeſt, vel demum, ſi acrimonia tenuiſſimae molis et cauſticae naturae per cutis poros eliminanda eſt, ita tamen, vt cum opiatis talia inſimul adhibeantur, quae et diluant et obtundant, ſtimulumque iuuoluant.

p. 16. Si epilepſiam eiusque varias ſpecies perpendamus, haereditaria primo et connata in cenſum venit. In hac certe opium minus confert: cum enim ea a mobilitate, teneritudine et ſenſibilitate neruorum dependeat, opium potius diſpoſitionem ad morbum magis iuuat inque habitum deductum obfirmat. Alia epilepſiae ſpecies eſt, cuius cauſam in capite interno vel externo quaeres. Spectant huc laeſiones capitis, humores extrauaſati, oſſium malae conformationes, partium membranoſarum indurationes et eroſiones, inflammatio nimiaque

ſinuum

ſinuum atque vaſorum repletio. Ad hanc ſpeciem curandam opium impar eſt, ſiquidem iſtas cauſas nunquam euertere, nec etiam occaſionem malo naſcituro praecidere valet. Alia porro ſpecies eſt, quae interceptis euacuationibus ſolemnibus ſanguineis aut ſeroſis ortum debet. Hanc ſi curare velis, fac, ad conſueta loca determinentur humores, cui vero fini opium raro aut nunquam reſpondere videbis. Alia iterum ſpecies eſt, quae a violenta irritatione et commotione totius generis neruoſi, ab animi affectibus, doloribus acutiſſimis et quacunque cauſa, neruos vellicante et irritante, producitur. In hac ſane, ſi vnquam, opium multum boni praeſtare videtur. Si enim ab immateriali cauſa, animi e. g. affectu, nata fuerit epilepſia ſolumque motuum vitium ſubſit, opium tunc, pacatam menti tranquillitatem inferendo, princeps facile remedium erit. Pari etiam ratione prodeſt, ſi dolor in cauſa eſt: tunc enim per iſtud obtinetur, vt ſenſorium commune dolorem, a quo naſcitur epilepſia, non ſentiat. Sed magna hic prudentia opus eſt: manet namque cauſa doloris reſtatque nimia neruoſi ſyſtematis ſenſilitas et mobilitas, quibus poſtea, motibus vehementioribus ſedatis, per alia ſuccurrendum eſt. Vltima tandem ſpecies eſt, vbi cauſa in externis partibus v. g. manu, pede haeret. In hac opium prorſus nihil valet, cum contra ligaturae fortes, artificialis loci exulceratio, cauſtica etc. multum boni praeſtarent. Quod ad ipſum paroxyſmum attinet, opium nec ante eum conducit; ſiquidem cauſae, quae ad proximam actionem diſponunt, in congeſtione humorum verſus caput fundantur atque ideo opium cauſam hanc potius auget et accelerat. Sed nec etiam in ipſo paroxyſmo valet, quia actus deglutitionis tunc temporis impoſſibilis eſt. Neque demum, poſt paroyſmum opium exhibere, conuenit; remanet

 enim

enim ſemper a debilitato cerebro ſtupor et ſopor, quae certe vitia opium augebit inque ſummum de-
p. 31. mum vitae periculum aegrotantem coniiciet. Extra paroxyſmum autem opium nunquam conducit, ſiquidem in plurimis epilepticis euacuatione et reuulſione opus eſt, ideoque opium, cum ad caput humores vrgeat et contrarium effectum praeſtet, exhiberi nequit.

p. 35. In altero capite, vbi conuulſiuos morbos pertractat Noſter, primo de opii vſu in hypochondriaco malo agit. Morbus hic ſpaſmodicus duplicis generis eſſe ſolet: in altero nimirum materies quaedam, quam atrabilariam vocant, in viſceribus abdominalibus colligitur, in altero autem, absque materie, totum genus neruoſum ita mobile et irritabile deprehenditur, vt vel a leui animi affectu dira producantur ſymptomata. In priori euacuantia, attenuantia et roborantia neceſſaria ſunt, in poſteriori autem debilis ventriculi, inteſtinorum, omnium viſcerum totiusque ſyſtematis neruoſi tonus roborandus ſanguinisque languens circulus ita adiuuandus eſt, vt vbique liber habeatur. Sed neutri huic indicationi opium ſatisfacere poteſt: nec enim iſtud euacuationem nec debitam attenuationem praeſtat, nec etiam robur addere valet, ſed, cum contrarium his praeſtet, cauſam huius morbi potius auget. Nonne vero lenimen ſymptomatum praeſtat? Ita fere primo intuitu videtur. Aſt ſi perpenderis, praecipua fereque omnia ſymptomata hypochondriaca a deiecto ventriculi et inteſtinorum tono motuque horum viſcerum periſtaltico ſequi et inordinato, ſiue morbus cum materie atrabilaria vel absque ea ſit, prouenire, opium ſane, actionem fibrarum motricium in canali alimentorum deiiciens. motumque ſegniorem efficiens, pro hoc quoque ſcopo neutiquam conuenire, recte iudicabis.

Eadem

Eadem fere. et de vſu opii in malo hyſterico, p. 44. morbo, praecedenti analogo, valent. Hicce enim morbus ſpaſmodico - conuulſiuus non ab vtero male affecto, licet interdum etiam aliquid ad eum producendum conferat, ſed ab ataxia ſpirituum maleque affectis neruis, per viſcera abdominis diſperſis, dependet. Laudarunt quidem permulti in paroxysmo hyſterico opium, id tamen omnibus feminis promiſcue exhibere, omnibusque ſymptomatibus deſtinare, non conuenit. Inter praecipua, quae in paroxysmo obſeruantur, ſymptomata, cuiuscunque partis dolor immanis, aut vomitus enormes, aut diarrhoea opii vſum indicant. Tunc certe, ſi vnquam, ab opio expectes iuuamen, ſiquidem omnia alia remedia conuulſione ventriculi prius excutiuntur, quam agere in eundem queant. Attendendum vero eſt, vtrum vomitus a colluuie vitioſorum humorum ſit, in quo caſu ad opium ſtatim confugiendum non eſt; an potius iſte inanis ſit et a ſolo motuum vitio dependeat, vbi ſane opium plura praeſtabit. Pari quoque ratione egregie conducit opium, ſi colicae hyſtericae, diris interdum vomitionibus ſtipatae, aegrotantes excruciant, in quo caſu oleum amygdalarum dulcium, cum opio coniunctum dolorem leuat. Non nocet etiam opium, ſi vomitus, colici dolores aliaque ſymptomata febrem aemulentur ſtatisque temporibus recurrant: tunc enim opium facit, vt febris iſta neruoſa vel tollatur, vel praecaueatur. In conuulſione demum et epilepſia hyſterica, ſi ſolum motuum vitium adeſt, plurimum iuuat opium; ſin vero iſti motus conuulſiui congeſti verſus caput ſanguinis effectus ſunt, venaeſectio locum habebit, nec vnquam opium. Quanquam vero negandum non eſt, opium interdum hyſtericis conducere, id tamen ſemper caute exhibendum eſt. Nunquam enim eo ipſo vera morbi radix attingitur, tonusque

ventriculi et inteſtinorum, in quae ſemper actionem ſuam primariam exercet, debilitatus iam eo magis infringitur, quapropter tonica, quantum fieri poteſt, et martem in primis et corticem Peruuianum prius exhibere praeſtat.

p. 64. His de conuulſiuis morbis vniuerſalibus expoſitis, particulares nunc motus conuulſiuos Noſter conſiderat primoque de vomitu agit. Huius cauſa multiplex eſt: ſi etenim a cruditatibus, in ventriculo coacervatis, oritur vomitus, iſte potius vel vomitoriis adiiuuandus eſt, vel aluum cientia vſurpanda ſunt, poſthac autem tonica et aromatica exhibere conducit, ideoque opium, contrarios his effectus exſerens, neutiquam hoc in caſu valet. Si deinde ab acribus venenis corroſiuis aut validioribus purgantibus et emeticis, nimia doſi aut minus opportuno tempore exhibitis, vomitus oritur, opium exhibendum non eſt. Licet enim ob compeſcendos ſpaſmos indicetur, id tamen neutiquam conuenit, ſiquidem acris ille ſtimulus, inuoluendus aut eliminandus omnino, opio quaſi includitur, huiusque actione finita, peior vomitus redit. Minime etiam conducit opium, ſi a tenui acri materie, in humorum maſſa habitante, et verſus exteriora ableganda, circa ventriculum vero moras nectente, vomitus prouenit. Cum enim iſta materie plerumque diſpoſitio ad inflammationem inducatur, vt in variolis, morbillis, febribus acutis obſeruatur; opium ſane, cauſam minime remouens, exhiberi nequit, ſed antiphlogiſtica eligenda ſunt. Si vero ab humore arthritico retrocedente vomitus oritur, opium, cum circulum ſanguinis non debilitet, ſed potius, eodem vegetiori reddito, perſpirationem et ſudorem moueat, opium conuenire videtur. Cautione tamen et hic opus eſt ſeduloque attendendum num ſubiecta infirma ſint, numque acre arthriticum nimis alte inſederit

ventriculi

ventriculi tunicis labemque viſceri intulerit, vbi ſane opium iuuare nihil poteſt. A vaſis ventriculi, ſanguinem coaceruatum libero motu non transmittentibus, nimis oppletis, diductis, obſtructis et varicoſis ſi oritur vomitus, vt in ſuppreſſione haemorrhoidum fluxuque menſium fieri ſolet, opium, congeſtum ſanguinem magis rarefaciens ideoque vaſa magis implens nunquam prodeſt, ſed ſuppreſſionem confirmat. Si a vaſis ventriculi conſtrictis in ſucciplenis et plethoricis vomitus oboritur, qualis a potu frigido poſt exaeſtuationem ſubito ingurgitato deprehenditur, opium ob laxandum ſpaſmum, dummodo relaxantia clyſmata, ſaponacea acida, diluentia, nitrum extusque calida ſimul applicentur, conuenire videtur. Si autem ab inflammato ventriculo vomitus prouenit, opium ob acrem et irritantem vim exhiberi prorſus nequit, excepto eo caſu, vbi vomitus inflammationem antecedit, in quo certe, opio caute dato, optime interdum praeoccupari poterit inflammatio. A ſolo motu inordinato liquidi neruorum ſi oritur vomitus, opium ſaepe praeſtat opem. Ita iis conducit, qui curru vecti facile vomunt, vel vbi ab imaginatione vomitus eſt, vel vbi a terrore ſubitaneo enatus fuit. Ab iracunda animi commotione autem ſi oritur vomitus, opium ad compeſcendos ſpaſmos conuenire quidem videtur, ſed praeſtat talia exhibere, quae acrimoniam bilioſam, quam tamen opium non infringit, corrigant vel e corpore eiiciant. Tandem etiamnum notandum eſt, opium non exhibendum eſſe, ſi debili laxaque neruorum fabrica homines inſtructi ſint, licet et in his a ſola ſpirituum anomalia vomitus ortum trahat. Si a neruis ventriculi ob conſenſum per partes alias, morbo ſuo proprio laborantes, affectis vomitus naſcitur, opium non conducit; ſique demum a vitio in ſolidis ventriculi circa cardiam vel maxime

 pylorum

pylorum haerente, ſuppuratione, ſcirrho vomitus oritur, opium miſerrimum ſolamen adfert, nec raro nihil iuuat. Criticum autem vomitum opio oppugnare, periculoſum eſt, nec indicationi reſpondet.

p. 97. Affinitatem quandam cum vomitu alit ſingultus, cuius cauſas omnes vel ad repletionem vel ad inanitionem vel ad irritationem Cl. Auctor refert. Singultum ab ingurgitatione nimia opio compeſcere, indicationi contrarium eſt, cum de euacuatione hic cogitandum ſit. Ab inflammatione ventriculi, oeſophagi, diaphragmatis ortus ſingultus et febre ſtipatus curationem morbi inflammatorii et antiphlogiſtica remedia deſiderat, ad quae autem opium referendum non eſt. In ſingultu ab excretionibus ſuppreſſis, menſium v. g. haemorrhoidumque fluxu ſuppreſſo orto medela a reſtitutione ſuppreſſae excretionis pendet, ſine qua opium vix iuuat. Si ſingultus ab acrimonia ingeſtorum oritur, non opium, ſed talia, quae acrimoniae aduerſantur, exhibenda ſunt. Nihil etiam valet opium, ſi vermes ſingultus cauſam dant; hi enim peculiaria remedia poſcunt et per euacuantia expellendi ſunt. Si draſtica purgantia et emetica vel venena cauſtica ſingultum producunt, demulcentibus et oleoſis prius exhibitis optime opium conducit. Si acrimonia, humorum maſſae inhaerens, ad ventriculum delata ſingultum parit, excretio congruis remediis reſtituenda et ad ſua loca acre inuitandum eſt. A dolore partium, ventriculo et diaphragmati vicinarum, ortus ſingultus, non niſi principe morbo rite oppugnato, abigitur; qui vero a mobilitate neruorum et ataxia ſpirituum oritur, hic, determinationem ſpirituum mutando vel et motum ipſum copioſius affluentium inhibendo curatur, quapropter opium, quod ad poſteriorem modum ſpectat, aptiſſimum locum inueniet. Violentum vomitum aut diu

durantem ſi ſequitur ſingultus, non niſi remedia vomitus praegreſſi valent. Cum febre intermittente complicatus ſingultus nunquam opio curandus eſt. Singultus a refrigerio calidum regimen et remedia calefacientia et aromatica requirit, hinc opium, calefaciens et ſpaſmo criſpatas fibras inſuper relaxans, conueniens iudicatur. A luxatione, diſtorſione et fractura coſtarum inferiorum aut cartilaginis xiphoidis obortus ſingultus manum chirurgicam, nec vnquam opium poſtulat. A denudata tunica ventriculi villoſa ſi oritur ſingultus, opium, non niſi demulcentibus et oleoſis praemiſſis, prodeſt. Singultus ab aphthis, tum naſcentibus, tum deciduis, non opio, ſed in priori caſu relaxantibus et emollientibus, in poſteriori autem oleoſis et demulcentibus tractandus eſt. In ſingultu, a laeſionibus cerebri orto, opium, humores ad caput determinans, nunquam prodeſt. In ſingultu a pure et ichore gangraenoſo vel in ventriculo genito vel reſorpto et ad ventriculum depoſito, opium nihil prodeſt. Ab inanitione ſi prouenit ſingultus, excretione vrgente cum replentibus opium ſimul adhiberi poteſt. In chronico tandem ſingultu, vitia neruorum diuturna malamque conformationem partium et indurationem earum pro cauſa habente, praeter miſeram curationem palliatiuam opium ſane nihil praeſtat. In genere tamen notandum eſt, vehementiſſimum ſingultum, aegri vires proſternentem aut grauius malum inducentem exigere, vt, niſi cauſa morbi ocyus auferri poſſit, ad opium ſtatim confugiatur.

Ad tuſſim pergit Noſter. Haec, quae ſemper p. 123.
irritationis neruoſae membranae ideam inuoluit, vel idiopathica eſt, ſi in ipſis reſpirationis organis cauſa haeret, vel ſymptomatica dici ſolet, cuius cauſa in diſſitis locis habitat perque conſenſum neruorum ad pulmonem propagatur. Si ab inſpiratis irritan-

tibus oritur tuſſis, vapores ex aqua et lacte ore hauſti conducunt, poſthac autem opium exhibere, conuenit. Si peregrina in aſperam arteriam illabuntur corpora, ea vel tuſſi reiiciuntur vel ſi ob molem reiici nequeunt, mortem producunt; in vtroque caſu opium nihil valet. Si a ſiccitate tracheae in morbis continuis et inflammatoriis tuſſis producitur, aer inſpiratus per artem tepida humiditate praegnans redditus, cum antiphlogiſticis inſuper exhibitis, optimum remedium dat, opium autem, febris cauſam augens, nocet. In tuſſi catarrhali, quae ab acri tenui ſero, tracheam ſollicitante prouenit, optime medicatio ſuccedit, ſi mane purgans mannatum ſumitur, a meridie autem potiones demulcentes et emulſiones, acre temperantes, atque remedia, diaphoreſin et diureſin mouentia in vſum vocantur, tandem veſperi, poſt tepidum pediluuium, opium exhibetur. In tuſſi pectorali humida habituali, vbi craſſum viſcidumque ſputum accumulatum reiicitur, et ob hanc cauſam nutritionis defectus metuendus eſt, diaeta conueniente et nutriente commendata, materies mobilis reddenda et per purgantia educenda, tandem pulmonibus robur conciliandum eſt, opium vero ad tumultuantes motus, veſperi interdum compeſcendos ſumma cum cautione exhibendum eſt, ſiquidem in hac tuſſis ſpecie ſuffocationem minari poteſt. In tuſſi epidemica conſtitutionis epidemicae ratio indaganda eſt, inde, cum ea ſibi non ſemper ſimilis ſit, vix definiendum, vtrum proſit an noceat opium; nocet tamen ſemper, ſi febris aut inflammatio ſimul cum tuſſi coniungantur. In tuſſi ab acrimonia humorum princeps morbus curandus eſt, tuncque ſemper ponderandum, an morbus ipſe opium ferat. Sique a retropreſſa quadam materie v. g. ſcabioſa, arthritica tuſſis dependeat, reuellentia quidem et attrahentia ad loca, quibus antea inſedit materies, primaria

remedia

remedia ſunt, neque tamen in his ſpeciebus opiata reformidanda ſunt. In tuſſi plethorica opium, cum ſanguinem rarefaciat atque acre et aromaticum remedium ſit, abeſſe debet. In tuſſi ſtomachali opium nocet ſemper; digeſtioni enim inimicum habetur, fibrasque motrices totius canalis alimentorum ſenſu et motu priuat. Simili ratione et nocet opium in tuſſi habituali cachectica, a tuſſi ſtomachali diutius durante nata: ob laeſam enim digeſtionem acres viſcidique ſucci in humorum maſſam inducuntur, ad pulmones deferuntur ibique tuſſiculoſam irritationem pariunt. Tuſſis hypochondriaca, cuius cauſa in inteſtinis omnibusque imi ventris viſceribus, debilitate et obſtructione laborantibus, quaerenda eſt, nunquam opium fert, ſed in ea principis morbi ratio habenda eſt. At conuulſiua tuſſis opium admittit; coercet enim motus animales, obtundit ſenſum ſtimuli, neruos laryngis, aſperae arteriae et bronchiorum vellicantis, ſummamque glottidis ſtricturam relaxat: in tenerioribus tamen vſus eius circumſpectus omnino eſſe debet. In rheumatica demum tuſſi quousque et ſub quibus cautionibus locum habeat opium, capite de rheumatismo expoſitum eſt. Quamuis autem plures, hactenus memoratae tuſſis ſpecies opium vix admittant, in genere tamen notandum eſt, et in iis quoque, quae opium non ferunt, ob vehementiores, quos tuſſis haud raro producit, motus et ob metum grauiorum inde enaſcentium morborum laudatum iſtud remedium exhibendum eſſe, ita tamen, vt venaeſectio praemittatur ſemper, qua quippe inſtituta tutus omnino opii habetur vſus.

Aſthma in genere conſideratum, opii vſum vetat. Eo enim ſanguinem rarefieri, molem mouendorum augeri et reſpirationem difficiliorem reddi, experientia docet. Quid ergo boni exſpectan- p. 151.

dum in aſthmate, cum cauſae huius iſto remedio auctiores reddantur. Dicunt quidem non in omni aſthmate, ſed in aliquibus tantum ſpeciebus bonum ab opio expectandum eſſe effectum. Certe, ſi quid praeſtat, id tantum in ea ſpecie valet, vbi ſola ataxia ſpirituum aſthma producit, quod tamen et tunc quoque absque cautione ſuſcipiendum non eſt. In conuulſiuo vero aſthmate, in quo a nonnullis tanti aeſtimatur opium, iſtud ſane vel nihil iuuat, vel mitigatorium tantum remedium eſt, tuncque non niſi miſerum ſolamen adfert, et vſu continuato non raro grauius malum excitat; vno tantum caſu excepto, vbi aſthma conuulſiuum a materie retrograda, ſcabioſa, purpuracea, ſcorbutica aut vlceribus retropreſſis aut a frigore pendet, in quo ſane caſu opium, diaphoretica vi praeditum vſum aliquem praeſtare quidem poteſt, ſed non niſi caute exhibendum erit.

p. 164. In palpitatione cordis cauſas ſi perpendamus, opium raro locum habere, animaduertimus. Conducit iſtud, vbi tenuis acrimonia ad exteriora determinanda eſt, vbi excretiones quaedam compeſcendae ſunt atque vbi ſola mobilitas, vt in hypochondriacis et hyſtericis peccat, et vbi ſpaſmi et flatus ac dolores non inflammatorii vrgent; in reliquis ſpeciebus remedium iſtud nocet ſemper, maxime autem, quando organica vitia ſubſunt, atque inter ea aneuryſma peccat vel polypus palpitationis cauſa eſt.

p. 172. Tertio demum capite opii vſum in dyſenteria aliisque fluxibus aluinis perpendit Noſter, variisque primo auctorum de opii vſu ſententiis recenſitis, ipſe nunc morbum hunc conſiderat eiusque cauſam proximam acrimoniam tenuiſſimam, cauſticam bilioſam eſſe, eximiumque in curatione eiusdem euacuantium vſum haberi, oſtendit. Cum autem acre illud irritans per aluum expellendum ſit, opium

vero

vero id non expellit, ſed retinet, idemque nec deſtruit, nec inuoluit, nec etiam, ſolo dolore excepto, omnes illius effectus impedit, primo ſtatim intuitu iſtud remedium noxium habendum eſſe videtur. Aſt ſi vrgentiſſimum dyſenteriae ſymptoma, dolorem, perpendas, qui ſanguinem et humores ad partem affectam violenter attrahit et febrem, ſyncopen, inquietudines, phreneſin aliaqua grauiora ſymptomata producit, opium ſane neceſſarium habetur et nunquam nocere poterit, ſi ſimul demulcentia et euacuantia vſurpentur, hisque demum dictum remedium et interponatur et ſubiungatur. Sique vehementiſſimum illum fluidorum affluxum et effluxum atque ſpaſticum illum et conuulſiuum in ſolidis ſenſiliſſimis conatum perpendamus, opium, vt egregie Noſter exponit, potu tantum emolliente et lacteo largiter hauſto elotisque inteſtinis per oleoſum clyſma, mature etiam adſumi alteroque die rhabarbarum et manna felici cum ſucceſſu propinari poſſunt. Neque enim generoſa etiam doſi datum opium fluxum illum tollit, ſed refraenat tantum et pauliſper coercet. Imo vero, morbo iam adulto aut enatis ſtatim, ob ſummam acrimoniae virulentiam, doloribus ſummis, ſanguineque, deiectionibus numeroſiſſimis praegreſſis, ſincero et copioſo effluente, nonniſi blandiſſima lenientia et opiata quantocyus exhibenda omniaque euacuantia, ne rhabarbaro quidem et manna exceptis, intermittenda ſunt. In eo namque caſu vel leuiſſimus ſtimulus nocet et malum grauius reddit, imo mortem accelerat. Sique demum dyſenteriae malignae febribus putridis occurrant, corticem Peruuianum cum opio coniunctum exhibere conuenit, a quibus tamen abſtinendum, ſi febris acuta inflammatoria eam comitetur.

De

De cholera, de qua Cl. Auctori nunc agendum eſſet, nihil addere Noſtro placuit, cum peculiari ſcripto atrox iſte morbus deſcriptus habeatur, cuius ſummam nos alio tempore * exhibuimus.

In diarrhoea opium a nonnullis maxime laudatur; cum autem illo fluxu morbi non raro minuantur, iſte, vtpote ſalutaris, opio compeſcendus non eſt. Sin vero fluxus perpetuus fere eſt et laudabiles ſucci ſimul efferuntur viresque inde franguntur, absque damno iſte ſibi permitti non poteſt. Verum cum cauſae diarrhoearum variae ſint, variamque curationem expoſcant, in certas claſſes eas Noſter diſtribuit et opii vſum exponit. Diarrhoea a purganti draſtico excitata et hypercatharſis dicta, ſolo lacte tepido hauſto poſteaque mero opio ſumto curatur, theriaca autem, ob calidiora admixta improbatur. In diarrhoea, quae a cruditatibus vel a laxitate inteſtinorum dependet, opium plane interdicitur; in priori namque euacuantia, in poſteriori autem adſtringentia optimam medelam praebent. Quae vero a mobilitate neruorum, absque omni materiae vitio prouenit, ea quidem opium requirere videtur, ſed praeſtant aromatica, neruina et roborantia; ad opium vero non niſi neceſſitate vrgente confugiendum eſt. In diarrhoea indigeſtorum ſeu lienteria, dein in diarrhoea chymoſa et chyloſa, quae coeliacus fluxus nuncupatur, inque ea demum ſpecie, vbi per aluum larga ſatis copia mucoſa et pituitoſa excernitur materies, opium prorſus nocet: in primo enim caſu amara, aromatica et roboran-
p. 234. tia, in ſecundo tertioue autem reſoluentia et euacuantia tandemque tonica indicantur. Si a ſero in corpore abundante prouenit diarrhoea, promotione potius, quam conſopitione ea indiget, tandem roborantia requirit; quae vero diu durauit, ita vt vires frangantur, ea adſtringentia et aromatica, ſi nulla adſint tormina, his vero praeſentibus, anodyna poſtulat.

* vid. Comment. noſtr. Vol. II. P. IV. p. 685.

poſtulat. Aliter vero ſe habere videtur diarrhoea ſeroſa, quae a perſpiratione ſuppreſſa dependet. Cum enim ea ſudore excitato haud raro curetur, quaeritur inde, anne opium diaphoreticum huic fini aeque inſeruiat? Licet vero haec diarrhoeae ſpecies opium optime ferre videatur, requiritur tamen, vt quisquiliae, in inteſtinis ſtabulantes, prius eiiciantur. Diarrhoea bilioſa opium non fert, ſed euacuantia, acidula, ſapones acidos vegetabiles, tandem, diu his vſurpatis, nec cedente malo, adſtringentia, vel, ſi tormina vrgent, anodyna requirit. In diarrhoea, in qua ſerum ſanguineum, loturae carnium ſimile excernitur, quaeque hepaticus fluxus nominatur, licet raro admodum contingat, nunquam tamen opium permittitur, ſed polychreſtus ſemper in eo rhabarbari acidularumque martialium vſus eſt. In diarrhoea cruenta, quae, quod ſine torminibus et ſine tenesmo eſt, a dyſenteria differt, opium nullum plane locum habere poteſt, ſiquidem dictus fluxus vt haemorrhagia conſiderandus eſt, eademque omnia ibi valent, quae de vſu opii in haemorrhagiis dicta ſunt. Diarrhoea atrabilaria, quae critica eſt, opii omni p. 247. umque adſtringentium vſum interdicit et euacuantia requirit, eo tantum caſu excepto, vbi nimia copia nimioque impetu ad inteſtina ruit materies, in quo anodyna interponenda ſunt; in ſymptomatica autem, intenſiſſimis torminibus ſtipata ab opio nullum fere ſolamen expectandum eſt. In diarrhoea purulenta et vlceroſa, ſiue pus in ipſis inteſtinis haereat ſiue aliunde eo deferatur, opium partim nihil iuuat partim valde nocet. Diarrhoea colliquatiua, quae a putrida humorum indole oritur, omnia artis molimina eludit; quare opium quoque in ea nihil valet: quae vero poſt vſum remediorum mercurialium euenire ſolet diarrhoea colliquatiua, ea optime curatur opio, cum

nullum

nullum pharmacum mercuriali veneno conuenientius opponi poſſit, quam cum emollientibus opium. Diarrhoea, quae a retropulſa materie acri, v. g. arthritica oritur, ſi per blanda euacuantia non ſiſtitur et effuſior redditur, theriaca et diaſcordio componi debet, cum opiata ad exteriora materiem propellant. Diarrhoea febrium ſpontanea, quae in principio morbi obuenit ſeque per ſigna ſua a ſymptomatica diſtinguit, non compeſcenda, ſed adiuuanda eſt. In critica autem ſollicite cauendum eſt, ne minus opportuna et damnoſa cohibitione ea turbetur. Quodſi vero fluxus nimius ſit et vires vere deſtruat, ad opium confugiendum eſt.

In ſymptomatica diarrhoea ad opium ſtatim confugere non licet. Id enim, quod in canalem alimentorum depoſitum excernitur, crudum eſt et acrimonia ſui generis peccat, hincque ſi reprimatur, in ſanguinem remeare viſceribusque noxam inferre poteſt. In genere autem notandum eſt, opium toti febri acutae, in ſe conſideratae, nequaquam conuenire, ſed eam augere omniaque ſymptomata grauiora reddere. Nocet inprimis opium in ea ſymptomaticae diarrhoeae ſpecie, quae praeſente ſanguinis diatheſi inflammatoria oritur aut quae ab acrimonia bilioſa, in inteſtina confluente excitatur: in priori enim caſu antiphlogiſtica inque poſteriori eadem et demulcentia, auenacea, ſubacida aliaque eiusmodi et in primis nitrum proſunt. Nunquam etiam proficuum aeſtimatur opium in ea diarrhoeae ſpecie, quae declinante iam morbo a ſordibus, vomitorio ſub initium febris licet indicato, eo tamen non repurgatis oritur: tunc autem vel vomitorium vel aluum blande laxantia conducunt. In diarrhoea, quae nitratis, acidis, ſyrupis ſaponaceis et emulſionibus largiter vſurpatis ſuperuenit, inter vſum iuſculorum ex cerealibus, nitroſis pulueribus fluida tepida ſuperbibere abſorbentia et

potus

potus calidos exhibere et clyſmata demulcentia iniicere praeſtat. Hac medela non ſufficiente externe theriaca cum vino rubro applicanda tandem et opiata exhibenda ſunt. Si diarrhoea febrium a denudatione corporis et inde orta tranſpirationis ſuppreſſione oritur, potus calidi et epithemata calida, exterius applicata, proſunt, opiata vero, non niſi torminibus vrgentibus, exhibenda ſunt. In diarrhoea, quae ab aphthis decidentibus oritur vireſque morbo iam depreſſas magis debilitet, iuſculis tenuibus auenaceis, lacte, rheo toſto, corticis peruuiani decocto etc. prius vſurpatis, ob doloroſas ſenſationes partium denudatarum papauerina, hisque nihil iuuantibus, opium exhibere, non dubitandum eſt. In diarrhoea tandem a putredinoſa corruptione viſcerum poſt inflammationem nata, neque opium, neque vllum remedium praeſtare quidquam valet.

III.

IOH. ANTON. SCOPOLI Ph. et M. D. Ciuitatis Idriae Phyſici, Flora Carniolica; exhibens plantas Carniolae indigenas, et diſtributas in claſſes naturales, cum differentiis ſpecificis, ſynonymis, locis natalibus, nominibus incolarum, obſeruationibus ſelectis, viribus medicis. Viennae ſumpt. Ioh. Th. Trattner. 1760. 8 mai. Alph. 1. plag. 16½.

Floriſtae officium laudabili ſtudio ſuſtinuit adimpleuitque Cl. Auctor, dum ſyſtematico ordine plantas, Carniolae habitantes, diſpoſuit, generum praecipuos characteres annotauit, ſpecies genuinis nominibus inſigniuit, easque ſollicite a varietatibus ſeparauit, ſelectiſſima ſynonyma, ea inprimis, quae

quae poſt TOVRNEFORTIVM inuenta fuerunt, omiſſis antiquorum omnibus, vbique adduxit, loca natalia diligenter annotauit, vernacula nomina adpoſuit, immo et deſcriptiones breues, ſed quae differentias ſpecificas ſatis exprimunt, ſingulis fere ſpeciebus adiunxit, viresque medicas multarum ſtirpium, et quidem vix alias, quam a ſe ipſo ſaepius obſeruatas, addidit.

Ordinem ſyſtematicum naturalem magis, quam artificialem, adſumſit claſſesque partim a LINNAEO, ROYENO aliisque mutuatas, partim nouiter conſtitutas triginta tres conſtituit; quo itaque huius quaſi noui ſyſtematis ordines pateſcant, ſequens ſchema addamus:

Cl. I. Fungi.
II. Algae.
III. Muſci.
IV. Filices.
V. Inundatae.
VI. Piperatae.
VII. Gramina.
VIII. Calamariae.
IX. Lilia.
X. Satyria.
XI. Fructiflorae.
XII. Blattariae.
XIII. Aſcyroideae.
XIV. Vmbelliferae.
XV. Stellatae.
XVI. Gymnomonoſpermae.
XVII. Coniferae.
XVIII. Amentaceae.
XIX. Oleraceae.
XX. Tricoccae.
XXI. Contortae.
XXII. Aſperifoliae.
XXIII. Verticillatae.
XXIV. Perſonatae.
XXV. Columniferae.
XXVI. Succulentae.
XXVII. Caryophyllei.
XXVIII. Naſturtia.
XXIX. Papilionaceae.
XXX. Anomalae.
XXXI. Multiſiliquae.
XXXII. Gymnopolyſpermae.
XXXIII. Calycifibrae.

In generibus inferioribus conſtituendis plerumque quidem LINNAEVM ſecutus fuit, non tamen aliorum inuenta neglexit, potius quandoque ab eodem ſeceſſit, vt in *Filicibus*, ex GLEDITSCHII obſerua-

obſeruationibus ordinatis, immo nonnulla ipſemet mutauit. Ita *Naſturtia*, ſiue Tetrapetalas ſiliquoſas p. 510. relicto fructu aliisque characteribus praecipue ex glandulis, baſi ſtaminum vel petalorum adſidentibus, vel deficientibus nouo modo ordinauit, eorumque genera conſtituit; inter ſiliculoſas ſcilicet attribuit *Cochleariae*, quorſum et *Myagrum* et *Drabam* retulit, glandulas nullas, *Lepidio* glandulas duas ſtamen quodque minus ſuſtinentes, *Thlaſpi* glandulas quatuor, inter ſtamina maiora et minora poſitas, *Lunariae* totidem vtrinque vnam inter ſtamen minus et ſtylum, vtrinque aliam inter calicem idemque ſtamen. *Biſcutellae* glandulas ſex, vnam vtrinque inter ſtamina maiora, et vbique vnam inter quodque ſtamen maius minusque cohaerentem. Inter ſiliquoſas; *Siſymbrio* glandulas duas, vtrinque vnam ad baſin ſtaminis minoris; *Alliariae* totidem, vtrinque vnam cingentem baſes ſtaminum maiorum. *Dentariae* totidem, vtrinque vnam inter calicem et ſtamen minus; *Turritidi* quatuor, vtrinque vnam ſuſtinentem ſtamen minus, et aliam vtrinque inter ſtamina longiora et calicem. *Eryſimo* glandulas quatuor diſtinctas, vtrinque vnam ad latera ſtaminis minoris, vt in Thlaſpi, *Rorippae*, generico Gesneriano nomine, quo *Siſymbrium paluſtre repens naſturtii fol.* TOVRN ſiſtit, glandulas quatuor; vt in Eryſimo, ſed cohaerentes; *Heſperidi* totidem, vnam vtrinque inter ſtamen minus et corollam, et aliam vtrinque inter ſtamina maiora et calicem. *Sinapi* quatuor, vnam vtrinque inter ſtylum et ſtamen minus, et aliam vtrinque inter ſtamina longiora et calicem; *Cardamine* ſex, vtrinque duas inter ſtamen minus et maius proximum, aliam vero vtrinque inter ſtamina maiora et calicem; *Barbareae*, quae *Dentaria heptaphyllos baccifera C. B. Pin.* eſt, ſex, vt in Rorippa, ſed eae, inter quas ſtamina minora prodeunt, cohaerent in-

p. 189. vicem. Inter Gramina nouum genus, *Airae* proxi-
mum, ſpiculis bifloris, ſed ab ea diuerſum calicis
gluma vtraque ariſtata, petalo maiore tribus in-
aequalibus ariſtis terminato, minore vero bicorni,
cornubus ariſtatis, conſtituit, illudque in honorem
LEONH. SESLERI M. D. qui in vrbe Veneta ad inſu-
lam S. Elenae ditiſſimum hortum botanicum coluit,
p. 199. *Seſleriam* appellauit. *Bromum* vero et *Feſtucam* con-
iungi omnino poſſe affirmauit, cum ariſtae ab api-
cibus petalorum inſenſibiliter et eo vsque recedant,
donec dorſales fiant, hinc *Feſtucam* reiecit, et ſe-
quentes *Bromi* characteres tradidit: Calicem biglu-
mem muticum vel ariſtatum, ſpiculam plures, quam
duos flores, habentem, petala duo oblonga, ex-
p. 114. teriore ſemper ariſtato. *Tremellae* Dillenianum ge-
nus ambiguum, immo illud, vt cum *Lichen-agarico*
MICH. fecit LINNAEVS, a ſtirpium numero
prorſus ſeparandum eſſe aſſeruit, quod, vt retineret,
vnanimis modo botanicorum conſenſus effecit. In
muſcorum ordinandis inprimis ſpeciebus varia qui-
dem mutauit, DILLENII vero genera vtplurimum
p. 134. retinuit, et de *Polytricho* inprimis monuit, eius
ſpecies non bene a LINNAEO *Mniis* et *Bryis*
aſſociatas fuiſſe, et ſiue ſcyphi illi, *Mniis* attributi
adſint vel deſint, *Polytrichis* annumerandos eſſe
ſcripſit omnes muſcos; quorum capſulae calyptra
p. 336. villoſa teguntur. *Saniculam* et *Aſtrantiam* coniunxit,
easque plantas ob vires vulnerarias vnicum naturale
genus conſtituere aſſeruit, idque eo magis, cum
vmbella variet, et ſemina glabra per gradus ſcabra
tandemque alata fiant. Ita et inter *Sherardiam*,
p. 339. *Aſperulam*, *Galium*, *Valantiam* et *Rubiam*, nullos
inuenire limites potuit; *Sherardiae* quippe notam
inſufficientem *Valeriana* et *Scabioſa* docent, aſperitas
fructuum per gradus imminuitur, nec in aliis, vt
Datura et *Dauco* aſſumitur, nec fructus mollis et
ſiccus, vbi floris fabrica conuenit, genera diuerſa

conſtituit,

conſtituit, et ſexum denique nullibi diuerſa genera facere *Lychnides* et *Rumices* probant; *Gallii* itaque communis character erit: calix exiguus perſiſtens, ouario impoſitus, corolla tubuloſa, patens, fructus globoſus infra receptaculum, vno ſemine vtrinque foetus. *Betonicam* et *Sideritidem* calice et corolla p. 461. ſummam affinitatem habere, LVDWIGIO quidem concedit, attamen vtrumque genus retinuit, et *Betonicae* verticilla foliis flores diſtinguentibus, inſtructa, *Sideritidi* vero flores nullo folio diſtinguente bracteatos tribuit, *Stachydem* autem galea integerrima et ſtaminibus piloſis ab vtroque genere differre aſſumſit. Ita et *Lamium*, *Galeopſis* et *Ballote* calice p. 466. et corolla maxime conueniunt, ſeparata vero retinuit, et eſſentiam *Lamii* in denticulis, qui e lateribus labii prope faucem oriuntur, cauitate carentibus, *Galeopſidis* in denticulis iisdem cauitate donatis, et *Ballotis* in denticulis illis plane deficientibus poſuit. In *Sedi*, *Alſines* et *Lychnidis* generibus HALLERVM et LVDWIGIVM ſecutus fuit. *Geniſtam* et *Spartium* ſeparauit, monuit tamen ex legibus p. 534. methodi naturalis ſeparari non debere. *Dorycnium* p. 536. autem *Lotis* adiecit, ex illa, vt ſcripſit, lege, qua ex *Hedyſaro*, *Coronilla* et *Hippocrepide* vnum genus conſtrui deberet. *Sagittariam* et *Alisma* ſeorſim p. 560. quoque propoſuit, verum poſteriori generi prius potius addi, et *Aliſma floribus monoicis, foliis ſagittatis acutis* dici poſſe, e contrario autem antequam p. 567. *Hepatica* ad *Anemonem* referatur, plura alia genera mutanda eſſe monuit.

Haec de generibus dicta ſufficiant; quaedam nunc et ſpeciminis loco de ſpeciebus addamus. In genere monemus, ſpecifica nomina, recentioribus vſitata, ſaepiſſime mutaſſe inque horum locum noua appoſuiſſe, vti facile in Graminibus, Muſcis, Lichenibus et Fungis apparebit diſquirentibus. Fungos prae reliquis ſtudioſius diſquiſiuit, plurimosque, ab

 aliis

aliis pro ſpeciebus venditos, pro varietatibus modo
propoſuit deſcripſitque, alias vero, vt nouas, nec
dum deſcriptas, ſpecies annotauit; ſpeciatim *Agaricos* ſedulo collegit, examinauit, ordinauit et ſub
46 ſpeciebus plurimas varietates reduxit. De *Boletis*, quos cum GLEDITSCHIO adſumſit, vt varietates innoteſcant, non modo colorem pilei, tubulorum, ſtipitisque conſiderandum, ſed frangendum
etiam eſſe pileum et obſeruandam carnem, vtrum ab
aeris attactu naturalem colorem mutet, et qualem
induat, an vero immutatum retineat, Cel. Auctor
notauit. Inter *Lichenes cruſtaceos* nouas propoſuit
p. 84. ſpecies, a MICHELIO et DILLENIO non memoratas, quas conſtituunt ſuperficies lapidis cuiuscunque diuerſo colore tincta; eam tamen pro cruſta
inorganica habuit, impalpabili et lapidea; namque
in colorata ea lapidis parte excauata apparent. Foueolae, quae modo plenae ſunt tartarea et decolore
ſubſtantia, modo autem diuerſum a ſubiecta cruſta
colorem habent, nullaque alia materie repletae
apparent. Et licet Cl. Auctor dubitet ipſe, an
eiusmodi tuberculoſae lapidum ſuperficies verae
ſint plantae, aut potius lapideo quodam concremento repletae foueae, tamen inter producta regni
vegetabilis collocare voluit, quippe talia, quae
mediam indolem plantas inter et lapides habeant.
p. 95. *Lichenes* etiam *coralloideos* diligenter ſe obſeruaſſe,
ſeque vidiſſe cornicula ſimpliciſſima in ramoſa,
pyxides ſolitarias in proliferas, tubercula coccinea
aut ſeſſilia in fuſca et ſtipitata, nudos ſtipites in
ſquamoſos, minusque ramoſos in ramoſiſſimos degeneraſſe monuit; hinc imitari noluit alios botanicos, qui veriſſimas varietates pro ſpeciebus venditarunt, potius coralloides aliter diſpoſuit ordinauitque, immo ſcripſit: Vnicam Lichenis coralloidis ſpeciem a Deo fuiſſe creatam, ex qua reliquae
p. 172. omnes natae fuerunt. *Equiſeta* cum quoad varias
aetates

aetates, diuerſamque natalium locorum indolem
varie ludant, et in ſynonymis ordinandis maxime
diſſentiant ſcriptores, illorum ſpecies aut non rite
definitas, aut non tot eſſe, quot huc vſque aſſump-
tae ſunt, Cl. Auctor exiſtimauit; hinc, donec cer-
tiora proſtent; duas tantum ſpecies, caule laeui et
ſulcato diſtinctas aſſumſit. Ex eadem enim radice
caules nudos non floriferos, caules ſupra medium
frondoſos non floriferos, caules nudos floriferos
et caules frondoſos floriferos enatos obſer- p. 214.
uauit. *Caricum* ordines et ſpecies non cum
LINNAEO deſumſit a ſpicarum indole, quippe
quae maxime variare ſoleant, ſed ex culmo,
quem mutationibus longe minus obnoxium eſſe
vidit. Tres *Euonymi* * ſpecies, a LINNAEO con- p. 325.
iunctas, ſeorſim propoſuit, *Perſicariam* vero *mitem* p. 421.
vrentemque, nec non *Prunellae* ſpecies quatuor, ab p. 460.
HALLERO aſſumptas, coniunxit et ſ. p.

Vires denique plantarum medicatas ſaepiſſime
annotaſſe Cl. Auctorem monuimus; ita *Lichenem* p. 102.
pulmonarium in haemoptyſi prodeſſe, *Aſparagi* ſyl p. 238.
veſtrem radicem ex arenoſa loci natalis indole ab
heterogeneis pinguibus et glutinoſis particulis, quae
diuretico ſcopo minus fauent, liberatam, ſatiua
longe praeſtantiorem eſſe; *Bryoniae* radice trita, p. 267
eaque ſola, vel cum aceto remixta, diu ſaepiusque
externe applicata, contumaces viſcerum abdomi-
nalium obſtructiones, inprimis a peruerſo corticis
Peruuiani vſu enatas, feliciter profligaſſe; *Sangui-* p. 279.
ſorbae vulgaris radicis puluerem in dyſenteria ſub
finem ad drachmam in vino rubro datum, profuiſſe;
Lyſimachiae, *Nummulariae* dictae, folia ſola, extrin-
ſecus applicata, vlceroſam tibiam ſanaſſe, ipſe

* Non vero eſt, quod mirum videatur Cl. Auctori, Euonymum ad pentapetalos flores amandaſſe BOEHMERVM, ipſi enim latifoliae ſpeciei plerumque corollam quinquefidam tribuit, et exoticae ſpecies omnes quina gerunt petala.

p. 306. expertus fuit. *Veronicae* officinalis decoctum, pauco
aceto admixtum, per infundibulum ore exceptum,
in catarrhali ſuffocatione multum valere obſeruauit,
eandemque plantam in inflammationibus impetum
augere affirmauit, vt mirum ipſi videatur, tam
facile in pleuritide praeſcribi a medicis; attamen
p. 314. alio loco Cl. Auctor aſſeruit, nullum potum thei-
formem in pleuritide praeſtantiorem eſſe, quam ſi
Veronica cum fl. *Popaueris erratici* propinetur. *Va-
lerianae fol. omnibus pinnatis* radicis vſum in epilepſia
curanda, ſingulari exemplo confirmauit, immo
Valerianam ſexu diſtinctam non differre a priori,
p. 354. aſſumſit. Ex radicis *Bardanae* decocti diuturno vſu
puellam toto corpore contractam redditam vidit,
qua re permotus quaeſiuit: an noxium quid inſit
plantae? an a ſale et oleo acri ſiccante et irritante
p. 377. ſolida haec neruorum tenſio? * *Arnicae* virtutem
ad reſoluendos humores poſt lapſum aut contuſio-
nem extra vaſa effuſos, dummodo folia trita externe
p. 415. appoſita fuere; *Quercus* cupularum puluerem ad alui
p. 423. fluxum et dyſenterias compeſcendas; *Polygonum*
vulgare in diarrhoeis diuturnis, maximopere
p. 462. laudauit; *Betonicae* cephalicam virtutem non ima-
ginariam ſed realem eſſe, firmandisque neruis
idoneam,

* Licet practicarum Cl. Auctoris obſeruationum fidem ſuſpectam reddere neutiquam cupimus, non poſſumus tamen non ſalutarem et ab omni ſuſpicione remotum vſum Bardanae radicis defendere atque monere, nos ſalis et olei acris ſiccantis et irritantis veſtigia nunquam inueniſſe, potius demulcentem, blandeque reſoluentem virtutem ipſi ineſſe, repetita experientia cognouimus, puellamque obſtructione viſcerum infimi ventris vexatam, emaciatam, tabidoque morbo proximam, ſolo fere decocto recentis radicis, copioſe aſſumpto reſtituimus, praeterea, vt alia omittamus teſtimonia, ANTON. STOERCKIVS idem decoctum in ſcabie, poſt febres ſuperatas relicta maxime commendauit; vid. Eius Annus Medicus, de quo paullo poſt acturi ſumus.

idoneam, acrem vero, radicem recentem aluum, folia ſternutationem mouere, *Sedi* vulgaris folia p. 490.
trita et ſacculo incluſa, haemorrhoidibus coecis, maxime dolentibus, applicata, dolorem et tumorem auferre, ſuccumque interne ſumptum putredinem eneruare, ſcripſit. De *Aconito*, *Anthora* p. 550.
dicto, retulit, flores pileis veſtibusque affixos capitis dolorem producere, vt et manum, diu geſtata ſtirpe, intumuiſſe, ab amico accepit, decoctum radicis cymices necare, pulueremque ſi butyro miſceatur, muribus loco arſenici eſſe retulit Cl. Auctor.

Alias porro botanicas et oeconomicas obſeruationes immiſcuit. In *Lichene foliaceo*, *Pulmonaria* vulgo dicto, ſcuta, de quibus non meminit DIL- p. 102.
LENIVS, rariſſima vero dixit HALLERVS Cl. Auctor fere ſemper inuenit, eademque plana, ſeſſilia, rubra aut nigra, ex oris et ſuperna et inferna folii facie enata; aliquando etiam totam plantam verrucis ſeminalibus modo exaſperatam, ſcutisque penitus deſtitutam, ſaepius tamen et ſcuta et verrucas in eodem folio obſeruauit. In *Orchidibus*, ſiue vt p. 244.
Cl. Auctor claſſico nomine dixit, *Satyriis* omnia adhuc confuſa eſſe perhibuit, et quo deſcriptiones harum eu de iter magis euidentes, ſequentia propoſuit nomina: Floris ſiue Cuculli ſcilicet petalum ſupremum *ſcutum*, duo alia *opercula*, et alia duo *alas*, ſextum vero *labium*, eiusque ſegmenta, ſi adſunt, ſuperiora, *brachiola*, inferiora *cruſcula*, minimum inter crura *ſpinolam* adpellauit; In tribus vero, quae propoſuit generibus, *Orchide*, *Ophry* et *Serapias* multas ſpecies retinuit deſcripſitque, quas LINNAEVS inprimis pro varietatibus modo propoſuit. In *Fraxino* apetala dicto, et flores her- p. 579.
maphroditos et femineos adſumſit in diuerſis plantis, vtrique autem flori calicem quadrifidum et petala quatuor euidentia, alba, decidua, pedunculo

et ſtaminibus longiora, ex interiore calicis pariete enata tribuit. *Atrietis foliorum apice bifido* ſemen humo vegetabili primo vere commiſſum, protuliſſe ſtipitem biuncialem, ex cuius apice quina folia ſeu cotyledones prodierunt, eamque plantulam apto tempore in aliam terram translatam non periiſſe, vixiſſe potius et increuiſſe retulit, ſimulque monuit Cl. Auctor an non hac arte nemora condi propagarique poſſent?

IV.

NICOL. IOSEPH. IACQVIN Enumeratio ſyſtematica plantarum, quas in inſulis Caribaeis vicinaque Americes continente detexit nouas, aut iam cognitas emendauit. Lugd. Bat. apud Theod. Haak, 1760. 8 mai. plag. 4.

Plantarum Americanarum, quae inter tropicos ſortiuntur natale ſolum, illas hic enumerauit Cl. Auctor, quae vel in hunc vsque diem botanicis incognitae, vel aliquali quidem; aſt inſufficienti aut erronea ratione deſcriptae fuerunt. Et duplici quidem modo hanc enumerationem inſtituit, dum ſcilicet primo ad ſyſtema LINNAEI Genera, omiſſis omnibus illis, quarum veram cognitionem iam poſſidemus, et ſecundo ſpecies, characteriſticis notis diſtinctas, ordinauit, inter has vero nonnullas etiam, rite iam antea definitas, ideo excitauit, quo euidentior exſurgeret ſpecierum diſtinctio, earumque interrupta ſtaret ſeries. Subiunxit ad calcem plantas octo nouas, quas inter alias plures poſſidet FRANCISC. a MYGIND, quasque in inſula Barbados collectas fuiſſe, Cl. Auctor exiſtimauit.

Genera hic a Cl. Auctore enumerata ſtabilitaque breuiori quidem deſcriptione, et ſpecies ſpecifico nomine,

nomine, nulla addita deſcriptione, modo exornatas, deprehendimus, attamen illos, omiſſis reliquis, inprimis adductos inuenimus characteres, qui ad determinandam certam conſtantemque generis et ſpeciei differentiam valere et ſufficere omnino videntur; eumque inprimis ſcopum praefixum habuit Cl. Auctor, vt Syſtemati naturae, a LINNAEO nuper edito, appendicis in locum inſeruire poſſet praeſens opuſculum. Et cum de his omnibus ſpeciatim aliquid dicere, nimis prolixum foret, en modo catalogum generum exhibeamus, ſunt namque

Genera Noua:

Hapalanthus, Petitia, Aquartia, Chomelia, Myginda, Iacquinia, Laugieria, Hamelia, Ruyſchia, Chaetaea, Hybanthus, Terebinthus, Hillia, Trigonis, Elaphium, Myroſpermum, Heiſteria, Swietenia, Caſearia, Copaiua, Hiraea, Ginoria, Symplocos, Homalium, Ruſſelia, Brownaea, Niſſolia, Geoffroaea, Diphyſa, Spilanthes, Kleinia, Wedelia, Strumpfia, Elaterium, Anguria, Boehmeria, Schaefferia, Aſtronium.

Genera Emendata:

Hippocratea, Echites, Varronia, Cordia, Bourreria *, Ehretia, Chryſophyllum, Ximenia, Amyris, Melicoccus, Dodonaea, Caſſytha, Anacardium, Trichilia, Samyda, Suriana, Bocconia, Chryſobalanus, Mentzelia, Muntingia, Lecythis, Auicennia, Petraea, Duranta, Securidaca, Amerimnon, Piſtia, Helicteres, Hernandia, Sapium, Dalechampia, Batis, Cluſia.

Dd 5 Aſcle-

* Ita hoc nomen retinuit Cl. Auctor, quod enim in BROWNIO legitur, verum cum in memoriam BEVRERI dictum eſſe videatur genus, loco Bourreriae Beureriam nominauit BOEHMERVS in Definit. Plantar. Ludwigianis, n. 140.

p. 17. Aſclepiadis ſpecies, quarum octo nouas recenſuit, ferme omnes ſtaminibus decem gaudere, quorum quaelibet duo vicina ex eodem puncto ortum ducunt communem, annotatum legimus. Plantae ex herbario MYGINDI mutuatae, ſunt: Loranthi vna, Paullliniae quatuor, Coccolobae duae et vna Helicteris ſpecies. Et in hac vltima calicem monophyllum, apice quadrifidum, laciniis paruis acuminatis, inciſura inferiore reliquis duplo profundiore. Petala quinque oblonga, calice longiora, Nectarii foliola quinque linearia, longitudine ouarii, eiusdem ſulcis incumbentia, orta ad baſin ouarii, decidua; ouarium quinque ſulcatum, villoſum, inſidens receptaculo filiformi longiſſimo recuruo, ſtilum denique ſtigmate quinquefido terminatum ex ſicco ſpecimine deſcripſit.

V.

Quaeſtiones ſaepius motae ſuper methodo inoculandi variolas, ad quas directa eruditorum reſponſa hucusque deſiderantur; indirecta minus ſatisfacere videntur: orbi medico denuo propoſitae ab ANTONIO DE HAEN, Sacrae Caeſareae Maieſtatis Conſil. Aulico, Med. Pract. in alma et antiquiſſima Vniuerſitate Vindobonenſi Prof. Prim. Vindobonae, typis Ioannis Thomae Trattner, 1757. 8. plagul. 5.

p. 4 Cum vitae humanae conſeruandae ſtudium variolarum inſitionem nimiis forſan laudibus extuliſſe, inſtructam vero haud ſatis in principio, inquietatam conſcientiam repudiaſſe, veritatemque hinc, lite vtrinque mota, ex praeoccupata mente et altercandi amore, obnubilatam eſſe exiſtimaret. Ill.

Ill. Auctor; hoc ipſum impulit, vt praecipua quaeſtionis capita, quae ipſum adhuc ſuſpenſum tenerent, colligeret, et cum orbe medico communicaret, quibus, ſi directe fuerit ſatisfactum, manibus pedibusque in ſententiam affirmantem ſe iturum, inſitionemque breui ex Anglica Auſtriacam facere Germanamque conaturum, inprimis vero eum, qui ſua ſibi dubia excuſſerit, aeternum veneraturum eſſe ſpondet. Sequentes vero quaeſtiones propoſuit:

1) *Vtrum inſitiua methodus per Deum licita?* Ad quam ideo prorſus negando reſpondet, quia nemini liceat vitam ſuam in euidens diſcrimen coniicere. Ancipitem operationem chirurgicam quidem ob praeſentiſſimum mortis periculum inſtituere licere ait, inſitionem vero nunquam: pericula ex grauiditate et nauigatione oriunda, quae ambae a Deo inſtitutae et permiſſae ſint, cum variolarum inſitione comparari non poſſe, vtpote quae nec Deo auctore gaudeat, nec conſtet, num eam exercere liceat. Conſuetudinem quoque non infectorum infantum, cum iis, qui benignis variolis decumbunt, plenarie damnat. p. 11. p. 19. p. 28.

2) *Vtrnm inſitiua methodus plures, quam via naturalis, in vita ſeruatura ſit?* Comparationem, qua ex iis, qui naturali modo correpti ſint variolis, ſeptimum quemque, ex inoculatis vix milleſimum mori ponitur, iniquam eſſe ex eo arguere conatur Cl. Auctor quod ipſi ex 220, quos naturali via Hagae Comitum tractauit, vnicus duntaxat mortuus ſit, licet quinque perierint, ex quibus autem quatuor ob varias adductas rationes eximit; et quod pariter pauciſſimos admodum a variolis in Hollandia Viennaeque cura eiusmodi medicorum mori vidit, qui optima methodo vterentur. Si vero centeſimum, ducenteſimum, treceuteſimum ab inſitione obiiſſe ponamus, notabilem non ſuperfuturam eſſe p. 32.

mortuo-

mortuorum vtriusque claſſis differentiam, hinc
p. 36. bellum hodierna de inſitione incaſſum geri. Facilitatem porro inſitionis methodi, fruſtra laudari, et comparationem exaggerari; vtrasque enim ſaepe faciles; neutramque magnis difficultatibus carere, ſe vidiſſe perhibet: Pus ſemper benignius in inoculando adhibitum nullam maiorem differentiam arguere: Optimas praeparationes ſaepe fallere, plurimis non praeparatis morbum leuiſſimum eſſe, quod Eruditi Edimburgenſes Act. Edimb. Vol. 3. §. 2.
p. 40. agnouerint. Noſocomium inſertioni deſtinatum prorſus reiicit, conſulitque potius, vt inibi quouis epidemico tempore naturales variolae gratis curentur, cum venia accedendi ad leuiſſimam ſuſcepti
p. 44. contagii ſuſpicionem. Si quis inoculandus quoque ad contagii diſſeminationem euitandam aedes ſeligere velit, in quibus incolae nulli, niſi variolas paſſi eſſent: hoc conſilium, praeter alia incommoda, non niſi in paucis inoculandis locum haberet; impoſſibile prorſum eſſet, vbi multitudo hominum inoculanda foret, vt ſufficientes numero aedes huiusmodi inueniri poſſent; ergo et inutile conſilium et inane. Ergo inoculatorum contagium multis aliis adflari poteſt. Quodſi igitur ponatur v. g. decem homines in vrbe quapiam inoculatos eſſe, ſingulosque eorum afficere alios nouem, iam cen-
p. 48. tum aderunt, qui variolis decumbent: quid vero tunc futurum, quando, quod quibusdam in voto fuit, in magno regno intra 30 annos millio hominum inoculata, adeoque in vita ſeruata fuiſſet, moriente caeteroquin naturalibus ſingulo ſeptimo? Periiſſent eorum gratia 1285714 homines, ſepties enim 1285714 faciunt 9000000, modo duo addideris totali, omiſſis iis, qui in tanta inoculandi crebritate, ſiue incuria, ſiue inobedientia perire potuiſſent. Inſitiuam igitur methodum horrendos ſequi effectus *Noſter* putat.

3) An

3) *An certo certius quiuis pene homo variolis, ſerius ocyus, afficiatur?* Antequam de inſitione in Europa cogitatum fuit, tam certum, quam quod certiſſimum fuiſſe arbitratur, complures homines ſine variolis mortuos; plures iisdem bis, pluriesue affectos eſſe: Inſitorum moderatiores ſaepius faſſos eſſe, vigeſimum quemque hominum variolis expertem mori: Si ipſis hoc etiam concedatur, licet longe plures a variolis immunes viuant, attamen non numerandam ſemper hominum multitudinem in qualibet prouincia magnaque vrbe a variolis nunquam afficiunda ſupereſſe: at plures forte immunes manere; ipſosque inoculationis defenſores, ſaltem ex ſuis ipſorum principiis, remouere legitimam hanc ſuſpicionem non poſſe, an non plures inſitione variolas patiantur, quam via naturali paſſi eſſent? Viperarum enim, ſerpentum, Bantamenſium venenum, quo tela inficere norunt, vt et oleum tabaci, cum ſaliua deglutita innocua, facto autem vulnere cum ſanguine communicata, praeſentiſſima venena eſſe, certoque iugulare: et licet venenum varioloſum homines, quouis modo iis adplicatum, laedat; attamen iure meritoque ſuſpicandum eſſe, an non immediate ſanguini adplicatum plures homines adficiat, quam afficerentur via naturali: hanc ſuſpicionem vero ipſam certitudinem parere, quia inſitiuae methodi autores ipſi fateantur, ſuam inſitionem afficere omnes, qui eam ſubierint; excepto forte, vt quidam ſtatuere, vigeſimo quoque; cum interim in orphanotrophiis 600 infantum vno contagii tempore 20, alio 50 afficiantur, dum 200, 300, 400 iisdem in aedibus exiſtant necdum variolas paſſi. Ergo longe plures artificiali, quam naturali afficiuntur contagio. p. 52. p. 56. p. 60.

4) *An citra vllum dubium inſitio, ſiue effectum ſortita, ſiue irrita, hominem per omnem vitam a ſecundis variolis immunem praeſtet?* Ill. Auctor infrequenti p. 63.

ſua

ſua varioloſa praxi alteras toties variolas obſeruauit, vt demum earum videret ſecuritatem, qui, quod olim eas habuiſſent, iam nihil a praeſenti in aedibus contagio metuerent, id quod puellae exemplo probat, quae Viennae, cum quadriennio ab hinc veris diſtinctisque aſt refertiſſimis variolis laboraſſet, d. 15 Febr. 1757 variolis rurſus affici coepit, quam
p. 69. ipſe cum tribus aliis medicis viſitauit. Hinc nec variolas, inſitione comparatas, hominem ab alteris praeſtare poſſe immunem, ſed vti naturales variolae repetant, ita et variolas inſitiuas haberi poſſe poſt naturales; naturales poſt inſitiuas aſſerit: id quod
p. 74. Cl. TIMONI filiae exemplo probare annititur, quae, ſecundum Cl. MACKENZIE litteras, olim a patre inoculata, viginti vero poſt annos a fratribus itidem inoculatis, naturaliter rurſus variolis infecta, octauoque morbi die iisdem mortua
p. 80. eſſe dicitur. Ergo dantur verae naturales variolae poſt inſitiuas. Et quidni?, aeque facile videntur Cl. Auctori naſci poſſe, quam ſecundae naturales.

VI.

Lettre à Monſieur DE HAEN, en Reponſe à ſes Queſtions ſur l'inoculation. Par M. TISSOT D. M. Vienne, chez Iean Thomas Trattner, 1759. 8. plag. 6. *

i. e.

Epiſtola reſponſoria ad Ill. DE HAEN quaeſtiones ſuper inoculatione Auctore Cl. TISSOT. M. D.

Qui

* Prior huius epiſtolae editio prodiit iam anno 1758 Lauſannae, ſed illa, neſcimus quo caſu, ad noſtras nondum peruenit manus.

Qui auide quidem, ſed tremens quoque, antecedentes quaeſtiones, ſtrenuus *Noſter* inoculationis defenſor, perlegerat, maxime tamen gauiſus eſt, ſe non eo adactum eſſe, vt inſitorum partes deſereret. Spe potius fretus, fore, vt, publicatione ſuarum dubitandi rationum, Cl. DE HAEN proſelytarum numerum augeret, ſtatim reſpondendi conſilium cepit, idque eo lubentius, quo humanius ab ipſo Cl. DE HAEN ad id faciendum inuitatus fuerat.

Primam igitur quaeſtionem:

Vtrum inſitiua methodus per Deum licita? vtpote p. 6.
a Cl. CONDAMINE et CHAIS ſatis ſuperque examinatam, vel ideo quoque Cl. CHAIS defendendam reliquit *Noſter*, qui ab ipſo Ill. DE HAEN certior factus eſt, ſe hac de re cum iſto verbi diuini miniſtro in amicabili diſceptatione verſari. Hinc, poſteaquam primum oſtendit, magnum BOERHAAVIVM nequaquam inoculationis oſorem fuiſſe, ſtatim ſe conuertit ad ſecundam quaeſtionem.

Vtrum inſitiua methodus plures, quam via naturalis, p. 14.
in vita ſeruatura ſit? Et primo, contra Ill. DE HAEN, qui variolas pro morbo admodum benigno declarauerat, ex auctoribus decem vltimorum ſeculorum oſtendit, plurimos eorum variolas pro morbo peſtilentiali, reliquos vno ore omnes easdem pro morbo p. 21.
periculorum pleniſſimo et ſaepiſſime admodum lethali declaraſſe. Immenſam quantitatem aucto- p. 28.
rum, qui de variolis ſcripſerunt, vt et perpetuam illorum, qui easdem nondum paſſi ſunt, anxiamque variolarum formidinem, ipſamque morbi conſiderationem, cuius exitus, ceu morbi acuti, ſemper dubius maneat, illarum periculum quoque ſatis euincere demonſtrat. Quanquam igitur inſitiuae p. 33.
interdum, licet admodum raro, curatu difficiles deprehendantur, comparatione tamen inſtituta facile apparere dicit, inſitiuas naturalibus curatu longe

longe faciliores eſſe, et poſt inſertionem vtpluri-
p. 38. mum nulla fere curatione indigere. Concedit *Noſter*, optimas praeparationes in genere ſpectatas
fallere poſſe et neceſſario debere, ſi praepoſtere,
illis nimirum, quibus minime conueniant, adhibeantur; hinc Eruditorum Edimburgenſium Vol. 3.
§. 2 obſeruationem nihil prorſus contra inoculationem valere colligit, vtpote qui has praeparationes ne ipſi quidem inſtituiſſe, ſed ceu praeparationes ſatis vagas et parum methodicas, ab ipſis parentibus ſeu pharmacopoeis forſitan ſuſceptas, iſtic
p. 40. tantum indicaſſe videantur; adeoque hoc exemplum praeparationis legitimae efficaciam et neceſſitatem nequaquam infringere. Et licet haec, ceu medicina prophylactica, veteribus adeo cara et exculta, a
p. 41. recentioribus nimis neglecta ſit, omnes tamen, graſſante peſte et variolis, tanquam vnumquemque inuadentibus et periculoſiſſimis morbis, praeparatio-
p. 46. nes neceſſarias habuiſſe narrat. Per praeparationem ad inſerendas variolas nihil aliud intendi monet, quam quod corpori humano tempore opportuno diſpoſitio iſta certo concilietur, quam ipſi praecipitanter procurare ſtudemus, ſi morbo iam correptum eſt: Quodſi vero etiam haec praeparationis pars prorſus inutilis eſſet, alteram tamen, quae electionem rerum accedentium dirigit, inoculationi maxime fauere, cuius rei quoque notabilem caſum adduxit *Noſter;* et cum ex eius ſententia vera methodus variolas tractandi nunquam vbique recipiatur, hoc itidem maxime pro inoculatione militare arbitratur; medicus enim ſyſtematicus, qui naturales ſecundum iſtam opinionem male tractabit, optime tamen ſubiecta ad inſitionem praeparare
p. 50. poterit. De reliquo autem inſertionis methodum nequaquam facillimam, ſed methodo naturali eo tantum in caſu faciliorem eſſe cenſet, ſi a prudente

medico dirigatur. Hinc prudentis medici iam non eſſe aſſerit, licet olim aliter ſenſerit *, ſi quis ſubiecta parum bene valentia, debilioris conſtitutionis ad euitandum maius periculum cum minore boni euentus probabilitate inoculare velit, quia infortunia hinc emergentia, inſitioni non imputanda, eidem tamen ab hominibus, omnibus circumſtantiis non ſatis inſtructis, facile imputari poſſent. Noſocomia dein, inoculationibus deſtinata, ab incommodis P. 56. ab Ill. DE HAEN imputatis vindicat, et e contra maioris noſocomii ad variolas naturales inibi gratis curandas ab Ill. DE HAEN propoſiti incommoda adeo clare ante oculos ponit, vt, loco ſperatae vtilitatis, longe maiora damna reipublicae inde emergere poſſe appareat. Cum Ill. DE HAEN vlteriorem porro inſitionis progreſſum contagium ita diſſemi- P. 63. naturum eſſe arguiſſet, vt longe plures via naturali afficiantur et plures variolis moriantur, ac ſi prorſus locum non inueniſſet, *Noſter* ex ratione et experientia vt et ex ipſis Ill. DE HAEN principiis de- P. 65. monſtrat, quodſi etiam inoculatus quidam tantum contagii ſpargere poſſet, quantum ad nouem alios inficiendos ſufficeret, attamen non niſi vnicum, et ne ſemper quidem, nunquam vero plures reuera infici poſſe. Alium dein addit calculum, ex quo P. 71. clare apparet, quod, ſi millio hominum intra 30 annos inocularetur, loco 1285714 mortuorum, 132857 in vita ſeruarentur, in tribus generationibus, loco horrendorum inſitiuae methodi effectuum, incredibilem hominum numerum producturi. Iure igitur meritoque Ill. DE HAEN directe *Noſter* reſpondere poſſe credit, *variolas inſitiuas plures homines in vita conſeruare, quam naturales, aduerſariosque inſitionis*

* vid. l'Inoculation juſtifiée etc. Lauſanne 1754 in 12 p. et Commentar. Noſtr. Vol. V Part. 2 p. 264.

inſitionis hinc videre, quantum illorum principia generi humano noceant?

Ad tertiam quaeſtionem:

p. 74. *An certo certius quiuis homo variolis, ſerius ocyus, afficiatur?* regerit, cum veteres variolas pro morbo, omnes ſingulosque inuadente, habuerint, inoculato-
p. 79. res non iniquos eſſe, ſi viceſimum quintum a variolis immunem eſſe ſtatuant, cui ne per inſertionem puris quidem variolae communicari poſſint. Cum igitur Ill. DE HAEN aſſeruiſſet, per puris inſertionem plures, quam via naturali, variolis affici, quia pus ſanguini mixtum longe efficacius agat, quam contagium naturale epidemiae tempore in orpha-
p. 83. notrophiis, reſpondet *Noſter*, argumentum de viperarum, ſerpentum, Bantamenſium veneno vt et de oleo tabaci tanquam illegitimam inductionem prorſus nihil valere, et facillime ita retorqueri poſſe, vt exinde ſequatur, pus varioloſum, ore ſumtum, longe fortius agere, quam vulneribus applicatum;
p. 85. et qui vno epidemiae tempore in orphanotrophiis immunes manſerint, alio ſenſim variolis affici, donec omnes morbum perpeſſi ſint, excepto ſingulo viceſimo quinto. Hinc ad hanc quaeſtionem tandem reſpondet, quod *certo certius quiuis fere homo ſerius ocyus variolis afficiatur, et quod inſitio nequaquam pluribus variolas communicet, quam contagium naturale.*

In quarta denique quaeſtione:

p. 89. *An citra vllum dubium inſitio, ſiue effectum ſortita, ſiue irrita, hominem per omnem vitam a ſecundis variolis immunem praeſtet? Noſter* duplicitatem variolarum, quam olim nimis confidenter negauerat, nunc quidem, ſed tanquam rariſſimum caſum, admittit. Cum vero Ill. DE HAEN variolas non pro morbo ſingulari, ſed communi agnoſcat, *Noſter* rurſus ex veteribus recentioribusque celeberrimos auctores et

Ill.

Ill. DE HAEN ipſum adducit, qui duplicitatem variolarum partim abſolute negant, partim ceu admodum dubiam agnoſcunt, partim ceu rariſſimam concedunt, et partim, quos vero Ill. DE HAEN ipſe ſolus et vnicus eſt, ceu frequenter viſam declarant, et hinc duplicitatem variolarum rariſſime et vix centeſimo cuique euenire, quamlibetque aliam conclusionem in omnes alios, excepto ſolo Ill. DE HAEN, iniuriam fore, concludit. Concedit tandem, ino- p. 96. culatos eodem modo, vt variolas naturales iam expertos, iisdem denuo corripi poſſe, ſed itidem rariſſime, et hinc eidem reſpondet: *extra omnem* p. 97. *dubitationis aleam poſitum eſſe, inoculationem ſecundum regulas inſtitutam, ſiue effectum ſortita, ſiue irrita fuerit, omnes illos, qui variolas non altera vice experiri debebant, et quorum vltimorum numerus eximie rarus eſt, a recidiua praeſeruare.* Ob hanc poſſibilitatem vero inoculationem negligi non debere dicit, cum absque periculo ſit, et ſufficiat, quod plurimis vtilis ſit, reliquorum vero ſortem non peiorem reddat: abſurdum fore, ab inoculatione id exigere velle, quod naturales praeſtare non potuiſſent; et, ſi illos, quibus ſecundae variolae metuendae ſint, ex certis ſignis dignoſcere poſſemus, conſultum fore, vt illis, quamprimum a prima inoculatione reſtituti eſſent, altera vice varioloſum pus inſereremus. Sub finem tandem aduerſario ſuo ſequentem quaeſtionem proponit Cl. Auctor: *Variolae naturales admodum periculoſae ſunt: Inoculatio earum pericula quam maxime imminuit, illasque non niſi illis communicat, qui ſponte easdem contraxiſſent: eſtne igitur credibile, quod Deus auxilium, ad cohibenda mala ex hoc morbo oriunda, adeo aptum condamnet?* Aut flagellum eſt, quocum humanum genus punire voluit, in hoc p. 99. caſu inoculatio procul dubio peccat; curatio vero variolarum naturalium itidem innocens eſſe ceſſat; quo magis igitur quis eam perfecit, eo magis cul-

 pandus

pandus eſt, eandemque ob rationem Cl. DE HAEN maxime. Quodſi vero non, tunc eidem quoque quouis modo obuiam ire licebit, id quod variis praeterea rationibus ſimilibusque illuſtrat *Noſter* atque confirmat.

VII.

Refutation de l'Inoculation, ſervant de Reponſe à deux Pieces qui ont paru cette année 1759. dont la premiere eſt une Diſſertation, lue dans la Societé de l'Academie Royale des Sciences de Paris, par M. DE LA CONDAMINE, Membre des Academies Royales de Paris, Londres, Berlin etc. et la ſeconde, une lettre de Mr. TISSOT, Docteur de la Faculté de Montpellier, et Medecin trés célébre à Lauſanne, à l'Auteur de la preſente Refutation, par A. DE HAEN, Conſeiller Aulique etc. A Vienne en Autriche, chez J. T. Trattner, 1759. pl. 10½.

h. e.

Refutatio commentariorum de inoculatione, a Cl. viris, DE LA CONDAMINE et TISSOT editorum etc. Auctore Ill. DE HAEN.

Hanc refutationem in tria capita diuiſam et Cl. TISSOT dedicatam deprehendimus. Declarat Auctor in epiſtola dedicatoria, ſe ex lectione litterarum, quarum breuiſſimam recenſionem modo dedimus, certo cognouiſſe, quod inoculatio nulla ratione defendi poſſit. Hinc reſponſionis loco ſatius eſſe duxit totum inoculationis ſyſtema refutare, atque oſtendere, vtilitatem inde ſperatam pro mero ente rationis habendam eſſe. Refutationem vero ipſam ita adgreditur, vt *in primo capite* partim ex variis auctori-

auctoribus, partim ex propria aliorumque experientia probare annitatur, falſum eſſe, quod omnes homines variolas experiri debeant, et quod nemo illis bis corripiatur; in *ſecundo* autem commonſtret, varios auctores variolas pro morbo ſatis benigno nec adeo lethali declaraſſe. In *tertio* tandem *capite* p. 77.
ad deſtruendum totum inoculationis ſyſtema omnem lapidem mouet, primoque ex comparatione numeri eorum, qui ex inſitione mortui ſunt, cum iis, quos, ſecundum caput praecedens, ex naturalibus variolis quippe perpaucos, mortuos eſſe dixerat, oſtendere conatur, ex quadraginta vel quinquaginta inoculatis p. 83.
plerumque vnum mori, quae differentia cum naturaliter mortuis fere nulla ſit. Cum vero poſtea tam pauci inſitoribus mori dicantur, atque hoc a methodo inoculandi, ſecundum Cl. CHAIS ſeptem allegatas regulas perfectiore reddita, dependere affirmetur, has ipſas regulas examinat. Primam p. 91.
igitur atque ſecundam, electionem nimirum bonae tempeſtatis, et ſubiectorum intra 4 et 15 annos conſtitutorum facile concedit; tertiam vero, qua non niſi perfecte ſani inoculari debeant, cognitu difficillimam; et corporum praeparationes, ſecundum quartam, quidem bonas et neceſſarias, ſaepiſſime autem non ſufficientes eſſe. Quod ſi porro inoculatores, quintam, ſextam et ſeptimam regulam obſeruare velint, ſecundum quas epidemiae cuiusdam tempore, et quando variolae mali moris graſſentur, nunquam, epidemiae autem variolaſae bonae tempore, non niſi in principio et fine eiusdem inoculari debeat, illos certe nunquam inoculare poſſe autumat: epidemias enim ſubito apparere aliamque aliam fere ſemper excipere, ita vt ab anno 1661—1675 et ab anno 1728—1748 a SYDENHAMIO et HVXHAMIO deſcriptis nun- p. 114.
quam inoculari licuiſſet: ex Cl. IVRINI necrologicis calculis 67 annorum quoque apparere, quod

ob perpetuam variolarum epidemiam inoculatio fere nunquam locum habuiſſet: inoculatores vero has regulas fere nunquam obſeruaſſe: quodſi autem eaedem exceptionis regulae, ſecundum quas inocu-
p. 128. latores mortuos ſuos ex defunctorum numero excludere velint, iis applicentur, qui a variolis naturalibus e vita diſceſſere, priorem mortuorum numerum poſteriorem vel exceſſurum vel ſaltem aequalem futurum eſſe: mortuorum quoque numerum poſt frequentes admodum inoculationes ab ann. 1742 — 1752 non admodum imminutum eſſe: Epiſcopum MADDAX quidem eundem quinta parte imminutum declaraſſe; ſed vix decima quinta parte imminutum fuiſſe, ex mortuorum catalogis appa-
p. 136. rere: variolas quoque nunquam magis, quam anno 1752, quo ſermonem ſuum pronunciauerit, perniciofas atque lethales fuiſſe.

Hanc quidem Clariſſimorum Virorum diſceptationem ſoluere non poſſumus, neque determinare audemus, à quanam docte litigantium parte ipſa veritas ſtare videatur? numque Cl. DE HAEN aduerſarii ſui obiectionibus vere ſatis fecerit? Laetamur tamen, ab vtroque Viro comitatis leges non fuiſſe neglectas. Proxime Cl. TISSOTI reſponſiones ad hanc refutationem addituri erimus.

VIII.

Diſſertatio inauguralis de nonnullis ad variolarum inſitionem pertinentibus, Auctore FRIDERICO LVDOVICO KESSLER, 1760. Halae Magdeburgicae ex officina Hendeliana. 4. plag. 7.

Diſſertationem hanc in duo capita diuiſam deprehendimus, in quorum primo variolas naturales theoretice tantum conſiderat; in ſecundo vero variolarum artificialium methodum exponit

Cl.

Cl. Auctor. Licet vero in hac nihil noui inuene-
rimus, ideo tamen eandem ſilentio prorſus praete-
rire noluimus, quia ex illa comperimus, Cl. Auctoris
patrem, medicum Magdeburgenſem celeberri- p. 42.
mum, ex aliquot annis variolarum inſitionem
Magdeburgi primum introduxiſſe, eandemque in
quadraginta octo ſubiectis feliciſſimo cum euentu
inſtituiſſe. Experientia vero illum edocuit, variolas,
easdem ſemel paſſis, vel nunquam experturis, per
inſitionis viam communicari non poſſe; puella
enim variolis ſcatens ineunte anno 1757 in lucem
edita, ſub finem anni 1758 legitime inoculata, nec
variolas experta eſt, neque ex hac operatione quid-
quam incommodi ſenſit: et in famulo quoque 22 p. 46.
annorum, variolas nondum experto, easdemque
valde metuente, operatio, bis fruſtra inſtituta fuit.
Sic quoque duos alios caſus adducit, ex quibus ap- p. 49.
parere dicit, variolas malignas, inoculationem qui-
dem ſequentes, ſed ex rebus circumſtantibus non
pro effectu operationis, ſed pro naturalibus haben-
das, ideo tamen habuiſſe euentum ſalutarem, quod
copioſiori varioloſo puri datus fuerit effluxus per vul-
nera antea vtrique brachio inflicta.

IX.

Journal de Médécine, Chirurgie, Pharmacie etc. Par M. VANDERMONDE, Docteur en Médécine de la Faculté de Paris, Profeſſeur en Chirurgie Françoiſe, Cenſeur Royal et Membre de l' Inſtitut. de Bologne. Tome IX à Paris, 1758. chez Vincent. 8. Alph. I. pl. 13 et Tome X. 1759. Alph. I. pl. 13.

h. e.

Diarium, ad artem ſalutarem, chirurgiam, pharmaciam etc. pertinens Auctore Cl. VAN DERMONDE. Tomus IX et X etc. *

In *menſe Iulio* 1758 occurrit

p. 44. 5) *Obſeruatio de virtute corticis peruuiani in gangraenoſa partium internarum diſpoſitione* Auctore Cl. DONAT. Matrona octoginta duorum annorum vomitu continuo laborauit, dirisque inſuper doloribus abdominalibus cruciata fuit, quibus ſubito ceſſantibus gangraenam ventriculi metuens Cl. Auctor ter de die drachmam corticis peruuiani exhibuit tribusque ſeptimanis praeterlapſis aegra ſanitatem recuperauit.

p 45. 6) *Obſeruatio eandem corticis peruuiani virtutem confirmans* Auctore Cl. PELLICOT. Aegrotanti, cuius ſcrotum gangraena corripuit, omni quadrihorio drachmam vnam memorati corticis cum aqua

* Scriptum hoc periodicum, cuius ſeptem prioribus tomicis Collectionis Periodicae nomen datum fuit, ab octauo iam frontem mutauit et Diarii nomen accepit. Caeterum eundem, quem Comment. Noſtr. Vol. VIII. P. III. p. 465. indicauimus, ordinem adhuc Cl. VANDERMONDE ſeruauit.

aqua cardui benedicti exhibuit ſicque aegrotantem reſtituit.

7) *Obſeruatio de hydrope per ptyaliſmum curato.* p. 47. Auctore Cl. HUON DE MAXEY. Iuuenis viginti annorum aſcite laborauit, cui, pluribus remediis incaſſum tentatis, tabaci fumum ſugere Cl. Auctor ſuaſit, quo facto ſaliua inſigni copia effluxit, effluxusque tamdiu durauit, donec abdomen detumeſceret. Poſthac autem ptyalismo ceſſante aeger hydrope liberatus, praeter herniam vmbilicalem, priſtinam ſanitatem recuperauit.

8) *Obſeruatio de vniuerſali partium carnoſarum* p. 49. *induratione, qua corpus foeminae, dum in viuis fuit, ceu mumia, exſiccatum fuit* Auctore Cl. MARTEAU DE GRANDVILLIERS. Foemina quinquaginta ſex annorum, quae ante aliquot annos rheumatismo inflammatorio vniuerſali correpta et ab eo rurſus liberata fuit, duodecim abhinc annis praeterlapſis oedematoſa euaſit. Oedemate ceſſante omnes muſculi extremitatum rigidi et duri omnesque articulationes contractae omnisque fere motus expertes animaduertuntur. Viguit interim appetitus, aluus nec adeo tarda fuit et arteriae adhuc pulſarunt. His perpenſis plethoricum ſtatum ob ciborum copiam et imminutam perſpirationem Noſter ſuſpicatus et metuens, ne apoplexia corriperetur aegra, venae ſectionem indicatam eſſe, iudicauit: cum vero impoſſibilitatem, ob rigiditatem et duritiem partium, deprehenderit, opus hoc naturae commiſit; inde ſanguis primo per vaſa haemorrhoidalia, poſthac autem per nares exiit, quo facto caput aliquod leuamen accepiſſe viſum fuit. Sed fruſtranea haec naturae molimina fuerunt: ceſſante enim fluxu ſanguinis appetitus proſtratus et febris anomala acceſſit, poſtea gingiuae intumuerunt, foetor oris, vomitus foetidiſſimus et ptyaliſmus

 ſeroſo

ſeroſo ſanguineus ſuperuenerunt, pauloque poſt aegra obiit.

p. 64. 11) *Obſeruatio de calculis notatu dignis, qui per ſcrotum tranſierunt* Auctore Cl. GIBIER. Aperto nimirum tumore, in ſcroto oborto, quatuor calculi exierunt, quorum maximus vnciam vnam et drachmas quinque cum dimidia pondere aequauit.

p. 65. 12) *Aliam obſeruationem* de eodem argumento ſubiunxit *idem*. In glande penis pueri duodecim annorum ortus tumor magnitudine pomum aequauit, quo aperto ſeptem calculi extracti ſunt.

p. 72. 14) *Obſeruatio de curatione infantis male tractati et mediante vncino ex vtero extracti* Auctore Cl. CAMPARDON, *ſeniori*. Ad parturientem foeminam chirurgus quidam accerſitus vncinum ſtatim, licet nullum adfuerit mortis indicium, medio in loco oſſi occipitis applicat; dum vero iſte infantem extrahere tentat, vncini apex non rite firmatus elabitur et partem aliquam cutis, palmae manus magnitudine, dilacerat, ita vt dimidia pars oſſis occipitis ſatque magna portio oſſium parietalium denudetur. Hoc non obſtante denuo vncinum pone aurem ſiniſtram iuncturae oſſis occipitis et temporum applicat ſicque varias partes laedit. Tandem vncino firmato, adiuuante alio chirurgo infantem puellam extrahit, quae praeter omnem opinionem viua in lucem prodit. Adhibentur illico varia remedia et tempore aliquo elapſo partes laeſae reſtituuntur ipſaque puella ſanitatem recuperat, ita vt nec in corpore nec in anima vitium vllum deprehendere licuerit.

p. 77. 15) *Obſeruatio de gangraena ſingulari femoris, cruris pedisue infimi* Auctore Cl. LECORDIER. Hic tantum notamus, aegrotantem ſeptuaginta quatuor annorum in integrum reſtitutum fuiſſe, licet iſte regimen exactum non obſeruauerit, omnesque cibos, quos ab aliis acceperat, comederit. Interna

remedia

remedia fere nulla aſſumſit, ſique forte curationi aliquid tribuendum, externis tantum remediis id adſcribendum eſſe, Noſter putat

In *menſe Auguſto* 1758 reperitur

5) *Obſeruatio de dolore auris, haemorrhagia ſtipato, cuius cauſam tres vermes ſuppeditarunt* Auctore Cl. FARION. Puer ſex annorum, ex cuius aure ſiniſtra per menſem purulenta materies effluxit, tempore hoc elapſo per aliquot dies dolore inſigni cruciatus fuit, adeo vt conuulſiuis motibus corriperetur. Dolore paululum remiſſo vermis ſat magnus, albo colore, capite nigro inque dorſo nigra linea notatus prodiit pauloque poſt duo alii ſimiles, manu chirurgi, extracti fuerunt. Ceſſarunt illico ſymptomata breuique tempore ſanitatem recuperauit puer. Hos vermes chartae conuolutae incluſit Cl. Auctor, quo compeririet, an mutationem quandam paterentur. Quinque diebus praeterlapſis in charta chryſalides nigricantes, decimoque tertio die praeterlapſo muſcam maiorem et talem quidem, quales aeſtate circa carnes, aeri expoſitas aliaque loca, vbi partes animales putridae deprehenduntur, reperit. Quocirca Noſter muſcam ouula ſua in materiem illam purulentam, ex aure pueri effluentem, depoſuiſſe haecque, in meatum auditorium peruenientia, ope caloris ibi euoluta eſſe, colligit. Vermes et muſcae in adiecta icone delineantur. p. 136.

6) *Obſeruatio de infante, qui per quatuor annos in ventre matris haeſit, cuiusque oſſa per aperturam in muſculis abdominalibus, prope vmbilicum ortam, exierunt* Auctore Cl. COLLIN. Foemina grauiditatis ſuae menſe nono ex alto cadit et male inde ſe habet. Menſibus tribus praeterlapſis aqua rubella erumpit, neque tamen foetus. Menſibus iterum aliquot praeterlapſis menſtrua prorumpunt ceſſantque iterum. Tandem anno quarto colicis doloribus et vomitu praegreſſis copia purulentae materiae ex p. 142.

vtero

vtero et abſceſſu circa vmbilicum formata exit inſimulque cum pure, ex abſceſſu manante, omnia foetus oſſa duriora ſingulatim prodeunt. Oſſibus et pure mater liberata conualuit.

p. 148. 7) *Obſeruatio de calculis biliariis* Auctore Cl. HUBERT. Hac obſeruatione calculos biliarios non ſolum aquae innatare, quae characteriſtica plerumque horum calculorum nota dicitur, ſed in aqua etiam ſubſidere Cl. Auctor probare annititur.

p. 149. 8) *Obſeruatio de puerperio foeminae, cuius tota vteri vagina inuerſa et prolapſa fuit perque duos dies in tali ſtatu propendit* Auctore Cl. CHEMIN. Ad parturientem foeminam Cl. Auctor accerſitus vteri vaginam inuerſam et prolapſam reperit. Repoſitione fruſtra tentata vaginam decuſſatim incidit et foetum pauloque poſt ſecundinas extraxit, hasque operationes ſex minutis inſtituit. Vtero dein et vagina repoſitis auxiliisque adhibitis foemina die decimo quarto praeterlapſo optime conualuit.

In *menſe Septembri* 1758 occurrit:

p. 231. 5) *Obſeruatio de noui generis vermibus, qui per aluum hominis cuiusdam exierunt* Auctore Cl. GOUT. Vermes iſti incredibili copia eiecti et absque microſcopio diſquiſiti millepedum fere figuram habuerunt, duas lineas longi, vnamque lati, dorſo planiores, quam millepedes, ventreque pedibus valde breuibus inſtructi fuerunt. Caput atque caudam non deprehendit Noſter: figuram enim oblongam repraeſentarunt, coloreque gryſeo et albo praediti fuerunt.

p. 240. 6) Sectio cadaueris Auctore Cl. MARTEAU DE GRANDVILLIERS. Abdomine militis cuiusdam, phthiſi defuncti, aperto ingens hepar, naturali duplo maius, in conſpectum venit, quod non ſolum hypochondrium dextrum et ſiniſtrum ſed totam regionem epigaſtricam occupauit. Lien

rotundus

rotundus et durus ſub lobo hepatis paruo et aliqua ex parte ſub pancreate locatus fuit. Ventriculus ad vmbilicalem vsque regionem deſcendere coactus orificium ſuperius duos digitos altius quam pylorum habuit. Oeſophagi longitudo ſub diaphragmate octo vel nouem lineas aequauit, omentum vero magnum ad annulos abdominales vsque deſcendit atque ſiniſtro penitus, dextro vero aliqua tantum ex parte absque herniae veſtigio adhaeſit. Pectore aperto, cauitas ſiniſtra naturali maior apparuit atque mediaſtinum dextrorſum magis quam ſiniſtrorſum inclinauit.

9) *Commentatio de vermibus, qui per renes et vrethram infantis exierunt, una cum meditationibus de nephrothomia* Auctore Cl. MOUBLET. Puer quinque annorum de inſigni dolore in regione lumbari dextri lateris conqueſtus eſt. Re diſquiſita abſceſſum latentem Cl. Auctor ſuſpicatus remedia, ad ſuppurationem facientia, applicauit, poſt hac partem incidit. Prima inciſione facta nihil exiit: obſtupuit quidem Noſter, neutiquam vero perturbatus ſcalpellum profundius adegit, quo facto ingens puris copia effluxit tuncque ſymptomata ceſſarunt. Vlcere contra omnia remedia rebelli perſiſtente puer matris tantum curae commiſſus fuit. Menſibus aliquot praeterlapſis puer ad Noſtrum acceſſit eique vulnus clauſum et cicatrice obductum oſtendit. Paucis vero abhinc diebus praeterlapſis puer male iterum ſe habuit; Noſter igitur accerſitus ſectionem iterum inſtituit ſicque pus iterum eduxit. Vlcere iterum clauſo paulo poſt ſectionem denuo inſtituere coactus fuit Noſter, qua aliquoties ſuſcepta fiſtuloſum tandem vlcus remanſit, per quod continuo purulenta materies effluxit. Puer interim per interualla de dolore lancinante et punctorio conqueſtus fuit, ex quo calculi praeſentiam Noſter coniecit. Sed praeter opinionem mater pueri vermem

vermem quinque pollicum longitudine pennaeque craſſitie attulit, ex vlcere extractum. Eodem die Noſter alium paulo minorem duobusque diebus praeterlapſis tertium ex vrethra extraxit, quem quartus nocte inſequente ſponte ſequutus eſt. Quatuor hiſce vermibus egreſſis, puris copia imminuta atque vlcere conſolidato perfectam ſanitatem recuperauit aegrotus puer.

p. 261. 10) *Obſeruatio de ſuppreſſione vrinae a calculo proueniente, qui libram ſemis pondere aequauit et per aluum hominis octoginta duorum annorum exiit* Auctore Cl. LEAUTAUD Hic tantum notamus, aegrum plenarie curatum ſex poſthac annos absque vlla affectione morboſa ſuperuixiſſe.

p. 265. 11) *Deſcriptio fontis medicati Polzinenſis in Pomerania detecti* Auctore Cl. GOTTLOB *.

In *menſe Octobri* 1758 deprehenditur:

p. 307. 3) *Obſeruatio de gangraena podagrae ſuperueniente, cortice peruuiano curatâ* Auctore Cl. ROSSIGNOLLY. Doloribus podagricis quidam cruciatus ſuaſu cuiusdam ſudoriferis, euacuantibus, reſoluentibus et repercutientibus vtitur, quo facto paulo poſt leuis inflammatio in pollice pedis ſiniſtri oboritur, tuncque, pollice vrina intincto gangraena ſuperuenit. Accerſitus Noſter ad ſiſtendum illud malum ſcarificationem inſtituit; tantum vero abfuit, vt malum ceſſaret, vt potius id ipſum illa peius redderetur. Corticem proinde peruuianum larga doſi, ſex nimirum drachmas, quotidie exhibuit exteriusque tonica et vulneraria cum chinae et caſcarillae cortice mixta applicauit ſicque omnia in melius

* Notamus hic, Auctorem huncce neutiquam GOTTLOB; quod praenomen tantum eſt, ſed THEBESIVM nominari. vid. Comment. noſtr. Vol. VII. P. I. p. 119.

melius mutauit. Aegrotus his minus contentus ſpecificum putatum, a nonnemine oblatum, vſurpauit, quo ſumto ſphacelus acceſſit. Noſter iterum conuocatus ſummumque periculum videns corticem iterum propinauit ſicque gangraenam cohibuit, partibusque mortuis rite ſeparatis aegro vita ſeruauit. Ex his igitur euacuantia, ſi podagrae imminentis ſigna adſint, nocere, naturamque in promouenda materiae podagricae eruptione impediri, vrinam autem, ſale ammoniaco foetam, hincque natura frigidam et repercutientem, gangraenam producere, ſcarificationem vero in hoc caſu, cum materies per congeſtionem neque tamen per fluxionem ibi depoſita fuerit, noxiam omnino fuiſſe Cl. Auctor colligit.

5) *Obſeruatio de hemiplegia totius lateris ſiniſtri per antiuenerea curata* Auctore Cl. BALLAY, *iuniore.* p. 325. Interne nimirum panaceam mercurialem propinauit, externe vero frictiones mercuriales applicuit, ita vt exigua tantum ſaliuatio excitaretur, partes vero affectae doloroſae euaderent et aegrotans tribus menſibus cum dimidio praeterlapſis ſanitatem recuperaret.

6) *Obſeruatio de curatione hydropis pectoris cum aſcite coniuncti* Auctore Cl. BAUDOT. p. 330. Multis remediis diu et fruſtra vſurpatis omni demum quadrihorio bolum, ex arcani duplicati ſcrupulo ſemis, croci martis aperitiui granis ſex, kermes mineralis grano ſemis et extracti bryoniae, cum vino albo parati, ſcrupulo ſemis compoſitum exhibuit, quo vſurpato vrina copioſe effluxit aegerque curatus fuit.

In *menſe Nouembri* 1758 reperitur:

2) *Obſeruatio de inſigni copia vermium, qui per naſum exierunt* Auctore Cl. RAZOUC. p. 415. Ad foeminam quandam, febre laborantem, deque capitis dolore inſigni aliisque affectibus conquerentem

Cl.

Cl. Auctor accerſitus, euacuantia, temperantia et alia remedia exhibuit; malo necdum ceſſante tartarum emeticum exhibuit, cuius vero efficacitas in producendo vomitu exigua fuit. Tandem inter vomendum ſternutare incepit aegra, ſingulaque ſternutatione paruas vermes emunxit, ita vt ſenſim ſenſimque ſeptuaginta vermes numeraret. His emunctis ſymptomata ſtatim remiſerunt atque aegra conualuit. Quod ad vermes pertinet, eos vermibus illis, qui in ſinubus frontalibus veruecum reſident, perfecte ſimiles imo forte illos ipſos fuiſſe, Noſter pronuntiare non dubitat. Accidit enim, vt foemina ruri degens et ſitibunda aquam ex lacu, ex quo paſtor paulo ante oues ſuas aquatus fuit, hauſit; inde Noſter colligit, vermes, ex naribus ouium in aquam egreſſos, naſum foeminae intraſſe ſeque in ſinus frontales eiusdem inſinuaſſi, ita vt dolores poſtea ab iisdem producerentur.

p. 422. 3) *Epitome litterarum* Cl. DUMOLIN *de puella aquis ſubmerſa, cinerum plantarum applicatione reuiuiſcente.* Puellam ex aquis extractam proque mortua habitam ſuper cineres plantarum, ad quatuor digitos transuerſos in lecto explicatos, poni totumque eius corpus iisdem cineribus obtegi iuſſit. Hora ſemis praeterlapſa arteriarum pulſus tremulaque vox redierunt, per octo vero horas cineribus ita ſepulta viua et laſſitudine tantum aliqua affecta exiit. Aqua omnis per vias vrinarias tanta copia effluxit, vt cameram inundaret. Cinerum defectum ſalem communem, vbique obuium, ſupplere et eadem virtute donatum eſſe Cl. Auctor, experimentis, cum inſectis inſtitutis, confirmatus aſſerit.

p. 430. 4) *Obſeruatio de triginta ſex vel ſeptem militibus eſu radicis Oenanthes venenatis* Auctore Cl. ROCHARD. Ex his vnus tantum paucas poſt horas obiit, reliqui inſignibus conuulſionibus cruciati, vomitorio aſſumto, vita ſeruati ſunt. Mortui corpore aperto gangrae-

gangraenoſas hinc inde in inteſtinis maculas repererunt.

In *menſe Decembri* 1758 deprehenditur:

5) *Obſeruatio de ruptura cordis* Auctore Cl. HAZON. Vir ſexaginta annorum, per tres menſes doloribus in regione lumbari valde cruciatus, ſubito periit. Cadauere aperto magnam, in cauitatem pectoris effuſi, ſanguinis quantitatem inque dextro ventriculo cordis, quod naturali duplo maius fuit, rupturam ſatis amplam totiusque cordis fibras molles repererunt. Quae huius dilatationis et rarefacti ſanguinis vera cauſa eſſet, non patuit; forte vero id nimio vſui opii tribuendum eſſe, Noſter arbitratur. Ad leniendos enim dolores lumbares, qui, vt ſectio euicit, a carie primae vertebrae lumbaris prouenerunt, quotidie opium propinatum huiusque doſis ita aucta fuit, vt vltima vice ab aegro centum et quinquaginta ſex guttae laudani liquidi aſſumerentur. p. 516.

6) *Obſeruatio de ventriculo in pectore reperto* Auctore Cl. MARCELLIN BONNET. Corpore foeminae cuiusdam, febre inflammatoria defunctae, aperto abdominisque viſceribus disquiſitis nullum ventriculum, ſed loco huius paruum inteſtinum, quod diaphragma perforauit, repererunt. Sterno proinde remoto ſaccus membranoſus, ſub corde, quod ope pericardii ſterno adhaeſit, ſitus, diaphragmati incumbens et vtrinque pulmonibus ſuffultus in conſpectum venit, verumque ventriculum exhibuit. Foemina, dum in viuis fuit, ſemper poſt aſſumtum cibum de reſpiratione difficili conqueſta eſt et ſaepe vomuit. p. 518.

7) *Litterae, quas de curatione hominis, qui ſibi ipſe partes genitales abſcidit ad* Cl. VANDERMONDE dedit Cl. LOUIS. Iuuenis ex alto cecidit et tantam inde cerebri commotionem paſſus eſt, vt triſtis inde et mente quaſi captus euaderet. Diebus aliquot p. 521.

 praeter

praeterlapſis nouaculam arripuit et neſcius, quid faceret, omnes partes genitales ea ipſe ſibi abſcidit, quo facto multoque ſanguine effluxo ſtatim reſipuit. Accerſito chirurgo haemorrhagia compeſcitur, Noſtroque demum aeger traditus, remediis applicatis poſt ſextam ſeptimanam euaſit. Ex his, largam venaeſectionem in commotione cerebri vtilem eſſe, Noſter colligit hacque obſeruatione probare inſimul ſtudet, ligaturam chordae ſpermaticae non ſolum inutilem, ſed noxiam eſſe et absque ea operationem tutius ſuſcipi poſſe, neque haemorrhagiam periculoſam metuendam eſſe. Stupendas enim conuulſiones illas, quae caſtrationem, manu chirurgica inſtitutam, alias ſequuntur, ligaturae tribuendas eſſe, Noſter autumat.

In *Tomi* X *menſe Ianuario* 1759 occurrit:

p. 18. 3) *Diſſertatio de mania inordinato menſtruorum fluxu producta* Auctore Cl. MAIAULT. Hic tantum notamus, maniam hirudinibus, vuluae aliquoties applicatis, ſanguinisque copia inde detracta, ceſſaſſe menſiumque fluxum prouocatum fuiſſe. Ex quo igitur et in ſimplici menſtruorum ſuppreſſione hirudinum applicationem vtilem eſſe, Noſter colligit.

p. 23. 4) *Obſeruatio de periodica menſium euacuatione per mammas et faciem* Auctore Cl. CAZENAVE. In toto pectore foeminae quadraginta trium annorum, cuius menſtrua occaſione metus ceſſarunt, rubor pauloque poſt innumera tubercula rubra, piſi minoris magnitudine, oboriuntur, quibus ſponte apertis ſanguis effluit, quo fluxu ceſſante tubercula diſparent. Singulo menſe ea redeunt, ſe iterum aperiunt, ſanguinem effundunt iterumque diſparent. Simile tuberculum in mala obortum ſinguloque menſe enatum ſanguinem fundit iterumque diſparet. Foemina, dum haec Cl. Auctor notauit, adhuc in viuis fuit.

5) *Vſus purgantium in pleuritide* Auctore Cl. BOUTEILLE. Hac commentatione Cl. Auctor oſtendere ſtudet, in pleuritide ſymptomatica, quae a putrido, in inteſtinis collecto, fomite ortum ducit febremque putridam comitem habet, purgantia non lenia, ſed fortia, quae ſordida lingua, ciborum faſtidio, nauſea, vomitu bilioſo etc. indicantur, ab initio ſtatim exhibenda, nec venaeſectioni fidendum eſſe. Hanc enim et quidem repetitam inutilem, tantum non noxiam, haberi, Noſter arbitratur *. p. 27.

6) *Obſeruatio de infante quinque annorum prodigioſo* Auctore Cl. FAGES DE CAZELLES. Puer, cuius deſcriptio hic traditur, obſcuro genere natus eſt. Tertio aetatis ſuae anno partes eius genitales magnitudinem hominis triginta annorum acquiſiuerunt; quinto aetatis anno ſtaturam quatuor pedes lineasque tres longam pectusque amplum habuit puer, ita, vt diſtantia vnius alteriusque clauiculae decem et quatuor pollices eſſet. Statura interim reſpectu brachiorum et inferiorum extremitatum minor fuit. Ab anno quarto amore in ſexum ſequiorem nubilesque inprimis virgines propendit, intellectu interim infantili inſtructus. Vox eius media fuit, vires vero muſculorum Cl. Auctor tentans, pondus quinquaginta librarum a puero ſublatum, imo, licet difficilius paulo ad duorum pedum diſtantiam centum librarum pondus geſtatum eſſe, ipſe vidit. p. 37.

9) *Obſeruatio de prolapſu vteri inuerſi, gangraena ſtipati, quem viginti octo menſibus poſt puerperium praeterlapſis gemelli ſecuti ſunt* Auctore Cl. MAZARS DE CAZELES. Ad foeminam, vtero poſt laborioſum p. 60.

 par-

* In diagnoſi itaque error commiſſus eſſe videtur; quantum enim ex deſcriptione morbi coniicere licet, morbum non ad pleuritidem, ſed ad dolores colicos referendum eſſe, arbitramur.

partum prolapſo laborantem Cl. Auctor accerſitus hinc inde gangraenae indicia deprehendit, variaque ſtatim remedia applicuit. Partibus gangraenoſis remotis et volumine, quod inſigne fuit, imminuto, felici demum cum ſucceſſu vterum repoſuit et peſſario rite firmauit. Menſibus aliquot abhinc praeterlapſis grauida euaſit, iuſtoque tempore puellam poſtque biennium aliam rurſus enixa eſt.

In *menſe Februario* 1759 reperitur

p. 129. 4) *Obſeruatio de puella octo annorum, quae ſub initium morbi acuti ſubito coeca et muta euaſit* Auctore Cl. VANDERMONDE, *huius diarii Editore.* Phaenomeni huius cauſam non in metaſtaſi materiae morbificae, ſed in vermibus quaeſiuit Noſter, ideoque cum euacuantibus anthelminthica exhibuit. Hora vix praeterlapſa vox et viſus aliquanto redierunt, ſed eodem die coeca rurſus et muta viſa fuit aegra Id Noſter animaduertens efficaciora anthelminthica exhibuit. Quo facto duos vermes euomuit puella, hisque vix reiectis vox et viſus paulatim redierunt.

p. 174. 9) *Litterae*, quas ad Cl. VANDERMONDE, *Editorem huius diarii* dedit Cl. PETIT. His variolarum inſitio a ſuſpicione, in quam caſu aliquo venit, vindicatur. Anno nimirum 1758 rumor fuit, filiolum Cl. *Delatur*, in quo variolarum inſitio bono cum ſucceſſu ſuſcepta fuit, veris denuo variolis correptum eſſe. Qua re percepta Noſter Virique Cl. VERNAGE, FOURNIER, PETIT pater et SAINT-MARTIN ad aegrotantem ſe contulere ſtatumque variolarum disquiſiuere. Variolis itaque accuratius examinatis, puſtulas aqua tantum plenas repererunt; quapropter vno animo et voce vna variolas iſtas pro ſpuriis habendas eſſe, pronuntiarunt His autem plures, poſt ſuperatas etiam variolas veras, corripi periculoque vacare, Noſter ad experientiam prouocans aſſerit, ſicque inſi-

inſitionem variolarum a ſuſpicione morbi redeuntis liberatam eſſe, arbitratur.

In *menſe Martio* 1759 deprehenduntur:

3) *Obſeruationes de pluribus gangraenis a cauſa interna* Auctore Cl. DARLUE. His Cl. Auctor oſtendit in quibusnam gangraenae ſpeciebus cortex peruuianus obeſſe vel prodeſſe ſoleat In illa gangraenae ſpecie, quam vehemens inflammatio praeceſſit, quae deinde effuſiones lymphae, vt in anaſarca ſequitur et humida dicitur, quae porro ſicca eſt, vt in ſenibus tandem, quae morbos excipit, vbi ſanguinis principia disiuncta, ſuccus neruorum diſſipatus atque ſolidorum tonus oſcillatorius deſtructus eſt, corticem vel officere vel nullum ſaltem iuuamen adferre, arbitratur. In gangraena vero a putridis febribus malignis et peſtilentialibus, faucium affectionibus, angina, aphthis infantum etc. producta corticem peruuianum, inprimis ſi actio huius alcali volatilis vſu ſuſtentetur, plura bona praeſtare Cl. Auctor concedit. p. 209.

4) *Obſeruatio de communicatione mali venerei per viam rariorem* Auctore Cl. LE NICOLAIS DU SAULSAY. Chirurgus ad foeminam, difficili partu laborantem inſimulque venerea lue infectam, accerſitus et obſtetricantis munere fungens paulo poſt ſcabie primo in digitis et brachio, tandem in toto corpore afficitur. Multis remediis in caſſum adhibitis aliisque affectionibus venereis ſuperuenientibus mercuriali vnguento ſe ipſum affricat aegrotans, quo vſurpato priſtinam ſanitatem recuperauit. Simili labe, a marito communicata, vxor chirurgi affecta iisdemque remediis vſa conualuit. p. 232.

5) *Meditationes et obſeruationes medico-chirurgicae de curatione ranulae* Auctore Cl. SOULLIER. Huius morbi, qui glandularum ſublingualium tumor eſt et a Gallo-Francis *Grenouillette*, Graecis βατϱακος vocatur, curationem purgantibus abſolui, p. 241.

 Noſter

Noſter experientia confirmatus aſſerit, ita tamen, vt corpus pro diuerſitate rerum varie antea praeparari iubeat. Ita ſi inflammatio adeſt, venaeſectio et antiphlogiſtica, poſthac purgantia vſurpanda ſunt; ſi deinde tumor indolens et durus eſt humorumque viſciditas ſcirrhi ortum minitatur, ſaponacea, poſthac purgantia propinanda ſunt; ſi tandem tumor mollis et oedematoſus eſt, remedia, quibus quotidie hanc ob cauſam vtuntur, praemittenda tuncque purgantia exhibenda ſunt.

p. 257. 6) *Litterae, quas de morbo filii* Cl. *Delatour, cuius in diario, Mercurio dicto, menſe Decembri* 1758 *et Ianario* 1759 *mentio facta eſt*, exarauit Cl. GAULARD. Hiſce variolarum ſtatus, quibus dictus aeger laborauit, deſcribitur. Veris nimirum, diſcretis tamen et benignis variolis memoratum aegrum, licet ante aliquot annos inſitione in eodem excitatae fuerint, denuo decubuiſſe, Noſter refert, hacque occaſione aliorum inſuper mentionem facit, qui poſt variolarum inſitionem, veris iterum variolis correpti fuerunt. Itaque inſitionem variolarum a naturalium eruptione neutiquam praeſeruare, Noſter colligit.

In *menſe Aprili* 1759 occurrit:

p. 330. 6) *Obſeruatio de effectibus bezoardici mineralis contra arſenicum* Auctore Cl. DEHENNE. Vir quinquaginta ſeptem annorum quinque centenarios arſenici in puluerem redegit, omni cautione vſus, ne puluerulentum aerem ore, naſo oculisque hauriret. Hoc non obſtante, altero die male ſe habuit, nauſea, vomitu, ardore naſi, oculorum et faucium aliisque ſymptomatibus, ab arſenico vt plurimum prouenientibus, excruciatus. Lacte et oleoſis remediis fruſtra fere vſurpatis, Noſter demum accerſitus omni bihorio decem grana bezoardici mineralis exhibuit et aquam hordei, lacte dilutam, ſuperbibi inſimulque oliuarum oleum vſurpari iuſſit.

iuſſit. Duodecim doſibus dicti remedii aſſumtis poſt aliquot ſeptimanas aeger conualuit.

8) *Obſeruatio de ſarcocele inſigni* Auctore Cl. MELLEE DE LA TOUCHE. Tumor hicce praeternaturalis vnum pedem, ſex pollices ſexque lineas longus fuit inque peripheria tres pedes, vnum pollicem et aliquot lineas habuit. Vir hocce morbo affectus et tunc temporis ſeptuageſimum aetatis annum agens ante viginti annos ictum pede accepit, quo facto tumor ſtatim obortus tantam ſenſim magnitudinem acquiſiuit. p. 349.

10) *Obſeruatio de polypo interno* Auctore Cl. QVARRE. Hic tantum notamus foeminam quandam inſigni vteri polypo laboraſſe hocque feliciter exſtirpato non ſolum priſtinam ſanitatem recuperaſſe, ſed grauidam etiam factam prima quidem vice abortiiſſe, poſthac autem infantes viuos ſaluosque enixam eſſe. p. 354.

12) *Litterae, quas de effectibus acori veri in haemorrhagiis ad Editorem huius diarii dedit* Cl. LEBEAU. Ad ſiſtendam haemorrhagiam narium drachmam ſemis radicis acori veri ſeu ſic dicti calami aromatici in puluerem redactae a Cl. Auctore bono cum ſucceſſu exhibitam inſimulque ad haemorrhagiam poſt abortum commendatam eſſe legimus. p 373.

In *menſe Maio* 1759 reperiuntur:

3) *Litterae, quas de effectibus variolarum in gemellos* ad Cl. VANDERMONDE dedit Cl. FVMEE. Foemina grauida variolis grauiter decumbit, morboque debellato gemellos parit, quorum alter mortuus puſtulas varioloſas habuit, alter autem viuus absque variolis in lucem prodiit poſtque tres dies obiit. p. 403.

7) *Obſeruatio de tumore calculoſo a bile, intra contextum celluloſum muſculorum infimi ventris effuſa, formato* Auctore Cl. POMME, *filio*. Foemina quaedam hepatitide laborat, qua ſuperata paulo p. 432.

 poſt

poſt vomitus bilioſus ſuperuenit inſimulque ſub coſtis ſpuriis lateris dextri tumor apparet, qui intra ſex annos tantam magnitudinem acquirit, vt ad longitudinem muſculorum abdominalium decurrens omne ſpatium a coſtis ad inguen vsque occupet. Multis remediis externis incaſſum adhibitis ſponte demum rumpitur tumor multique ſtatim calculi vere bilioſi exeunt. His egreſſis fiſtula remanſit, per quam continuo materies bilioſa effluxit, ita tamen, vt integra de reliquo ſanitate frueretur aegra.

p. 438. 8) *Obſeruatio de vitio ſingulari conformationis muſculorum poſteriorum tibiae in cadauere reperto* Auctore Cl. VANDERMONDE, *huius diarii Editore.* Amputationem pedis dextri in cadauere, praeſente Noſtro, chirurgus quidam inſtituens cultrum, praeter conſuetudinem, ſingulari cum facilitate muſculos ſurae tranſire, ſentit, reque accuratius examinata loco gaſtrocnemiorum et ſolaris nihil niſi adipoſam materiem fibrasque tendinoſas, tendinem Achillis conſtituentes, pinguedine disiunctas reperit. Pes iſte, altero quodammodo breuior, nihil de reliquo notatu dignum exhibuit.

p. 441. 9) *Obſeruatio de tumore, ad regionem vmbilicalem lateris dextri ſito, cui magna acus, in appendice vermiformi inteſtini coeci reperta, ortum praebuit* Auctore Cl. MESTIVIER. Tumore hoc aperto magna copia puris malae indolis exiit aliquoue tempore praeterlapſo aeger obiit. Corpore aperto in proceſſu vermiformi magnam acum, cruſta obductam atque hinc inde arroſam Cl. Auctor detexit.

10) *Deſcriptio febris putridae malignae, quae in nonnullis locis Inſulae anno* 1758 *regnauit* Auctore Cl. BOUCHER. Quae hic deſcribitur febris, omnibus putridarum et alcaleſcentium febrium ſymptomatibus ſtipata fuit et aegrotantes varie inuaſit. Cum autem ſingulare quid reperire ibi non licuerit, his ſuperſedere

dere et pauca tantum, quae ad curationem infra deſcribendam, pertinent, hinc inde decerpere liceat.

In *menſe Iunio* 1759 deprehenditur:

3) *Obſeruatio de foemina, quae per ſeptem annos, neque aluum depoſuit, neque vrinam emiſit* Auctore Cl. GIGNOUX. Suppreſſio harum excretionum ſubito exorta contra omnia remedia rebellis perſtitit, ita, vt foemina per ſeptem annos absque vllo dolore et absque vllo alio morbo lecto affixa nec aluum deponeret, nec vrinam emitteret. Defectum harum excretionum ſuppleuit ſudor copioſus et foetidiſſimus, qui quidem non continuus fuit, ſed per periodos acceſſit, ita, vt vnum alterumue raro tertium diem excederet et quouis die duas tresue horas duraret. Tandem praeter omnem expectationem ſeptimo anno alui vrinaeque viis ſponte apertis ſudoreue ceſſante integram ſanitatem aegra recuperauit et ab eo tempore ſex vel ſeptem annos ſana vixit alioque demum morbo affecta ſuccubuit. p. 510.

5) *Obſeruatio de pluribus fruſtis oſſeis et glomere pilorum in veſica repertis* Auctore Cl. DE LA RIVIERE, *iuniore*. Ad foeminam per ſeptem annos de dolore in infimo ventre et dyſuria inſigni conquerentem accerſitus chirurgus ſtilum in veſicam ad diſquirendum immittit tuncque citra expectationem abſceſſum perforat, quo aperto magna ſatis copia puris effluit. Leuatur inde quidem aegra, ſed morbo non in melius mutato paulo poſt moritur. Corpore aperto veſicam, vtero adhaerentem inque ea complura fruſta oſſea, nec non globum pilorum, inter ſe intertextorum, reperiunt. De reliquo nihil notatu dignum obuenit. p. 516.

7) *Continuatio deſcriptionis febris putridae malignae, quae in nonnullis locis Inſulae anno* 1758 *regnauit* Auctore Cl. BOUCHER. Quod ad huius morbi curationem pertinet, venaeſectionem Noſter non niſi plethora p. 523.

Ff 5 vera

vera vel peripneumonia, vt ſymptomate grauiori, vrgente inſtituit inque morbi principio emetica atque in robuſtioribus quidem tartarum emeticum, in debilioribus autem ipecacuanham vel etiam celeritate pulſus, calore inſigni, ſiccitate linguae, doloribus ventriculi etc. obſtantibus purgantia antiphlogiſtica exhibuit atque ad ipſum morbum curandum acida mineralia dulcificata et corticis peruuiani infuſum vel decoctum vſurpauit hacque curandi methodo multum boni praeſtitit. Praeter haec, quae primariam morbi curationem inuoluunt, alia etiam propinauit, quae vero, cum ex therapia generali diiudicanda veniant, lubenter omittimus.

p. 560. 7) *Litterae, quas de infante poſt inſitionem variolarum mortuo, editorii huius diarii communicauit* Auctor quidam anonymus. Inſeruerunt nimirum duobus infantibus variolas, hisque poſtea erumpentibus alter morbum ſuperauit, alter vero die decimo ſexto ſuccubuit. Notatu dignum hic eſt, inſitionem in eo, qui obiit, aliquoties tentatam fuiſſe, variolas vero non niſi eo tempore, quo in ipſo fratre apparuerunt, erupiſſe.

X.

Claſſes conchyliorum Auct. CAROLO AVGVSTO DE BERGEN Med. Doct. et Prof. Publ. Ord. in Vniuerſitate Viadrina, Acad. Imper. naturae curioſorum et regiae ſcient. Berolin. Socio, Haereditario in Roſengarthen. Norimbergae, apud Wolfg. Scharzkopfium, 1760. 4. pl. 16½.

Collegit Cl. Auctor claſſes conchyliorum omnes, quas eruditi pro diſtribuendis ordinandisque teſtaceis et conchyliis litteris prodiderunt,

runt, easque in hoc libello commodioris vtilitatis ergo iunctim tradidit. In laude eſſe hoc inſtitutum, nemo negabit, partim ob ſummam induſtriam in colligendis his rebus, per integram ſcriptorum bibliothecam quaſi diſſeminatis, adhibendam; partim, ob raram in vtendis pretioſiſſimis libris occaſionem; partim denique ob commodum lectoris, quod ſine magnis ſumptibus temporisque diſpendio hanc hiſtoriae naturalis partem, noſtra aetate permultis acceptam, ſibi familiarem quodammodo reddere poſſit. Quae exhibentur conchyliorum claſſes vel methodo aliqua vniuerſali confectae ſunt, vel methodo particulari. Primus, qui vniuerſalem teſtaceorum methodum condidit, eſt ARISTOTELES, illuſtris illae hiſtoriae naturalis perſcrutator. Vt vniuerſas naturae res, ita hanc inprimis de teſtaceis doctrinam magna arte magnoque ingenio elaborauit; quippe in claſſibus ſuis conſtituendis non modo teſtarum, ſed ipſius quoque animalis, teſtae incluſi, habuit rationem. Κοχλοι, vmbilici ei ſunt, peculiare aliquod conchyliorum genus, cum tamen ſatis ſit perſpectum, eos proprie nihil aliud, quam quorundam turbinatorum eſſe opercula. De Cocalia, quale ſit conchyliorum genus Cl. Auctor nihil certi definire potuit, quia Graeci per κωκαλιαν omnis generis animantia, quae in conchyliis inhabitant, intelligere ſolent. Sequitur PLINII teſtaceorum diſpoſitio paululum confuſa, nec tanta induſtria feliciqueſucceſſu, quam ARISTOTELIS, conſtructa; ſiquidem tot quaſi genera recenſet, quot figurarum diſcrimina et diſſimilitudines deprehendere poterat, in quibus enarrandis Cl. Auctor eius commentatorem FISCHERVM ſecutus eſt. ARISTOTELIS placita GESNERVS in teſtaceis diſtribuendis maximam partem excepit; quae ei propria eſt claſſis anomala continet, ad quam tamen per errorem ſtellas marinas retulit. Hanc GESNERI diſpoſi-

diſpoſitionem amplexus eſt ALDROVANDVS, niſi quod claſſem anomalων omiſerit ordinemque inuerterit. IONSTONO eadem diſtribuendorum conchyliorum ratio placuit, excepta prima claſſe, quam paullo curatius ſubdiuidit. In CHARLETONI methodo conſueta ſummorum generum enumeratio obtinet; in nomenclaturas potius, quam in teſtarum diſcrimina inquirit. Nouam conchyliorum MAIOR aggreſſus eſt diſpoſitionem; qua duas claſſes ſummas conſtituit; verum ramiſtica dichotomia nimis delectatus conchyliorum ordinem potius confuſam, reddidit, quam vtilem. In terminis quidem admodum abundans, ſed in rebus non item. SIBBALDVS a loco natali in terreſtria, aquatica eſt marina conchylia ſatis incommode diuidit. BUONNANNVS vniualuium, non turbinatorum biualuium et non turbinatorum claſſes fecit, ſed incautus ſaepe neceſſaria omiſit, atque aliena immiſcuit. Longe accuratiorem et diligentiorem TOURNEFORTIUS condidit teſtaceorum methodum. Teſtacea omnia ad tres claſſes reuocauit, ſunt enim vel monotoma vel ditoma vel polytoma; monotoma, quorum teſta eſt indiuiſa, ſunt vel vniualuia, vel ſpiralia vel fiſtuloſa. Ditoma geminas habent teſtas ad cardinem connexas, vel arcte clauſas, vel vtrinque hiantes. Polytoma ſunt, quorum teſtae ex pluribus partibus vel articulatis vel per cartilaginem coniunctis conſtant. Teſtaceorum, quae in inſula Amboina reperiuntur, diſpoſitio non tam RVMPHIO, quam eius amico SIPMANNO tribuenda eſt. Ipſa quidem collectio multis ornata eſt rebus, ſed non adeo apte diſpoſitis. CAR. NIC. LANGIVS magnam in generibus inferioribus diſtribuendis definiendisque praebuit induſtriam, quippe qui conchylia ex valuarum numero, ſuperficierum conditione et turbinum variatione tam accurate ad examen reuocauit, vt

ante

ante eum vix vllus reperiatur, qui tam ſubtiliter de teſtaceis diſputaſſet. Errauit tamen in diſponendis conchis anatiferis, vmbilicis marinis, et in eo potiſſimum, quod nautilum et ammonis cornua ex turbinatorum numero excludere voluit. Methodus eius tribus continetur partibus generalibus, quarum quaeque ſuas habet claſſes, ſectiones, genera, generumque definitiones. IO CHR. KVNDMANNVS ſatis concinnam excogitauit methodum, eſt tamen in ſubdiuidendis quibusdam generibus nimis prolixus; quod in ſecunda claſſe biualuia cum vniualuibus coniungit in vitio eſt; in definiendis generibus accuratus, in ſpeciebus paullulum breuis. Methodus teſtaceorum FRANC. VALENTINI quondam verb. diuini miniſtri in inſula Amboina noua non eſt, ſed BUONNNANI; delectant imagines, quae exquiſite elaboratae ſunt. IOH. ERN. HEBENSTREIT teſtaceorum et conchyliorum differentiam eſſe ſtatuit, et prioribus ampliorem ſignificatum tribuit; quae tamen diſtinctio non magni momenti eſſe videtur. Porro echinometra ex conchyliorum numero excludit. IOH. PHIL. BREYNIVS belemnites iure, quidem ex conchyliorum ordine ducit; verum quia haec petrefacta conchylia inter teſtacea marina fruſtra ſunt quaeſita, poterit aliquis dubitare, an eorum ſtructura ex petrefactis ſpeciminibus perſpicue poſſit illuſtrari. Idem dicendum eſſe videtur de orthoceratitibus. LINNAEI methodus teſtaceorum in Syſt. nat. Lugd. Bat. 1735 tradita nimis breuis eſt, nullasque ſpecies continet, ſequentibus tamen huius libri editionibus valde aucta et correcta eſt. D'ARGENVILLE quas recenſuit, ſpeciebus magnam varietatum copiam adiunxit. Sed in eo nullam laudem meretur, quod ſaepe veras ſpecies varietatibus adnumerauit, et quae merae varietates ſunt, pro veris ſpeciebus habuit. Nec indubia res eſt, vtrum pollicipedes genuina ſint chamarum, mytulorum, oſtrearum, rudimenta,

nec

nec ne. Splendidum eſt NIC. GVALTIERI opus, teſtaceorum methodum continens. An LANGII methodum, quam hic correctam et emendatam tradere conatus eſt, vere correxerit, intelligenti lectori ad iudicandum Cl. Auctor relinquit. De methodo teſtaceorum anonymi, quae in catalogo rerum naturalium Lipſ. 1743 auctionis lege venditarum, proſtat, nullum tulit iudicium. FRID. CHRISTIAN. LESSERVS in generum definitionibus breuitatis ſtudium aemulatur, genera nimis extendit et ſaepe ſpecies cum varietatibus confundit. CAR. LINNAEVS ſyſtemate naturae edit. 4ta, microcosmum teſtaceis adnumerat, ſed, qua ratione? non conſtat. Hoc verum eſt, eum diuerſiſſima animalia interdum ſub vno comprehendere nomine. Immenſum eſt interim diſcrimen inter KLEINII methodum oſtracologicam et LINNAEI methodum, ille enim ex LINNAEI ſpeciebus totidem et plures fingit claſſes Cl. Auctori videtur, nec ſpecies, neque claſſes eſſe poſſe teſtacea, ſed genera. Attamen laude celebranda eſt LINNAEI induſtria, quod animalium teſtis inhabitantium nomina addiderit. IAC. THEOD. KLEINIVS claſſes, genera et ſpecies nimium multiplicat, quae ſpecies ſunt, generibus adnumerauit et ex generibus quibusdam claſſes conſtituit; in nouis terminis, quos generibus impoſuit, idem ſaepe commiſit vitium, quod LINNAEO tantopere exprobrauit. Ordinum ſpecierum optima eſt diſtinctio. Methodi teſtaceorum inſulae Iamaicae PATRIC. BROUNE ſciagraphiam tantum tradit Cl Auctor, ipſo auctoris libro deſtitutus. Laudat ordines rerum ſcite digeſtos.

Tantum de vniuerſalibus methodis. Sequuntur particulares. LISTERI methodus cochlearum terreſtrium et fluuiatilium prima eſt, qua genera inferiora ſine ratione extendit. Quantum pretium ei ſit ſtatuendum, FISCHERI verbis ſuper hac methodo

methodo declarat. Reliquae particulares methodi ſunt: Methodus cochlearum marinarum LISTERI; methodus ſpecialis turbinatorum I. E. HEBENSTREIT; methodus tubulorum marinorum IAC. THEOD. KLEINII; methodus particularis polythalamiorum I. P. BREYNII; eiusdem methodus particularis echinorum; methodus echinodermatum a diuerſo exitus ſitu KLEINII; eiusdem methodus echinodermatum ab oris ſitu deſumta; eiusdem methodus aculeorum in echinis; methodus concharum fluuiatilium D'ARGENVILLE; eiusdem methodus concharum terreſtrium; methodus cochlearum anonymi. Appendicis loco ſubiunguntur conchae et cochleae tam terreſtres, quam lacuſtres Marchiae et Viadri, quas cum Cl. Auctore RICHTERVS V. D. miniſter communicauit.

XI.

ANTONII DE HAEN, Conſiliarii Aulici ac Medicin. Practic. in Vniuerſ. Prof. Prim. theſes ſiſtentes febrium diuiſiones, natamque ea de cauſa de miliaribus ac petechiis, caeterisque febrilibus exanthematibus diſſertationem etc. Vindobonae, typis Ioan. Thomae Trattner, 1760. 8. pl. 9½.

Similem diſſertationem iam in praecedenti parte indicauimus, ibique cauſas nos allegare meminimus *, quibus commotus Ill. Auctor haec themata ad vtramque elegit. His nouam in praefamine addit. Cum enim ille anguſto nimis temporis ſpatio pathologiam tradere coactus ſit, fieri non poteſt, quin plura fugitiuo interdum tranſeat pede. Ad haec nunc recurrere, omiſſa addere, fuſiusque pertractare conſtituit.

Varia

* In hac ipſo Volumine, Part. II. p. 342.

p. 1. Varia ſunt fundamenta, ex quibus febres poſſunt diuidi. Haec Ill. Auctor in *vndecim* diuiſiones eſt complexus. *Primae* diuiſionis fundamentum eſt periculum, quod in febribus vel abeſt, vel adeſt, atque vel celerius vel lentius procedit; hinc febres chronicae et acutae, hae denuo diuiduntur in acutiſſimas, peracutas et ſimpliciter acutas.

Ex aegrorum numero, qui eodem loco ac tempore decumbunt, deſumitur *ſecunda* diuiſio in febres ſporadicas ac epidemicas; ad has referuntur quoque endemiae et ſtationariae.

p. 3. In *tertia* diuiſione reſpicitur ad febrium naturam et primaria ſymptomata. Huc pertinent febres, ἠπίαλας, λειπυρίας, ἀσσώδης, τυφώδες, ἑκτικα, φρικώδης, μαρασμώδης et ſimiles. Ἠπίαλας aliter ab HIPPOCRATE, aliter a GALENO deſcribitur; vtriusque vero deſcriptionem aſſumit Ill. Auctor et ingenioſe combinat. Eſt vero illa febris, vbi aegrotus de continuo frigore conqueritur, thermometrum autem aegroto applicatum calorem naturali maiorem oſtendit. Saepius illam vidit Ill. Auctor.

p. 8. Tempus, quod febres perdurare ſolent, *quartae* diuiſioni largitur fundamentum, ſecundum quod quatuor conſtituuntur claſſes, quarum prima febres continuas non putridas, altera putridas acutas non remittentes, tertia febres συνεχείς continuas remittentes, quarta denique intermittentes continet. Ad primam claſſem pertinet ἐφημερὴ, ἐφημερὴ protracta, σύνοχος non putrida; ad alteram σύνοχος putrida, vel ſemper aequaliter decurrens, vel ſemper adſcendens, vel ſemper deſcendens; ad tertiam καυσος vel febris ardens, ſemitertiana, τριταιοφυες et denique ad quartam, quotidiana, omnes tertianae quartanaeque ſpecies, quintana, ſextana, ſeptana, octana, ab Auctore ſemel obſeruata, et nonana. Trimeſtris et annua valde dubia

nobis

nobis videtur. Vt praecedentia magis illuſtraret Ill. Auctor, ſcholia quaedam ſubiunxit, in quibus Ill. VAN SWIETEN febrium diſtributionem ſecutus, naturam inprimis complicatarum explanauit. Collegit tandem in ſcholio ſexto harum febrium ſigna pathognomonica: Febris ardens aeſtum intenſiorem et ſymptomata grauiora habet, eoque ab hemitritaea et tritaeophyia differt. Apyrexiae quaedam et horror quotidianus fundamentum praebent, quo tertiana duplicata diſtinguitur ab hemitritaea, in qua alterno tantum die horror obſeruatur.

Quinta diuiſio complectitur febres inflammatorias e. g. febrim anginoſam, phreniticam, peripneumonicam etc.

Ampliſſimus eſt Auctor in *ſexta* diuiſione, qua febres, exanthematibus conſtipatas, comprehendit. Prima eſt *eryſipelatoſa*. Haec interdum, parum conſtans, ſine errore vel medici vel aegroti fugit reditque, nec non acrimonia ſua inſigni partibus carnoſis noxam inducit. Altera eſt *ſcarlatina*, per ſe leuis vtplurimum, interdum tamen periculoſa, qualem 1748 et 49 Hagae Batauorum ſaeuiiſſe, carnes in vlcera maligna et oſſa in cariem peſſimam conuertentem legimus. Adoritur haec febris non ſolum infantes, ſed et adultos. Tertia eſt febris *petechialis*, a qua Auſtria et Hungaria vicinaeque regiones nunquam fere liberae ſunt, cuius vero in his regionibus frequentia non aeris vel loci temperiei, ſed inepto a medicis imperato regimini calidiori tribuitur; quae methodus ita quondam placuit, vt ſtatim ac quaedam malignitatis ſpecies, falſo licet quam ſaepiſſime, ſubeſſe crederetur, fratres miſericordiae accerſerentur apta ſecum adferentes inuolucra loris adducenda fibulisque, quibus incarcerarent aegros, ne vllo admiſſo frigidiuſculo, aut temperato aere exanthematum eruptio, quam ii ſapientiſſime praeuidere ſibi videbantur, impe-

p. 19.

impediretur. Periculoſa autem haec methodus ortum duxit ex eo, quod haec exanthemata opus naturae criſin molientis eſſe crederentur, cum Auctor illa e contrario fictae potius malignitatis et curationis peruerſae effectus, eo vel inprimis tempore, quando nulli obſeruentur morbi peſtilentiales, eſſe iudicat; idque noſtra quidem ſententia ſummo
p. 39. iure. Idem ſentit de *miliaribus*, quae, itidem *frequentius mala arte progigni*, *ſponte longe rarius*, ratione et experientia ſuffultus affirmat. Hinc aſſolet in plurimis aegris prorſus negligere haec exanthemata, aegrotos ex lectis quotidie eximere, ſi vires non ſufficiant, certe in lectis erigere, quam leuiſſime ſtragulis obtegere, reiectisque bezoardicis, diaphoreticisque, diluentia, et expectorantia copioſe propinare. Quae methodus * tam proſpere vbique ceſſit, vt in noſocomio fratrum miſericordiae, in quo nimirum quotannis circiter ex centum aegris acute febrientibus triginta exanthemata experti fuiſſent, nunc mutato regimine medendique genere, intra biennium, ſex modo ea ſuſtulerint, et numerus eorum, quos annis praecedentibus acuti morbi ibidem morti dare ſolebant, iam ad quintam partem cum ſemiſſe imminutus ſit. Monet quoque Ill. Auctor medicos, vt, ſi forte ad aegrotos vocarentur, qui ſibi ipſi ab initio morbi exanthemata haec per regimen calidum contraxiſſent, nulla horum habita ratione ſine metu illud ſtatim mutent diluentiaque copioſe propinent et in caſibus deſperatis ad corticem Peruuianum confugiant. Miliaria exanthemata triginta annos ante Lipſienſem epocham Gallis iam cognita fuiſſe, loco quodam in RIVERII praxi medica reperto commotus Ill. Auctor credere videtur; ſed, ſi ille locus de miliaribus eſt interpretandus, ſequitur, iam longe

* Eandem quoque ſuadet in *ratione ſua medendi*, quam et nos excerpere meminimus in hoc ipſo Vol. P. I. p. 88.

longe ante RIVERIVM ea P. SALIVM DIVERSVM nouiſſe, illorumque in tractatu de febre peſtilenti meminiſſe, (quod etiam annotauit ALLIONIVS *,) nec itaque triginta, ſed ſeptuaginta ante, quam Lipſiae apparere coeperint, obſeruata fuiſſe. Quinta p. 91.
ex harum febrium genere eſt *varioloſa*. Vulgarem illarum diuiſionem in regulares et anomalas et Auctor recipit, regulares vero in tres ſpecies ſubdiuidens: in diſcretas, confluentes et cohaerentes, inter vtrasque praecedentes medium genus conſtituentes, quarum quippe papulae licet non confluant, denſo tamen agmine corpus adeo occupant et ita propinquae ſibi inuicem ſunt, vt pluribus in locis racematim cohaereant. Febris harum cohaerentium peior, quam diſcretarum, melior vero quam confluentium exiſtit. Disquirit hac occaſione Auctor cauſam intumeſcentiae tenſionisque cutis in variolis: materiam virulentam variolarum natura quidem in variolas colligere intendit; cum illius vero tanta eſt abundantia, vt papulae, etſi copioſae, eam recipere nequeant, reliquam reponit in ſubſtantiam celluloſam, ibique coquit, coctamque deinde vel per ptyalismum, vel per diarrhoeam, vel, praegreſſa metaſtaſi ad pedes et manus per tranſpirationem puſtularum e corpore eiicit. Comprobare id videtur noua et repetita veſicularum diſciſſarum repletio, quam diſciſſionem Auctorem valdopere et ex hoc quidem capite ſuadere, alio loco iam annotauimus **. Saliuatio non ſolum in variolis confluentibus, ſed et interdum in diſcretis, imo in febribus varioloſis ſine variolis obſeruatur. Sexta febris eſt
morbilloſa, in cuius curatione, quae ab ea, in variolis p. 103.
modo laudata, parum differt, requiruntur venae ectio, refrigerantia, diluentia, demulcentia, enemata,

 crurum

* In tractatu de miliarium origine, progreſſu, natura et curatione. Aug. Taurin. 1758. 8. p. 73.

** vid. Comment. noſtr. Vol. IX. P. I. p. 95.

crurum reliquarumque partium exareſcentium fotus et balnea. Tempore epidemico, quo morbilli et variolae ſimul regnant, prognoſis futuri morbi difficilis eſt. Vidit etiam Auctor vno eodemque tempore morbillis et variolis ſimul obrutum, in alio morbillos nondum cunctos profligatos ſequutas variolas. Puellam ſcabioſam a priſtino malo non liberarunt morbilli, ſcabies quippe longe ferocior poſt morbillos curatos rediit. Idem et nobis binis in puellis poſt variolas feliciter ſuperatas et ſcabiem ſimul curaſſe viſas, nuper demum obſeruare contigit. Addit Auctor his febrium exanthematicarum ſpeciebus aliam, de cuius nomine dubius eſt, vtrum *ignem ſacrum* vel *ignem S. Antonii*, an *innominatam* appellare conueniat. Febris non raro valida oritur cum dolore in alterutrius lateris abdominis plaga. Die iam 1, vel 2, vel 3 maculae rubrae apparent, cito increſcentes ad magnitudinem variolarum diſcretarum, his tamen interdum altiores fiunt, et racematim hic cohaerent, illic interſtitiis magnis vacuis relictis. Semper in alterutro abdominis latere tantum obſeruantur, nec vnquam lineae albae ſpinaeque dorſi fines transgredi ſolent. Aegrotus, cuius Viennae Auctor curam habuit, haec exanthemata non in abdomine, ſed in altero faciei latere fuit perpeſſus. Cum ſuppurare ſoleant hae puſtulae, adſtringentibus et ſaturninis eae non ſunt exſiccandae, praeſtat, fotibus et emollientibus vnguentis has fouere, de reliquo antiphlogiſtica curatio reliquis praeferri debet. Pertinent huc quoque maculae rubrae vnum duosue digitos latae et ſupra cutis ſuperficiem exſtantes, in iis obſeruatae, quibus a variis cauſis ingens naſcitur ſanguinis putredo. Hae intra paucos dies mortem praenuntiant.

Septima

Septima diuiſio febres ſtationarias et intercur- p. 117.
rentes comprehendit, de quibus optime SYDENHAM et HVXHAM egerunt. Febres ſtationariae et epidemicae ſynonyma ſunt, itaque plures ſimul vno tempore vna eademque regione inuadunt homines, quae vero tunc temporis nonnullos modo adoriuntur, intercurrentes vocantur. Harum curatio non ex ſua indole, ſed ex natura febris ſtationariae eſt inſtituenda. Rem illuſtrat exemplum ex SYDENHAMIO allatum. Anno 1675 ſtationaria febris erat continua, quae vix vnam alteramque venaeſectionem permitteret; inter morbos intercurrentes obſeruabatur pleuritis; haec ex eius natura repetitam requirere videbatur venaeſectionem. Sed peſſime cum iis aegrotis agebatur, quibus aliquoties vena tundebatur, in morbo quippe ſtationario venaeſectio repetita non conducebat, ideoque etiam non in morbo intercurrente. Hanc regulam ſiue regularum therapiae generalis exceptionem, quae limatum expoſcit iudicium, veram quidem eſſe, nihilominus tamen interdum admittere nouam exceptionem, ex conſtitutione epidemica Hagana, 1747, edoctus aſſerit Auctor. Saeuiebat febris anomala ac vere maligna. Hac febre decumbentibus optimo erant auxilio decoctum totius altheae et enemata emollientia. Intercurrebant his febribus dyſenteria, ſcarlatina, angina contagioſa. In hac dyſenteria nec emetica, nec rhabarbarum, nec myrobalani, nec adſtringentia ne cortex quidem ſimaroubae, quidquam valebant. Sola demulcentia, inuoluentia, et ori et ano immiſſa (remedia, quae morbo ſtationario conueniebant) omnem abſoluebant curam. Ab hac itaque parte legis ſupra latae apparet veritas. Reliqui vero intercurrentes morbi, ſcarlatina et angina, his remediis valde exacerbabantur, vsque dum Auctor didiciſſet, his purgationem

 aluinam

aluinam optime prodeſſe. En exceptionis factae a therapia generali nouam exceptionem!

Omnes febres continuas putridas, continuas remittentes, etiam inflammatorias in malignas et benignas diuidi et quare ita diſpeſcantur, in *octaua* diuiſione docet Auctor.

p. 129. Obſeruantur quoque interdum febres intermittentes, quae ab harum natura, quam longiſſime recedere videntur, re ipſa tamen genuinae ſunt et vt tales tractandae. De harum periculo, quod inſigne eſt, monet Ill. Auctor ſummopere in *nona* diuiſione. Mentiuntur hae febres apoplexias, pleuritides, colicas et omnes morbos inflammatorios. Inuadunt aegrotos vehementoribus quidem ſymptomatibus, quae vero ſtatim euaneſcunt, tertio die redeunt abeuntque, tertio vel quarto autem paroxysmo aegrotos enecant. Omne auxilium in his a cortice peruuiano eſt repetendum, quem quam citiſſime propinare conuenit.

In *decima* diuiſione exponit Auctor febrim ſine febre, ſiue febrim topicam, cuius exemplum quoddam in noſocomio Viennenſi habuit.

In *undecimam* diuiſionem tandem illas colligit febres, quas ad certam ſpeciem referre, et idoneo nomine appellare nequiuit.

XII.

XII.

Hiſtoria medica morbi epidemici ſiue febris petechialis, quae ab anno 1757 fere finiente vsque ad annum 1759 Viennae graſſata eſt. Cui adiecta notabilium obſeruationum anatomicarum decas. Auctore IOANN. GEORG. HASENOEHRL, noſocomii Hiſpanici medico. Vindobonae, typis Ioan. Thom. Trattner. 1760. 8. plag. 5½.

Morbum petechialem, cuius Ill. DE HAEN in tractatu ſuo praecedenti inter ceteras febres breuibus tantum, aliud quippe exponens argumentum, meminit, nunc illius diſcipulus hoc in libello copioſius perſequitur omnemque illius hiſtoriam exhibet, quam eo maiori cum voluptate perlegimus, quo plures morbi iſtius truculenti deſcriptiones vt promulgarentur et in noſtrum commodum optamus. Cum etenim idem morbus et noſtris regionibus eodem tempore fatalis fuerit, magnasque inter noſtros ediderit ſtrages, iam dudum conſilium cepimus, deſcriptionem morbi illius, quam ex collectis noſtris plurimorumque amicorum obſeruationibus concinnauimus, cum orbe erudito communicandi. Studioſe itaque omnia ſcripta colligere atque peruoluere ſolemus, quae morbi iſtius mentionem faciunt, eo quidem conſilio, vt inde edoceamur, vtrum morbus in noſtris regionibus graſſatus ab iis, qui in aliis ſaevierunt, abluſerit, nec ne, et quanta inter hos fuerit diſcrepantia.

De morborum epidemiorum endemiorumque definitione, cauſa et differentia facta breui in *capite primo* introductione, morbum ipſum in *capite ſecundo* enarrat Cl. Auctor. Incipiebat morbus ille menſe nouembri et decembri anni 1757. Impetus

eius in aliis leuior, in aliis grauior erat. In illis obſeruabatur coryza, capitis dolor obtuſus, alii dolores rheumatici vagi, anxietas praecordiorum, leuis nauſea, vomituritio, quarto, certe ſeptimo die macularum grate rubrarum eruptio, qua facta reliqua ſymptomata vel miteſcebant, vel euaneſcebant viresque aegroti refocillatae increſcebant, decimo demum, vel quarto, vel ſexto exanthematibus disparentibus aegrotus priſtinam recuperabat ſanitatem. In his vero, qui maligniorem experiebantur morbum, ab initio ſubita et ingens virium deiectio, artuum languor, capitis grauitas, ciborum faſtidium, ſitis pauca vel nulla, leues horripilationum aeſtuumque viciſſitudines, pulſus naturali celerior. Haec ſymptomata per quatriduum eodem tenore perſeuerabant, deinde vero increſcebant accedebantque maior corporis laſſitudo, tinnitus et ſuſurrus aurium, anxietas praecordiorum, reſpiratio anxia vel tuſſi difficili intercepta, vel cum dolore punctorio lateris coniuncta, abalienatio mentis interdum ad furorem aucta, ſubſultus tendinum, in aliis vigiliae diuturnae, in aliis ſomnolentia continua ſoporque profundus, exanthemata vel nulla, vel purpurea, liuida, nigra, interdum profunde ſub cute ſita, interdum parum conſtantia, diarrhoea, parotides, bubones, gangraena. Sanguis in his morbis e vena miſſus in paucis fluidus et reſolutus, in plurimis ſpiſſus denſaque cruſta inflammatoria obductus apparebat. Hinc a petechiis non ſemper ad ſanguinem reſolutum concludere licet, ſimulque exinde patet, quam neceſſaria his in morbis exanthematicis venaeſectio eſſe poſſit. Ipſi Auctori, eodem hoc morbo grauiter decumbenti, ter vena ſecta ſanguisque non ſine cruſta phlogiſtica fuit. Duo cadauera hoc morbo demortuorum Auctor quidem incidit, nihil vero, quod memoratu dignum fuiſſet,

fuiſſet, vel ad morbi intimiorem cognitionem, quid contuliſſet, reperit; in altero omnia viſcera ſana erant, pulmo tantum atro ſpiſſo ſanguine infarctus; in altero omentum et inteſtina flaccida et ſemiputrida ſanguisque diſſolutus fuſcus; huic camphora, illi cortex Peruuianus propinatus fuerat. Curae initium in hoc morbo plerumque a venaeſectione factum fuit, habita tamen aegroti et pulſus ratione; aliis vna ſufficiebat, aliis duae tresue; tempus illius varium erat, in aliis ab initio morbi, in aliis in ἀκμῇ; interdum quoque praeſentibus exanthematibus, venam ſecare licere, Cl. Auctor exemplo aegroti probat, cui decimo quarto morbi die, cute copioſiſſimis conſperſa maculis vena tuſa fuit. Licet ſaburra in primis viis haerere morbumque augere poſſit, et inde vomitoria et purgantia fomitem eius exturbatura videantur, in hoc tamen morbo ea rarius exhibita fuerunt, cum raro illa neceſſitas poſtulauit; data enim vomitoria vel ſponte oborta diarrhoea morbum, nec ab exanthematibus liberum, nec mitiorem, e contrario grauiorem reddiderunt, ita vt diarrhoea quouis morbi tempore paregoricis vel prorſus cohibenda vel moderanda fuerit; quod nunquam ſine aegrorum emolumento factum fuiſſe, Cl. Auctor affirmat nonnullisque exemplis probat. Plus ſolaminis auxiliique attulit copioſus potus ex decocto hordei ſaccharo vel ſyrupo edulcorato, itemque ex decoctis radicis graminis, ſcorzonerae, acetoſae etc. Mirum quoque conduxit ſerum lactis vinoſum, vel aqua, mixta cum tertia parte ipſius lactis. Camphora, moſcho, radice ſerpentariae Virginianae, contrayeruae, vincetoxici et ſpiritibus acidis mineralibus non nulli quidem, qui leuius aegrotabant, ſanati fuerunt; grauiori vero morbo correptis haec non ſuffecerunt; vsque dum Ill. AB

HAEN de cortico Peruuiano prouulgauiſſet, ſummae hunc eſſe in his morbis efficaciae atque virtutis, quam Cl. Auctor ipſe quoque, cum decumberet hoc morbo expertus laudat; aſſumſerat vero extracti illius quotidie vnciam vnam. Non nullos ex hoc morbo, conualitos in eundem, ſine praegreſſo errore, relapſos fuiſſe narrat Cl. Auctor, quibus tamen infuſum ex ligno ſaſſafras, melle edulcoratum, profuit, ſed nulli eorum id contigit, qui corticem Peruuianum in morbo aſſumſerant. Remediis indicatis adiuncta fuerunt pro re nata clysmata emollientia, epiſpaſtica vel veſicatoria, ad quietem et ſomnum inducendum paregorica veſpere potiſſimum propinata. Praeter haec medicamenta aegri ad vitam ſuſtentandam veſciti ſunt cibis eupeptis iuſculis vel inprimis auenaceis, hordeaceis vel et carnium, ſucco citri correctis.

Coronidis loco Cl. Auctor ſectiones nonnullorum, aliis morbis demortuorum, ſubiungit, ex quibus ſequentes dignae nobis videntur, quas breuiter tangamus.

Pleuritide occiſus praeter inflammatam pleuram, pulmonem cruſta lardeacea obductum atque cor hirſutum piloſum eadem cruſta obuolutum exhibuit.

Foemina, quinquaginta ſeptem annorum, ſpiritus vini vſui largiori adſueta, per omnem vitam ſaepius vomuerat, raroque excrementa conſueto modo depoſuerat, intra anni denique ſpatium quotidie ſexies, ſepties, imo pluries per os reddebat, quodcunque adſumſerat. In hac mortua omnia inteſtina tenuia et craſſa ita coarctata reperiebantur, vt vix digitum admitterent, ventriculus e contrario ita expanſus, vt os pubis attingeret atque viginti menſuras aquae caperet.

In foemina, quadraginta trium annorum, quae ſaepius redeuntibus doloribus ventris acerbiſſimis excru-

excruciabatur et paucas ante mortem horas ſanguinem ex ore et naribus reddebat, ventriculus poſt mortem ſanguine repletus, pancreas vero omne durum ſcirrhoſum et vlcuſculis cancroſis, quae vicinas ventriculi tunicas arroſiſſe videbantur, paſſim obſitum, repertum fuit.

XIII.

ANTONII STOERCK, Med. Viennenſis et in noſocomio Pazmariano Phyſici Ord. annus medicus, quo ſiſtuntur obſeruationes circa morbos acutos et chronicos, adiiciunturque eorum curationes et quaedam anatomicae cadauerum ſectiones. Vindobonae, typis Ioan. Th. Trattner. 1759. 8. plag. 11½.

Binis praecedentibus libellis nunc tertium addimus, quem, quod illius eiusdemque morbi epidemici ſymptomata et curationem exponat, hunc locum optime mereri arbitramur. Cl. enim STOERCK cum videret, medicos, qui curam noſocomiorum gerunt, plerumque negligentiae et nimiae temeritatis argui, opprobrium illud optime ſe effugiturum eſſe credidit, ſi ſtatim ac curam noſocomii Pazmariani ſuſcepiſſet, omnia, quaecunque ſuo praeſidio in illo peragerentur, ſedulo annotaret, diligenter deſcriberet, lucique publicae exponeret adeoque omnem litterarium orbem rerum a ſe actarum iudicem ac arbitrum eligeret. Ex hoc igitur valdopere laudando inſtituto, et, quod omnes medici imitentur, digno, ortus eſt libellus, cuius primaria momenta nos nunc breuiter ſumus excerpturi. Cum vero morborum acutorum plurimi intra menſis ſpatium terminari ſoleant, in his deſcribendis eum ordinem Cl. Auctor ſeruat, vt enarret,

enarret, quod per ſingulos menſes notatu dignum obſeruauerit, adiecta interdum, ſed rarius, cauſarum disquiſitione breui. His obſeruationibus tabulam praemittit, quae indicat, quot ſingulo menſe acute decubuerunt et ex his quot mortui ſunt. Incipit vero libellus a decimo menſis iulii die anni 1758, ex quo quippe Cl. Auctor auſpicatus eſt hoc munus, et eiusdem menſis ſecundo anni 1759 finitur, annuum comprehendens ſpatium, quod ob morbum miliarem et petechialem, qui tunc temporis inprimis ſaeuierunt; famam in orbe medico eſt conſecutum. Quicquid vero de nonnullis morbis chronicis Cl. Auctori notatu dignum viſum fuit, poſtea ſeorſim exponit, cui deinde anatomicas ſectiones, quarum viginti deprehendimus, et denique medicamentorum formulas, quibus in noſocomio iſto vſus eſt, adiicit. Ne vero crambben bis coctam apponamus, ex Cl. Auctoris de morbis his acutis conſcriptis obſeruationibus nonnullas tantum et eas quidem nullo obſeruato ordine repetemus, quas Auctores praecedentium libellorum, vel non annotarunt, vel in quibus a Noſtro recedere videntur.

p.7. 56. Poſt morbum petechialem remanens amauroſis et auditus grauitas veſicatorio nuchae applicato et remedio dato purgante curata fuit; et hunc morbum ſuperatum ſecutos ſudores nocturnos diaeta
p.3.15. reficiens et infuſum ſaluiae ſuſtulit. Non niſi per ſat graues cauſas, quae in his morbis raro adfuerunt, Cl. Auctor induci potuit, vt venaeſectionem permitteret, quod videret, ex vnica interdum venaeſectione vires aegrotorum adeo imminutas fuiſſe, vt irritantibus medicamentis poſtea excitandae fuerint, illique aegroti ex morbo conualeſcentes longius ac alii, temporis ſpatium in colligendis viribus conſumſerint. Venaeſectionis repetendae rariſſime obuenit neceſſitas. Febris moderamen

ſaepius

ſaepius ſine venaeſectione praeſtiterunt apozemata antiphlogiſtica. Solo ſero lactis, pro ratione virium aegroti plus minus vinoſo, multi ex morbo conualuerunt, cuius libris quatuor, ſi adfuerunt ſigna reſolutionis ſanguinis putredinoſae, adiecit vncias tres ſyrupi diacodii et drachm. vnam ſpiritus ſulphuris per campanam eliciti, et omni hora vncias tres vel quatuor aſſumi iuſſit. Absque ſyrupo hoc medicamen ſtranguriam et diarrhoeam forte ob combinationem ſpiritus ſulphuris cum ſero, per vinum affuſum facto, excitauit. In conuulſionibus paregorica ſine camphora, et haec ſine illis et epiſpaſticis nihil valuerunt. Quibus ſomnum adimebat morbus, iis vnc. vna ſyr. diacod. illum conciliabat; haec doſis tamen et quaternis etiam horis repetita non ſufficiebat in quodam aegro, petechiis obruto, qui nulla grauia expertus ſymptomata ad ſeptimum vsque diem leuiter aegrotare videbatur: nec hoc die ſymptomata increſcebant, nec grauiora accedebant praeter hoc vnicum, quod aeger ab hoc die clamare et canere vsque incipiebat. Coercuit tandem hoc ſingularis generis delirium, quod ſoli inordinato ſpirituum vitalium motui tribuit Cl. Auctor, potione ex aqu. menth. vnc. vna, ſyr. diacod. vnc. ſemis. laud. liq. SYDENH. gutt. 40 compoſita vnoque hauſtu ſumta, et aeger breui poſt conualuit. Qui non ſtatim, atque ex hoc morbo petechiali et miliari conualuerant, noſocomiis egreſſi fuerant, in veram ſcorbuticam inciderunt labem, ex qua eos corporis motus in aere puriori, medicamenta antiſcorbutica et omni quarto die datum purgans reduxere. Nonnullos interim, vel inprimis, qui omnem corporis exercitationem euitauerant, perniciosa huius morbi vis conſumſit. p. 22.

Multi,

p. 26. Multi, qui menſe ſeptembri febre hac acuta decumbebant, quotidianam intermittentem ſimul fuerunt experti. Quia vero viribus aegroti parcendum erat, hanc febrem ſine mora cortice Peruuiano ſupprimere conducebat, iis enim conſumtis, metus non inanis erat, ne aegrotum ſubſequens paroxysmus trucidaret. Prior interim morbus, intermittente fugata, ſine grauioribus ſymptomatibus leuiter proceſſit. In hoc quoque menſe ſingultus exanthematum eruptionem praeceſſit, hac vero facta, euanuit ſponte, in vnico aegro eruptioni fuit ſuperſtes.

p. 42. Miliaria exanthemata in icterica acute ſimul febriente aegra aeque alba fuerunt, ac in aliis.

p. 48. Saeuiit menſe ianuario 1759 morbus ſingularis indolis: non valida febris, non magna ſitis, nec ciborum appetitus ſublatus, ſed ſolummodo virium languor, capitis grauitas ac temulentia, diarrhoea leuior, foetida tamen, obſeruabatur. Haec ſymptomata perdurabant ad ſeptimum diem, a quo febris augebatur, capitis grauitas abibat in dolorem acutum, quem tamen paucis horis poſt excipiebat ſopor profundus; ſequentibus diebus fugacia conſpiciebantur mox in hac, mox in illa corporis parte, exanthemata vel miliaria, vel petechialia; decimo demum die ſubita febris remiſſio, pulſus intermiſſio extremorumque frigus mortem in propinquo eſſe praenuntiabant. Si morbus curationem admittebat, illam emulſiones camphoratae, infuſum rad. ſerpentar, contray. etſ. atque veſicatoria nuchae et plantis pedum ſtatim ab initio morbi applicata praeſtabant.

p. 15. 58. Menſibus auguſto 1758, maio et martio 1759 adeo neceſſaria fuerunt in plurimis aegris vomitoria, vt ea, ſi ab initio morbi neglecta fuerant, praeſentibus iam exanthematibus propinari debuerint, quo nimirum diarrhoea praecaueri et aegri a con-

tinua praecordiorum anxietate liberari potuerint, quod Cl. Auctor exemplo viri, vnius et ſexaginta annorum comprobat. Tres herniae et ſumma ſenectus in hoc aegro, qui non ſolum ab initio, ſed et in progreſſu febris putridae, continuis vomituritionibus affligebatur, vomitoria interdicere videbantur, ſed cum omnia in peius ruerent ſymptomata, anceps eligere coactus erat Cl. Auctor medicamen, ventre itaque faſciis rite ligato exhibebat vomitorium, cuius operationem cito ſecuta eſt tranquillitas et anxietatis vomituritionisque remisſio; et licet octiduo poſt eadem ſymptomata redirent; ea tamen mox dato iterum vomitorio fuerunt profligata et aeger, licet ſumma ſenectute confectus, integre conualuit.

In menſe aprili febrim acutam, qua permulti fuerunt correpti, quarto et decimo die abeuntem ſecutae ſunt quotidianae et tertianae. p. 61.

Cum morborum horum acutorum natura quolibet fere menſe variare et alia atque alia ſymptomata proferre ſoleat, vt ex praecedentibus perſpeximus, ſine dubio rem gratiſſimam feciſſet Cl. Auctor, ſi cuiuslibet menſis temperiem aerisque viciſſitudinem addere adeoque lectores ſuos in cauſarum et ſymptomatum inueſtigatione comparationeque inter ſe adiuuare voluiſſet.

Morbis acutis immiſcuit quoque Cl. Auctor tetani hiſtoriam, quo iuuenis quindecim annorum correptus fuerat. Is aliquot dies ante morbi ingreſſum dolorem in omnibus artubus ſenſerat lancinantem, qui vero, cum ille nunc totus obriguiſſet, euanuerat. Omnes fere muſculi, ad motus voluntarios neceſſarii contracti duri, artus ad longitudinem extenſi et brachia ad truncum appreſſa erant et os ita firmiter clauſum, vt vix per dentes effractos paucula fluidi copia ipſi poſſet ingeri. Liber tamen reſtitit linguae et oculorum motus,

mens

mens non alienata, reſpiratio libera pulſus naturalis. Cum per noſocomii rationem non liceret vniuerſalia adhibere balnea, aliam curationis viam ingredi coactus fuit Cl. Auctor. Vt itaque os aperiret, maxillaeque motum redderet, huic cataplasma ex ſtercore equino cum cereuiſia cocto applicari et potionis ex ſpir. ſal. ammon. drachma vna cum aceto rutae ad ſaturationem mixta, additis aqu. rutae vnciis tribus, ſyr. gran. kerm. vncia compoſitae, omni bihorio cochlear vnum propinari; praeterea bis de die linimentum ex oleo verbaſc. c. ſpir. ſal. ammon, ſpinae dorſi affricari, illique alterno die cucurbitas ſiccas applicari iuſſit, qua methodo id praeſtitum fuit, vt die quarto aeger non ſolum maxillam mouere, ſed cibos quoque manducare, octauo manus et brachia, paullo poſt et pedes agitare, vigeſimo ſuffultientis famuli auxilio et trigeſimo demum ſolus ambulare poſſet.

p. 76. Febres acutas nunc ſequuntur intermittentes et reliqui morbi chronici, quorum varias ſpecies annuo hoc ſpatio obſeruauit Cl. Auctor, ex quibus et hic nonnullas modo ſeligamus obſeruationes, quae noſtram mouerunt attentionem. Vir ſine vel praegreſſa, vel ſecuta febre aut alio ſymptomate quotidie hora quarta pomeridiana ſubito omnem amittebat viſum et plenaria afficiebatur amauroſi, quae vero binis horis poſt abibat, integraque reuertebatur videndi facultas. Idem hic ſingularis morbus per octiduum eadem hora rediit, tandem vero vncia vna corticis Peruuiani, intra diei ſpatium ſumta, ſublatus fuit. Cum laudano liquido SYDENHAMI, quod Cl. BERRYAT * ad febres intermittentes fugandas

* vid. Memoires de Mathématique et de Phyſique préſentés a l' Academie Royale de Sciences par diverſes Sçavans. Tome II. à Paris 1755. 4. et Commentariorum horum Vol. VI. p. 577 ſeqq.

fugandas miris extulit laudibus, periculum fecit Cl. Auctor pluriesque repetiit. Tantum vero abfuit, vt omnes febres abſtuliſſet, vt e contrario in nonnullis aegris protraxiſſet paroxysmos, aluum occludiſſet, aegrosque ſtupefeciſſet. In duobus febres hoc medicamine quidem profligatae fuerunt, ſed remanens debilitas, ſtupiditas, deficiens ciborum deſiderium longum cardiacorum amarorumque vſum poſtularunt. Medicamenti interim huius vſum omnem in febribus intermittentibus non abrogari vult Cl. Auctor, ſed ad neruoſas tantum reſtringit febres. Longe infeliciori cum ſucceſſu tentata quoque fuit ab Auctore febrifuga illa arſenicalis medicina a Cl. IACOBI commendata *. Febris quidem ab ea ſupprimebatur, ſed ſequebantur ardor quidam continuus in ſterno, tuſſicula ſicca, appetitus plenarie deletus, ſitis ingens, virium defectus, capillorum defluuium; et febris hectica certo aegrum interfeciſſet, niſi Cl. Auctor illi emollientibus oleoſis remediis et lactis vſu ſuccurriſſet, quibus poſt duos demum menſes conualuit. Idem remedium, quod vero minorem arſenici copiam continebat, denuo tentatum, licet ne ſuppreſſiſſet quidem febrim, nihilo tamen minus funeſta illa protulit ſymptomata, vt itaque illud ex omni medicaminum apparatu prorſus ſit eiiciendum.

Menſis october, nouember et december hydropicis fatales erant, quo tempore, praeter electuarium ex pulu: rad. helen. ialap. ſal. ammon. conſeru. naſturtii, ſyr. de ſpin. ceruina compoſitum et vinum Auſtriacum cum foliis abſinth. et eupatorii cannabini digeſtum, in anaſarca et aſcite auxilium p. 88.

* vid. Acta Acad. Electoralis Moguntinae Scientiarum vtilium, quae Erfordiae eſt. Tom. I. Erf. et Goth. 1757. 8. p. 216. et Comment. noſtr. Vol. VI. p. 621.

auxilium attulit, ſi tumidae partes decocto eupatorii cannabini calido madidis inuolutae fuerant. Sic quoque non ſine ſalutari effectu in aſcite abdomen oleo oliuarum recenti illinitum et calida manu horam ſemis perfrictum fuit.

p. 90. Ictero plerumque, praeter ſerum lactis pro potu ordinario, ſola mixtura, ex ſapon. venet. vncia vna ſemis ſoluta in aquae fumar. libra vna, cui additae fuerunt vnciae duae ſyr. fumar. et rhei electi drachma vna et ſemis, mederi ſolitus eſt Cl. Auctor. In puella quadam tamen non ſuffecit haec methodus; ſuperueniebat enim ictero, quo multas iam hebdomades illa laborauerat, intermittens tertiana, cuius paroxyſmos augebant dolor colicus et inde ortae lipothymiae. Cortex tandem Peruuianus peſſima haec non ſolum ſymptomata, ſed et febrim intermittentem plenarie, icteri maximam partem, ſuſtulit, cura demum per ſerum lactis finita

p. 95. Scabiem cruſtoſam ſiccam cum pulu. rad. ialap. mixto cum conſeruis et ſyrup. fumariae et naſturtii ſalutari cum effectu tractauit, reliquos pertinaci ſcabie affectos aegros cum mercurio ſublimato, methodo Switeniana, proſpere reſtituit.

p. 103. Omnibus, quos verminare credebat, ſine vermium diſcrimine praebuit linctum ex ſale polychr. pulu. rad. ialap. valerianae. ſ. phu dictae, ſingulorum drachma vna, oxymell. Squill. vnciis quatuor atque a drachma vna pro ratione aetatis ad vnciam dimidiam quater de die ſumi iuſſit. Hoc medicamentum vermes omnis generis propulſiſſe, omnesque a vermibus liberaſſe Cl. Auctor affirmat.

De ſcrobuto, arthritide, eryſipelate, aſthmate glutinoſo, diarrhoea quae tradit, ſilentio praeterimus eo animo, vt ſuperſit nobis ſpatium nonnullas ſectionum addendi anatomicarum.

1) Vir

1) Vir quinquaginta annorum, per viginti iam annos a tuſſi excruciatus, nunc grauius aegrotans, curae Cl. Auctoris committitur. Huic oxymel Squilliticum primum, deinde poſt dimidium annum in noua morbi exacerbatione kermes minerale, cum conſeruis naſturtii aquatici et cochleariae, copioſa et purulenta produxerunt ſputa: aeger quidem inde admodum leuatus praeter opinionem tamen ſubito animo delinquens obiit. Cibos auide ſemper appetierat aſſumtosque optime tulerat digeſſeratque. Nullae horripilationes, nulla febris, nullum delirium, nullaque, praeter anxiam reſpirationem ex materia tenaci, expectorationem impediente, alia ſymptomata obſeruata fuerunt. Inciſo abdomine apparebat omentum dilaceratum ſemiputridum, inteſtina tenuia cuncta in peluim coacta, ſuper his colon in globum conuolutum, ventriculus capax ad ſedecim aquae libras, hepar a parte coſtarum compreſſum et prorſus cartilaginoſum, lien durus fuſcus prope peluim, renes plani, parui, depreſſi, veſica contracta; in thorace lobus pulmonum ſiniſter totus aridus, friabilis, dexter flaccidus niger atro grumoſoque ſanguine refertus, in corde magni polypi, in cerebro ſuperior lobi medii pars ad ſemi pollicis altitudinem gangraena deſtructa.

4) In viro, quinquaginta annos nato, per plures annos tuſſiculoſo et de continuo dolore obtuſo ponderisque ſenſu in latere ſiniſtro thoracis conqueſto, pulmo ſiniſter in corpus rotundum ſcirrhoſum lapideae duritiei concretum, binis longis calloſisque fiſtulis, quae plures in ramos diuiſae progrediebantur, perroſum, dexter cordis ventriculus, qui magnum continebat polypum, aneurysmatis in modum valde expanſus repertus fuit. p. 118

6) Febrim tertianam praepropere ſuppreſſam in viro triginta quatuor annorum excipiebat languor

totius corporis, ciborum faſtidium, dolor ac tumor vtriusque hypochondrii, oedema ſcroti ac pedum, reſpiratio anheloſa, cordis palpitatio, frequens lipothymia et tandem mors. Abdomen inciſum continebat aquae ſubrubellae turbidae, thorax vero limpidiſſimae magnam copiam, veſicula fellea liquorem albumini ouorum colore, ſapore ſpiſſitudineque ſimillimum. Hepar ſcirrhoſum erat, lien ſquamoſus tenax pondere tres libras aequabat.

p. 125. 8) In foemina, paullo poſt, quam inebriata prolapſa fuerat in frontem, mortua, cranium quidem integrum, inſignis vero ſanguinis extra vaſa miſſi copia cerebellum comprimens reperta fuit. Praeterea in abdomine inteſtinum coecum aere ita diſtentum erat, vt illud, valuula BAVHINI deleta, duodecim libris aquae capiendis ſuffeciſſet. Colon e contrario totum in tenuem contractum erat chordam. Veſicula fellea 250 comprehendebat calculos.

9) In foemina, quae hydropica obiit, antea vero nec ictero, nec vllo alio morbo vnquam affecta fuerat, hepar ſiccum, durum ac graue vix ad pugni magnitudinem accedebat; veſiculam vero felleam totam exſiccatam albicans calculus, ad veſiculae figuram compactus, replebat.

p. 140. 14) Foemina ab eo tempore, quo onus tergo portans prona ceciderat, cordis palpitationes et dolorem in hypochondrio ſiniſtro ad vltimam coſtarum verarum et primam ſecundamque ſpuriarum atque in oppoſita poſteriore parte, loco tribus digitis a ſpina dorſi diſtante pulſantem ſenſerat. Poſt anni ſpatium a modo deſcripta thoracis parte poſteriore tuberculum molle cum corde ſynchrono motu pulſans apparuit, quod, ſi ceſſabant cordis palpitationes, longe minus molliusque erat, cito interdum increſcens illis, vt fieri ſolebat, cum vehementia reuertentibus. Octo tamen diebus

ante mortem omnis ceſſauit cordis palpitatio tumorque plenarie euanuit. Huic malo acceſſerunt mortisque fuerunt cauſae tuſſis violenta ſicca, febris hectica, inſomnes noctes, ſudor nocturnus copia et foetore ingratus. In pulmonibus craſſo viſcido obductis plures vomicae, in cordis ventriculo vtroque magni polypi, aorta a corde aſcendens ad curuaturae finem vsque valde dilatata, deſcendens in loco ſupra indicato in ſaccum magnum polypoſo ſanguine repletum extenſa, ſupra hunc duobus in locis cartilaginoſa facta, coſta prima ſpuriarum diffracta, reliquae duae carioſae repertae fuere.

16) Vir, quadraginta nouem annorum, aſcite p. 146. et anaſarca affectus fuerat. Vtrumque malum prima vice abſtulerat vinum ſquilliticum; ſuperfuit tamen in regione vmbilicali durities. Cum itaque aeger in eundem morbum relaberetur et a nullo medicamento ſe leuari ſentiret, paracenteſeos operationi ſe ſubiecit, qua octoginta librae aquae craſſae rubrae emiſſae fuerunt, qua facta, tumor intra primum morbi ingreſſum et hanc operationem notabili increuiſſe augmento apparuit. Idem poſt quamlibet operationem, quam octies aeger ſuſtinuit, obſeruatum fuit. Tandem vero aeger viribus conſumtis poſt octauam paracenteſin, qua centum librae aquae prodiere, obiit. Thoraci fluidi multum, abdomini nihil inerat. Hepar, ventriculus, lien ſani apparebant. Omentum vero craſſum tenacem ſaccum, magnam, praeter tumorem ſteatomatoſum duas et viginti librarum ciuilium pondus excedentem, aquae foetidae copiam continebat.

17) Calculus, cuius pondus parum ſcrupulum p. 150. vnum ſuperabat, ductui cyſtico impactus, cauſa non ſolum icteri, ſed etiam mortis ſubſequentis fuit. Omnis in hoc cadauere, non ſolum exterior oſſium compages, ſed interior quoque ſtructura flauedine imbuta erat.

XIV.

Die Naturgeſchichte der Thiere in ſyſtematiſcher Ordnung. Die Vogelgeſchichte; entworfen durch IOHANN SAMVEL HALLEN. *Mit Kupfern. Zweeter Band. Berlin, bey Chriſtian Friedrich Voß.* 1760. 8. Alph. 1. pl. 20 tab. aen. 8.

i. e.

IOANNIS SAMVELIS HALLE hiſtoria animalium ſyſtematica. Hiſtoria auium. Tomus. II.

Antequam huius tomi epitomen exhibeamus, Lectores noſtros de vero nomine Cl. Auctoris certiores eſſe, cupimus. Recordamur enim, nos ante duos et quod excurrit annos, primum huius hiſtoriae animalium tomum euoluentes, ſummam hiſtoriae animalium ſyſtematicae, ab HALLERO elaboratae, exhibuiſſe *. Verum, cognomen Cl. Auctoris minus recte ſcriptum ibi eſſe, iam nunc ex praefatione, alteri tomo praefixa, animaduertimus, Noſtrique nomen non HALLER ſed abiecta littera R. HALLE ſcribendum, omnemque erroris culpam in typographum coniiciendum eſſe, ipſe Cl. Auctor notat.

Ipſum librum euoluentes generalem primo hiſtoriam de ſtructura, more viuendi, generatione et migratione auium deprehendimus, qua abſoluta ordines, genera et ſpecies auium traduntur, ita tamen, vt in efformanda diſpoſitione methodica noui nihil Noſter addat, ſed b. KLEINIVM hac in re ſecutus ad pedum atque roſtrorum formas attendit

* vid. Comment. noſtr. Vol. VII. P. I. p. 15.

attendit et characteriſticas auium notas inde deſumit. Verum, methodum iſtam naturalem omnino eſſe, ex eo patet, quod pro diuerſitate ciborum, diuerſa etiam roſtrorum forma et pro diuerſitate locorum, quae ceu domicilia natura auibus conceſſit, diuerſa quoque pedum conſtitutio neceſſaria eſſe videtur. Ita auibus rapacibus roſtrum incuruum eſt et validum, aliae, quae ſeminibus veſcuntur, vt paſſeres, roſtrum breue et validum habent, aliae, vt aquaticae aues, longo roſtro, aliaeque alio inſtructae ſunt. Eandem etiam ob cauſam cum roſtris pedes congruunt. Ita paludoſae aues longis pedibus incedunt, in aquaticis autem pedum digiti membrana coniuncti, aliarumque pedes aliter iterum conſtituti deprehenduntur. Qui itaque ad hos characteres bene attenderit, quamlibet proinde auem ad ordinem ſuum ſuumque genus et ſpeciem commode referre poterit.

Aues omnes ab omnibus aliis animalibus alatis p. 1.
ſe diſtinguunt in eo, quod corpus pennis inſtructum et duplicem maxillam corneam, ex qua roſtrum componitur, habeant pedibusque duobus incedant. In plurimis auibus caput pro corporis proportione minus, quam in quadrupedibus, et rotundius etiam eſt atque fornicatum. Roſtrum corneum, tenax, validum et acutum eſt, et duplicem elongatam quaſi maxillam repraeſentat. Oculi auium cum quadrupedum oculis comparati planiores apparent et membrana mobili inſtructi ſunt, quae periophthalmium ſeu membrana nictatoria vocatur et totum pene, ſi extenditur, oculum obducit eumque a variis laeſionibus defendit. In aliis inferior tantum palpebra mobilis eſt, in aliis autem, vt in noctuis, vtraque mobilis. Aures concha p. 6.
externa ſeu lobis deſtitutae ſunt, in nocturnis autem auibus opercula mobilia appoſita cernuntur. Reliquarum auium aures ope pennularum, denſo

agmine ad eas circumpoſitarum, defenduntur. Margines roſtri membrana quadam inſtructi ſunt, quae labia auis ſiſtit, et in iunioribus tumida, flaua et extrorſum reflexa inque adultioribus introrſum inflexa eſt; in aliis vero, vt in alaudis, ea ſemper tumida manet. Longitudine colli aues omnia animalia ſuperant, ita tamen, vt in aliis breuius in aliis longius iſtud appareat. Alae ceu pedes auibus inſeruiunt, quarum ope per aerem volitant quasue ad multos vſus impendunt. Conſtant alae ex tribus articulis, oſſe nimirum humeri vlna et carpo, in quo pennae remiges locantur, quarum octodecim vt plurimum numerantur et aliquibus minoribus
p. 9. obteguntur. Pedes tribus componuntur articulis, femore nimirum crure et pede extremo, qui ex digitis conſtat. Plurimae aues antrorſum tribus, aliae tamen quatuor aliaeque duobus tantum digitis vnoque retrorſum exporrecto gaudent. In aquaticis auibus digiti iſti membrana coniunguntur, in reliquis iidem liberi ſunt. Ad vropygium glandula locata eſt, quae adipoſam materiem continet. In poſteriori parte cauda cernitur, quae ex duodecim vel viginti pennis rectricibus conſtat. Quaeuis penna ex calamo et pinna componitur variisque vſibus inſeruit. Aliter conſtituta eſt plumula, quae abdomen vt plurimum obtegit et ad conſeruandum calorem atque ad natandum quid confert. Partes genitales intra anum et glandulam vropygii reperiuntur, qua in re a quadrupedibus differunt omnino aues.

p. 15. Anatomice disquiſitae aues varias partes exhibent, quibus ſe a quadrupedibus quoque diſtinguunt. Ita cerebro diſſecto nec ſulci, nec corpus calloſum, nec fornix, nec ſtriata corpora reperiuntur. Corticalis ſubſtantia medullarem obtegit; ventriculi ſuperius locantur et, vbi calloſum alias corpus deprehenditur, medullae oblongatae pedunculi

culi in conſpectum veniunt. Striatorum corporum locum membrana ſtriata ſupplet, plexusque choroideus in ventriculis lateralibus cernitur. Roſtrum et ſanguinea vaſa et nerui intrant. Tympanum ex duabus membranulis conſtat; loco mallei, incudis, ſtapetis et oſſiculi orbicularis, tenuis canalis oſſeus animaduertitur, cuius apici parua cartilago trifida appoſita eſt. Labyrinthus tres canales ſemicirculares, in hominibus reperiundos, repraeſentat et meatum auditorium ſiſtit. Lingua in aliis lata, in aliis carnoſa, in aliis fiſſa, longa admodum in aliis, anguſta, breuis et tendinoſa eſt. Epiglottis in auibus deeſt. Trachea ex pluribus inter ſe coniunctis circulis conſtat et in aliis cartilaginea, in aliis fere oſſea eſt. In auibus aquaticis trachea primo in pectus deſcendit, tum rurſus aſcendit iterumque flexa in duos ramos diuiditur. Pulmo ex veſiculis ſpongioſis conſtat et dorſo tam p. 19.
pertinaciter adhaeret, vt vix extendi queat. Loco diaphragmatis nonnullae veſiculae membranoſae, poris inſtructae, in conſpectum veniunt, quae, aere repletae, eundem ad ventris longitudinem deducunt. Quiuis lobus duplici foramine inſtructus eſt, per quod aer in cauitatem abdominis intrat. Oeſophagus ſupra ſiniſtrum ventriculi orificium in burſam rugoſam, pluribus tuberculis inſtructam, ampliatur et ingluuies dicitur. Haec in auibus, breuiori collo inſtructis, medium pectoris occupat, in aliis autem ad latus colli flectitur. Quae ingluuie deſtituuntur, in iis infima pars oeſophagi copioſis glandulis obſita eſt. Ventriculus in aliis admodum carnoſus et craſſus, in aliis amplus admodum et tenuis et quaſi ſaccus membranoſus eſt vel ex vtrisque conſtat. Colon in omnibus deficit, coecum vero in quibusdam duplex eſt. Vaſa lactea deſunt; renes, ad dorſum vtrinque ſiti, ex contextu ramorum inaequalium conſtant humo-

remque ſuum in inteſtinum rectum effundunt. Teſtes ad dorſum ſub hepate deprehenduntur, quo in loco etiam ouaria in foeminis ſunt, quae ex ſubſtantia membranoſa et fibroſa conſtant, cui veſiculae racematim adhaerent. Sternum leue quoddam intus concauum extus conuexum os eſt, cuius medium ſepto diuiditur. Ductus biliarii a ventriculo valde diſtant, quorum ſinguli absque coniunctione in inteſtina ſe aperiunt. Sedimentum vrinae fluida parte copioſius eſt et cum excrementis ceu alba ſubſtantia eiicitur et ad formandam teſtam forte impenditur.

p. 27. Quod ad naturam auium pertinet, eae breuiori temporis ſpatio perfectiores fiunt, quam viuipara animalia, ad quam rem calor incubationis, dies noctesque communicatus, et cura parentum in cibando multum facere videtur. Maſculinum genus formoſitate vocisque ſuauitate ſequiorem ſexum ſuperat. Vocum varietates inſignes ſunt, ità vt aliae breues, longiores aliae inſtituant cantus.

Plurimae aues non niſi poſt annum pubeſcunt, licet etiam ſint, quae citius ſtatum iſtum attingant. Maſculinum genus dorſum foeminae aſcendit ſicque rem veneream exercet et breui admodum tempore ſe expedit. Aliae vnam tantum aliae plures foeminas eligunt, ita tamen, vt primam haud prius dimittant, quam incubare iſta inceperit. Coitu abſoluto nidos conſtruunt, in quibus mira varietas tum ratione ſtructurae, tum reſpectu materiae obſeruatur, quo verſus veſperam conſtructo altero die ouum iam in eo reperitur, certoque demum numero depoſito incubare incipiunt.

p. 48. Ouorum partes ſequentes reperies: putamen exterius ouum inueſtit, cui interius membranae adhaerent, ſub quibus albumen tenuius craſſiusue

atque

atque vitellus continentur. A vitello ad obtuſum non ſolum ſed ad acutum quoque oui angulum duo corpuſcula, paululum ſolidiora, producuntur, quae ex fibroſo contextu conflata chalaque; vocantur et humores in ſitu conſeruant. In vitello cicatricula conſpicitur, quae prima pulli ſtamina continet. Albumen, dum pullus adhuc includitur, ei nutrimento eſt, vitellus autem, pullo excluſo, intra inteſtina pulli reconditur, primisque poſt excluſionem diebus nutrimentum ſuppeditat.

Aues maiores; plus temporis quam minores in p. 54. ouis incubandis conſumunt. Omnes aues aquaticae atque eae etiam, quae maiores ſunt, oculis apertis, reliquae occluſis, excluduntur. Ex maſculino auium genere nonnullae incubationis officium in ſe ſuſcipiunt et, dum nidum ob famem ſitimque ad tempus relinquere coguntur foeminae, oua fouent. Aliae ex illo genere non quidem incubant, foeminis tamen alimenta praebent: aliae autem, vt anſeres, nihil prorſus in hac re praeſtant. Verum non omnes ad incubationem aptae ſunt aues, ideoque ſolis calori exponunt oua.

Pulli propria vi clauſtra rumpunt, pedes exten- p. 62. dunt ſicque collo reſiſtentiam pariunt, qua mediante rima in teſta oritur. Teſtae aliquibus particulis ſegregatis pullus magis ac magis ſe circumuoluit ſicque intra horam excluditur. Primo die nullo alimento iſte opus habet, altero autem parentes alimentum primo tenuius poſthac ſolidius adferunt, vnumque tantum alterumue quauis vice ſaturare queunt; hinc eae, quae plures pullos fouent, ſaepius reuolare iisque, quae adhuc eſuriunt, alimentum adferre coguntur. Neque ſic tamen vllum praetereunt eosque probe diſcernunt, qui alimento indigent: forte fames ſingularem vocis mutationem inducit, qua quiuis pullorum eſurientium ab altero, iam cibato, diſcernitur.

Parentes

Parentes praeterea pullos ita diſponunt, vt, podice ad nidi margines erecto, excrementa facilius ex eo remoueantur ſicque nidus purus ſemper ſeruetur. Quando demum pulli volare incipiunt, iſti quidem a parentibus non ſtatim deſeruntur, ſed in viuendi modo paululum quaſi inſtruuntur, donec tandem quisque ſibi ipſe conſulere valeat vel in alterum ſexum propenſio eum a parentum amore auocet.

Non omnes aues, quas in regionibus noſtris p. 65. videre licet, in iisdem ſemper manent, ſed aliae earum hyeme appropinquante ob defectum victus oculos noſtros effugiunt, aliae vero, frigus famemque magis tolerantes nobiſcum degunt. Licet autem varias auium ſpecies in regionibus noſtris deprehendamus, eas tamen omnes pro indigenis non habendas eſſe, ſtatuendum eſt. Quae itaque in terris noſtris pullos excludunt pennasque deponunt, pro indigenis, eas vero, hoc charactere non donatas, vt turdos, autumno tantum ad nos accedentes, pro peregrinis habendas eſſe Cl. Auctor autumat. Quod ad hirundinum hybernacula pertinet, Noſter a b. KLEINIO, quem in pluribus alias ſecutus eſt, diſcedit, aliamque ſententiam fouet. Statuit nimirum b. ille vir, hirundines, inprimis riparias, autumno accedente, ad arundineta ſe conferre et, arundinibus adhaerentes cum iisdem in aquam demergi, vere autem adeunte rurſus prodire; ad quam rem confirmandam varia documenta et teſtimonia, coram magiſtratibus propoſita, appoſuit ſicque in ſaluo iſtam rem eſſe putauit. Haecce quidem teſtimonia Noſter non negat, exinde vero, quod arundinibus adhaeſerint hirundines, hybernacula earum non probari poſſe, putat. Experimentum enim inſtituit filumque, gummi gutta tinctum pedi hirundinis domeſticae circumuoluit, quod anno ſequenti non mutatum ſecum iterum attulit; inde Noſter colligit, hirundinem

dinem aquae demerſam non fuiſſe. Colorem enim, dummodo minimo tempuſculo ſub aqua pes haeſiſſet, certo euanuiſſe, putat. Accedit et hoc, quod omnes aues reuertentes pingues pennisque nitidisſimis ad nos iterum accedant; quod non obſeruaremus, ſi victu deſtitutae ſomno ſepultae fuiſſent.

Indigenas praeterea aues in erraticas et migratorias Noſter diuidit, qua in re a b. KLEINIO iterum diſceſſum facere videtur. Ab hoc enim erraticae dicuntur, quae quotannis vere et aeſtate ob oculos noſtros ſunt et, hyeme accedente, regiones noſtras deſerunt, migratoriae vero vocantur, quae vel aliunde ad nos veniunt; autumno vlterius migrantes, vel aeſtate nobis familiares autumno auolant aut elementum mutant. Noſtro autem indigenae aues vel erraticae vel migratoriae ſunt; illae vocantur, quae ad vicina tantum loca migrant, hae vero, quae ſimul multas regiones transuolant et ad calidiores ſe conferunt. Quae vero Cel. KLEINIO migratoriae ſunt, Noſtro peregrinae vocantur, qua in re nec a veritate multum recedere videtur. p. 71.

Vernationem auium a ſiccitate pennarum prouenire huiusque cauſam in aeris calidi frigidiue viciſſitudine quaerendam eſſe, Noſter aſſerit, inſimulque vitalem auium calorem ſummum caloris animalis gradum eſſe autumat, idque ex eo, quod ſubito coeant volentque et ſemina duriſſima facile concoquant aeremque ſummum frigidiſſimumque perferant, probare ſtudet: naturae vero inſtinctum ab auis cuiuscunque ſtructura deducit indeque declarat. Ita pica glandes quercinas colligit inque fruticetis abſcondit; rapaces aues vario modo inuadunt; ciconia tectum, quod inhabitauit, hirundo nidum ſuum adhuc cognitum habet etc. p. 72.

Quod

p. 79. Quod ad vſum tandem ſpectat, quem ex auibus capit homo, iſte multifarius eſt, auesque vel nos tantum delectant, vel etiam multa nobis ſuppeditant, quae vel indigentiam tollunt vel vitae noſtrae rationem commodiorem reddunt. Gene-
p. 85. rali auium conſideratione abſoluta ad ſpecialem earundem hiſtoriam Noſter accedit easque ſecundum characteres generales et ſpeciales conſiderat. In generali quidem diſpoſitione b. KLEINIVM, vt monuimus, Noſter ſecutus aues ſecundum pedum roſtriue ſtructuram conſiderat, in coordinandis vero generibus et ſpeciebus aliter paulo Noſtrum proceſſiſſe, animaduertimus. Ita ſecundum KLEINIVM ſeptem conſtituuntur auium familiae, quarum quaelibet ſua genera ſuasque ſpecies habet. Noſter autem duas tantum familias conſtituere videtur auesque in eas, quae digitis liberis gaudent, rurſusque in eas, quae digitos, membrana coniunctos habent, diuidit, vtrasque dein in ordines, claſſes, genera, ſpecies aliosque minores ordines diſtribuit. Quod vero ad ſpeciales auium characteres atque ad hiſtorias, quas de auibus quibusdam hinc inde Noſter exhibuit, pertinet, nihil nobis, cum breuibus ibi ſe expediat, excerpere licuit.

XV. Me-

XV.

Medical Facts and Experiments. By FRANCIS HOME, M. D. Fellow of the Royal College of Phyſicians in Edinburgh. London, printed for A. Millar in the Strand, and A. Kincaid and I. Bell, at Edinburgh. MDCCLIX. 8 mai. pl. 18½.

i. e.

Facta et experimenta medica Auctore FRANCISCO HOME.

In tres *partes* omnem hunc librum diſpeſcuit Cl. Auctor, quarum *prima*, quosdam *epidemicos*, deſcribit morbos, qui in vltimo bello Anglos inter et Gallos ab anno huius ſeculi quadrageſimo ſecundo ad octauum vsque geſto, Anglorum deuaſtauerant exercitum et quos obſeruandi ille habuit opportunitatem, quum medici caſtrenſis nomine ipſum Anglorum caſtra ſequutum fuiſſe ex ipſo libro intelligamus. Illos iam quidem a Cl. PRINGLE in egregio ipſius libro, *obſeruations on the diſeaſes of the army*, expoſitos legimus: ex omnibus tamen illis morbis eos tantum ſelectos ſe nunc tradere modeſte omnino affirmat *Noſter*, quos vel omiſerit, vel certe non ſeparatim pertractauerit Cl. PRINGLE. In nouem igitur *ſectionibus* totidem quoque a ſe diuerſos morbos belli tempore obſeruatos proponit, nimirum: *febrim* Anglis *lentam* vel quoque *neruoſam* dici ſolitam: aliam porro continuam *remittentem* annorum 1743 et 1748: *lumbaginem*: *gangraenae* ſingulare quoddam genus: *variolas*: *febrem miliarem*: dirum iſtud *coryzae malignae* vel narium potius oſſium cariei genus, equis p. 1-121.

adeo

adeo funeſtum, *the glanders* ab Anglis, *la morve* a Gallis appellatum: *vulnera* tandem *ſclopeto illata.*

p. 121-217. *Altera* libri *pars* ſeptemdecim *ſectionibus* abſoluitur, quarum ſingulae inſignem de morbis obſeruationum, in ſuas claſſes ſecundum ſingulos titulos redactarum, copiam continent, quippe quae ſunt *de pulſu; arthritide;* variis *tumoribus hydropicis; febre remittente; dyſenteria* et *tuſſi* periodicis; *aſthmate humido, hepatis abſceſſu* et *eryſipelate; calculo* in vretere haerente; *renum abſceſſu; pulmonum vlcere cum ſpasmis hyſtericis; tabe; hectica febre; teſticulorum inflammatione;* graui *in caput lapſu; caluae fractura; cerebri inflammatione* et tandem *de febre lenta vel neruoſa.* Harum quidem obſeruationum plurimae breues, clare tamen atque diſtincte ſatis et ita exaratae ſunt, vt fere dubitemus, num Cl. Auctoris ſingularem, nec vbiuis obuium, candorem potius, an rerum medicarum cognitionem, laudare debeamus. Morborum enim hiſtoriam exacte non ſolum deſcripſit; ſed tales inprimis, quos enarraret, caſus ſelegit, qui funeſtum habuerant euentum. Quod eas nimirum ob cauſſas a ſe factum eſſe bene monet in praefamine operi praemiſſo, quoniam ipſius morbi inde perfectior fiat idea atque cognitio; maior quoque ab illis expectari poſſit vtilitas, ac illi caſus ſuppeditent, qui felicem habuerint exitum, quum diſcamus inde, quam fallax eſſe poſſit iudicium in applicandis regulis, quae nimis forte paucis innitantur obſeruationibus; quoniam porro nos doceant, qui ſatis cauti ſimus in facienda prognoſi neque nimium de bono morbi euentu ſperemus vel aegris promittamus; et quia tandem Auctori plus concilient fidei, ac ſi optima quaeuis de ſuis curationibus enarrauerit.

p. 217-288. *Tertia* denique libri *pars* quatuor ſectionibus non nulla continet *experimenta* de variis rebus medicis capta, nimirum: *de proportionata ſanguinis velocitate*

velocitate corporisque humani calore in morbis, ſiue de ratione, quam calor ad ſanguinis habere dicatur velocitatem, eaque num vera ſit? *De nitro murali: De perſpiratione* ſic dicta *inſenſibili Edinburgi* obſeruata: *De morbillorum* denique *inſitione.* Generali nunc de hoc libro tradita expoſitione, praecipua illi adhuc ſubiungere placet ex illo depromta.

In Flandria, Gandaui inprimis, ſub finem p. 1. ſeptembris anno 1742 per quatuor menſes inſignem ſtragem inter copias anglicas fecit epidemica febris, a ſymptomatum indole *lenta* Cl. Auctori dicta. Mentis potiſſimum alacritatis imminutio obſeruabatur in aegris, adeo vt admodum tarde ad quaeſita reſpondentes, praecipuum inde morbi ſignum diagnoſticum praeberent. Senſim ſenſimque ſubſequebatur ſtupor ſine dolore capitis ſaepe per quatuordecim dies et vltra perdurans. Siccitas cutis atque linguae, reſpiratio citatior ſaepius absque pulſus aucta celeritate, vox debilis atque ſubmiſſa, inſignis dolor circa ventriculi regionem, atque diarrhoea, reliquis frequentiora erant ſymptomata. Interdum, ſed rarius, breui dierum ſpatio iudicabatur morbus per vrinam atque ſudorem; ſaepius autem per quinque vel ſex adeo ſeptimanas perſiſtens, lente tantum absque conſpicua criſi ſoluebatur, lingua humidiore facta; quod nimirum ſignum omnium erat primum, ſanitatis ſpem faciens. Sudor, ſi p. 5. prolicere eum liceret, praeſertim ſi eum in finem pediluuium cum aqua calida verſus noctem quotidie adhiberetur, optimum morbo afferre videbatur leuamen. In tribus hoc morbo defunctorum cadaueribus hepatis pars concaua plumbei erat coloris; in vno ventriculus et inteſtina inflammata, in altero, in quo adhuc aegro mitior tantum capitis dolor et paulo ante mortem leues modo adfuerant conuulſiones, cerebri ſinus purulenta materie repleti inueniebantur. Vnum quidem moo caput inci-

dendi habuit opportunitatem; morbi tamen cauſſam proximam in encephalo vix non ſemper ſuam habuiſſe ſedem putat Cl. Auctor. Omnibus cauſis, quae ad gignendum hunc morbum aliquid conferre poſſe viſae fuerant, inueſtigatis, aerem tantum
p. 14. humidum neque ſatis elaſticum ceu fere vnicam eius fuiſſe cauſſam confirmat.

p. 27. In alia epidemica febre continua remittente icterum in omnibus fere aegris, hepar tamen in cadaueribus iſto morbo extinctorum ſemper ſanum obſeruauit; vnde colligit, maiorem bilis copiam, quam in hepate ſecerni potuerit, in ipſo ſanguine
p. 33. praeparatam fuiſſe. Ratione temporis, quo morbi caſtrenſes a praecipuis ſuis cauſſis, aere nimirum calido, vel frigido, vel humido, orti ſeſe exſerunt, haec illos praeſertim intercedit differentia, quod aeſtum illico, humiditatem breui temporis ſpatio, frigus autem poſt vnum alterumque diem inſequantur effectus morboſi. Inde a vero propius eſſe Auctor exiſtimare velit, in priore caſu ſubtiles quaſdam particulas a corpore forſan recipi ſanguiniſque inde circulum turbari; in vltimo autem quaſdam in illo retineri, quae deinde per moram
p. 38. ſenſim auctae effectum ſuum prodant. Quanta ſaepius epidemici alicuius contagii ſit vis, ex hiſtoria febris alicuius remittentis anomalae apparet, quippe quae omnium epidemicarum frequentiſſima et aliquam prae reliquis legionem menſe iulio adeo aggreſſa fuit, vt triginta tantum milites ab ea liberi manerent. Continuam ab initio aemulata fuit ſaepius in intermittentem, neque tamen raro ex hac iterum in illam abeuntem. Quamuis etiam haud multum periculi cum ipſa videretur eſſe coniunctum, ita, vt ex 140 aegris, quorum curam habebat Cl. Auctor, ſeptem modo perirent; funeſta tamen in his aegris ſuperuenientia ſymptomata, tam cito tamque praeter omnem opinionem ingruebant,

bant, vt illi vel ab ipſo morbo iam per aliquot dies p. 43.
prorſus liberi, vel certe veram paroxyſmorum intermiſſionem experti, ſubito inciderent in ſenſuum aliquem ſtuporem, ingemiſcerent absque vocis vſu, deglutiendi facultatem fere amitterent, aluum deponerent inſcii tandemque frigidis ſudoribus diffuſi exſpirarent. Quum in non nullis aegris p. 53.
ad delirium vsque aſcenderet calor febrilis ſaepiusque accederet diarrhoea; in capite atque inteſtinis ſedem ſuam habere morbum Cl. Auctor exiſtimabat: quum vero cadauer alicuius aegrae aperiret, quae iam per quinque dies a morbo liberata ſine remanente aliquo ſymptomate, praeter diarrhoeam, ſubito tamen in ſtatum iamiam deſcriptum illapſa et, eodem adhuc die extincta fuerat: ne minima quidem inflammationis ſigna vel in capite, vel in primis viis inueniebat; ex quo colligit, in fluidis tantum morbi mortisque cauſſam haeſiſſe. Ex aëris tamen humiditate et hunc morbum ſuam p. 63.
cepiſſe originem, inde liquet, quod cum aëre humido facto non ſolum illico ingreſſus, ſed pro augmento etiam vel decremento illius ſimul vel auctus, vel imminutus fuerit.

Sub initium anni 1743 lumbago rheumatica p. 76.
dicta propter ſui frequentiam inter epidemicos morbos referenda fuit. Cauſſam iſtius proximam vel in inflammatione, vel rheumatica obſtructione ligamentorum ſpinae dorſi vel muſculi transuerſalis dorſi quaerendam eſſe Cl. Auctor arbitratur. Quam maxime contra hunc morbum commendat is aliquod linimentum ex pulueris ſeminis cymini et chamomeli drachmis duobus, ſale cornu cerui drachma ſemis, camphorae in duabus drachmis ſpiritus terebinthinae ſolutae ſcrupulum vnum, vnguenti ſambucini vnciis tribus et ſaponis nigri communis vncia vna compoſitum.

p. 81. Militum haud paucos, per continuam febrem remittentem viribus exhauſtos, ſingulari iſto gangraenae genere affici obſeruauit Cl. Auctor, quod alias aetate confectis ſolet eſſe familiare. Pedes horumque digiti ab initio fiebant rigidi ſenſusque expertes, deinque oedematis in modum intumeſcere incipiebant, ipſa quidem cute ſana permanente viſa, colore eius tantum mutato, ac ſi acubus eſſet puncta, tandem vero in liuidum conuerſo. Ea vero ſi incideretur, ſubiacens membrana adipoſa deprehendebatur prorſus ſiderata. Lente quoque procedebat malum, adeo vt digiti pedesque per duas tresue iam ſeptimanas gangraena eſſent affecti ante, quam vlterius ſerperet; ſaepius quoque altius, atque ad celluloſum vsque contextum, non penetrabat.

p. 89. Quam vehementer noceant in vitae regimine commiſſi errores tum temporis potiſſimum, quando quis morbi alicuius contagiò corripiatur, memoratu ſatis digno exemplo Cl. Auctor illuſtrat. Ab alio aegro variolis benignis decumbente morbi huius contagium ſuſcepiſſe videbatur miles quidam huc vsque ſanus. Ab itinere, quod facere coactus erat, non ſolum valde defatigatus, ſed ab humida quoque tempeſtate madidus, perſpiratione inde ſuppreſſa, redibat in ſtatiua, multum ſpirituoſi potus in ſe ingurgitans. Paulo poſt in febrim varioloſam incidens, adeo grauiter decumbebat, vt, licet varioloſae maculae tertio iam die prodire coeperint, tamen eodem die exſpiraret, oculis faucibusque inflammatis, lingua atra facta, ſanguine per tusſim copioſe reiecto, aliisque ſymptomatis, ſanguinem in putridam diatheſin conuerſum denotantibus.

p. 97. Miliaris febris anno 1744 medio hiemis tempore ſaeuiens, valde exitioſa fuit Gandaui. Ex iis, quibus venae ſecta fuerat, ne vnus quidem euaſit.

Vti

Vti in omnibus aliis morbis exanthematicis, ſic et in hocce morbo, ſudores, praeſertim ſi medicamentis excitati fuerint, non iuuaſſe, ſed nocuiſſe, ſua quoque experientia confirmat Cl. Auctor.

Nec equos attentione ſua indignos eſſe *Noſter* iudicans, in diriſſimum, cui illi ſaepius ſolent eſſe obnoxii, inueſtigauit morbum, quem Angli *the glanders*, appellant. Anno iam 1744 in iſtum inquirens, detexit idem, quod multis annis poſt celebris ille Gallorum hippiatrus, LE FOSSE, inuenit et publici vſus fecit. In carie enim ſuperioris narium oſſis earumque membranae internae vlcere et cauſſam et ſedem mali, originem vero in eiusdem membranae inflammatione quaerit. Morbum autem facilius praeuerti, quam curari poſſe monet, ſi nimirum inflammatio iſta, quam primum per ſternutationem fuerit obſeruata, per venaeſectionem, remedia refrigerentia et emollientes ex aqua calida naribus admiſſos vapores tollatur. Quo autem modo ipſa caries auferri forte poſſe exiſtimat, inſimul exponit. p. 99.

Inter alia, quae de vulneribus ſclopetorum vi illatis habet, obſeruata, conſilium, quod olim dederat LE DRAN, per experientiam quoque confirmari *Noſter* monet, ex quo nimirum ad auertendam maiorem inflammationem ſtatim orbam vulnerum, ſimul ac prima iam vice deligentur, ſcarifare, vel ea ipſa, ſi grauis metuenda ſit inflammatio, ampliare debet chirurgus. p. 109. Satis breuem caſus alicuius memoratu quidem digniſſimi viſi mentionem iniectam hic loci legimus, cuius vero ampliorem omnino deſideramus expoſitionem. Aliquis ſcilicet miles ita laeſus fuiſſe dicitur, vt lien extra abdomen propenderit, quem inſuper propter inſequentis noctis frigidam temperiem corripuerit inflammatio, aduerſus quam etiam applicandi fotus nulla adfuerit opportunitas. Inſequenti igitur die, p. 111.

ad praecauendum ſphacelum, a medentibus illud captum fuiſſe, *Noſter* ait conſilium, vt praeſcinderent illud viſcus. Qua operatione a chirurgo dexterrimo, WILSON, feliciter praeſtita, vulneratum priſtinae ſanitati ita reſtitutum fuiſſe aſſerit, vt ipſum poſt aliquod tempus ſanum viderit, neque maiorem in eo erga femininum ſexum obſeruarit propenſionem.

p. 145. Singularis porro alicuius tuſſis periodicae et in modum febris tertianae duplicatae redeuntis exemplum hic loci enarratum legimus. Febris enim paroxyſmum ab initio aegrum inuadentem, bidui vero ſpatio ſublatum, ſequebatur pertinax tuſſis, quae ſingulis noctibus ſtato tempore reuertebatur et per horam cum dimidia perdurabat, alternis vero diebus ſibi reſpondentibus ſemper grauior, omnibus aliis remediis, praeter tincturam corticis peruuiani, qua tandem oppugnata fuerat, obedire neſcia.

p. 178. Ex hiſtoria quadam cranii, per infelicem caſum ex equo in lapidem modicae quantitatis fiſſi, illud potiſſimum annotari debere videtur, quod non ſolum plures atque valde longae cranii fiſſurae, poſt mortem in ſuſcepta inueſtigatione anatomica tantum repertae, nullo ſtudio nullaque arte a chirurgis vel etiam dexterrimis inueniri potuerint in aegro, ſed etiam, id, quod fidem fere ſuperare videtur, quod linteo, ſiniſtrae auri, multum ſanguinis effundenti, a chirurgo ſtatim intruſo et poſt aliquot horas extracto, ſatis inſignis cerebri particula cum ſanguine grumoſo inhaeſerit. Quum itaque poſt mortem nono die inſecutam, accuratius in laeſum cranium inquirerent medentes, praeter alias fiſſuras plures ſingularem aliquam detegebant in oſſe temporum, ita, vt, diffracto oſſe petroſo atque proceſſu maſtoideo, libera cerebro pateret via in meatum auditorium externum, tympani membranae parua modo

parte

parte remanente, auditus vero oſſiculis plane nullis repertis.

Ex nonnullis, quos enarrat, caſibus febris lentae p. 213. vel neruoſae dictae veri ſimillimum eſſe Cl. Auctor colligit et, prouti ſupra iam dictum fuit, vlterius confirmat, ipſius morbi cauſſam proximam in glandulosa, quam appellat, cerebri parte ſuam habere ſedem indeque pulſum debilem morbo iſti familiarem oriri; a vero inſuper propius eſſe, album illud vrinae ſedimentum in non nullis aegris obuium et ſalutare, a leui quadam cerebri ſuppuratione, materie iſta purulenta ad vias vrinarias delata, prouenire. Contra euacuantium remediorum vix non omnium vſum recte, ni fallimur, diſputat Cl. Auctor, veſicatoria tantum et vinum cum aliis analepticis commendans.

Vt inueſtigaret, quanam in ratione calor febrilis p. 217. ſit ad pulſus auctam celeritatem, varia ideo fecit tentamina in aegris tum intermittentibus tum remittentibus febribus laborantibus, morbis quippe talibus, in quibus et maxima et magis ſubitanea in pulſu obſeruari poteſt mutatio. Poſtquam enim thermometrum ad ſcalam Fahrenheitianam accurate confectum, per quindecim aut viginti horae minutias ſub axilla aegri tenuerat, gradum caloris in corpore aegroto aeque, ac illius atmoſphaerici in camera obuium, et pulſus ictuum in horae minutia obſeruatorum numerum, pro diuerſis morbi temporibus, ſimul annotauit; ex quibus nunc ex- p. 227. perimentis omnibus infert, inter pulſus ictuum frequentiam vel auctam vel imminutam atque calorem inſequutum certam aliquam haud dari proportionem, ideoque calorem a ſola pulſus frequentia non dependere; aegrum porro de nullo fere ſymptomate conqueri, quin potius, quod bene ſatis ſeſe habeat, ſibi perſuadere, febre tamen ſatis graui decumbere et ab ipſa morte propiorem eſſe poſſe,

 prout

prout obſeruare liceat in febribus neruoſis; corticem inſuper peruuianum calorem naturalem augere pulſumque reddere fortiorem; per frigoris denique tempus in febris intermittentis paroxysmo calorem inſigniter augeri; licet SCHWENKIVS in *haematologia* ſua contrarium aſſerat, quippe qui experimenta in paroxysmo tantum incipiente inſtituiſſe videatur.

p. 228. Nonnulla etiam experimenta *Noſter* cepit *de nitro murali* dicto, ſiue ſalino aliquo concreto ex muris, quibus tectorium aliquod opus inductum erat, aedificii, in quo lutum colligebatur, depromto. Illa tamen aeque ac ſequentia, *de inſenſibilis perſpirationis* in Scotia obſeruata quantitate, quo ea iam repetemus, ampla nimis ſunt: interim illud tantum adducimus, quod veri nitri nomine illud concretum inſigniri nequeat, ſed alcali foſſile cum pauco ſale volatili alcalico remixtum dici poſſit.

p. 253. In vltima tandem ſectione partis libri tertiae nouam Cl Auctor proponit methodum, qua morbillos, variolarum in modum, inſeri funeſtaque ideo ipſorum ſymptomata praecaueri poſſe putat.
p. 268. Altero itaque ab eorum eruptione die partem cutis, quam occupabant morbillorum plurimi in ſuperficie ipſius tantum incidebant et exſtillantem ſanguinem goſſypii particula excipiebat, quam deinde in aliud vulnuſculum vtrique brachio illius hominis inflictum, cui inſerere volebat morbillorum miasma, immittebat, poſtquam antea ſanguinem ex nouo hoc vulnuſculo profluere ſiuerat, ne ab hoc nimirum applicatus morbilloſus ſanguis ſimul elueretur, goſſypii deinde particula per tres dies in ipſo vulnere relicta. Ex pluribus igiter tentamini-
p. 285. bus ſequentia annotauit. Sanguinem ſcilicet, ex aegro morbillis decumbente iam deſcripto modo depromtum, ſufficientem continere vim efficiendi morbillos, eam vero cito amittere, ſi vel libero

aeri

aëri expoſitus, vel in vaſe licet bene occluſo per aliquot ſeptimanas aſſeruatus fuerit: inoculato in aegro circa ſextum ab operatione diem vt plurimum euolutum eſſe miasma morbumque ordiri, inoculatorum porro morbillorum, vti variolarum inſitarum, morbum multo mitiorem eſſe ratione febris omniumque ſymptomatum, ac naturalium pathognomica morbillorum imminentium ſigna, oculorum nimirum illacrymationem et frequentiorem ſternutationem in vtroque morbo, et naturali et artificioſo, apparere ſimili modo; eam forte ob rationem, quod morbilloſum miasma acris ſalinae cuiusdam naturae ſit ideoque potius cum harum partium, quam aliarum, humoribus eo adductis ibique ſecretis, coire: tuſſim vero potiſſimum aliis naturali via aegrotantibus adeo familiarem ſapiusque fatalem, in artificialibus aegris fere prorſus abeſſe; cuius phaenomeni cauſſam hanc eſſe *Noſter* exiſtimat, quod naturales morbilli per miasma in aëre volitans a pulmonibus exceptum oriantur ideoque in cadaueribus ab hoc morbo extinctis pulmones morbillis vel certe maculis inflammatoriis obſeſſi inueniri ſoleant: inoculatos inſuper morbillos ſapius per diarrhoeam iudicari: artificiales quoque morbillos alium morbum exanthematicum per tres iam menſes perſiſtentem vna ſuſtuliſſe: vulnuſcula tandem cuti hunc in finem inciſa, ſub initium febris eruptiuae dictae non eo modo, ac in variolis inoculatis, denuo inflammari ac in ſuppurationem abire. In duodecim infantibus diuerſae aetatis, tamen non vltra tredecim annos natis, non nullis quoque infra ſecundum aetatis annum, cepit experimenta Cl. Auctor, ex quibus nouem experti fuiſſe morbum videntur per viam artis, vnus morbum paſſus quidem ſed poſt aliquod tempus in eundem relapſus ex materie, vti Cl. Auctor arbitratur, nondum ſatis euoluta, alius morbo quidem correptus, ſed naturali potius modo iam ante inſitionem

Ii 5 infectus

infectus creditus, duo autem prorſus a morbo liberi manſerunt, quorum tamen vnum iam olim naturaliter ſuperaſſe morbum, deinde *Noſter* percepit. Quamuis interim haec a Cl. Auctore tentata et enarrata experimenta felicem habuerint euentum, vlteriori tamen experientiae noui huius inuenti dignitas atque vtilitas relinquenda eſſe videtur.

XVI.

A Treatiſe on the three different Digeſtions and Diſcharges of the Human Body. And the Diſeaſes of their principal organs. By EDWARD BARRY M. D. F. R. S. Profeſſor of Phyſic in the Vniuerſity of Dublin, and Phyſician General to his Majeſty's Army in Ireland. London 1759. printed for A Millar. 8 mai. Alph. 1 pl. 5.

h. e.

Tractatus de tribus diuerſis digeſtionibus et excretionibus corporis humani et morbis praecipuorum, huc ſpectantium, organorum Auctore EDVARDO BARRY.

Ante triginta, et quod excurrit, annos Cl. Auctor tractatum de phthiſi pulmonali ediderat, et in illo de nutritione, nec non de fabrica et vſu pulmonum diſſeruerat *, in praeſenti igitur tractatione varia ibidem propoſita partim repetiit, partim cor-

* Editio ſecunda et auctior, quam conferre potuimus, Londini 1727 in 8 mai. prodiit. A Treatiſe on a Conſumption of the Lungs with a previous Account of Nutrition and of the Structure and Uſe of the Lungs by EDWARD BARRY, M. D.

correxit et, inſperſis variorum ſcriptorum recentiorum aſſertis, nonnulla therapiae capita ex praemiſſis phyſiologico - pathologicis illuſtrare anniſus eſt. Tres primarias digeſtiones humorum corporis animalis praecipue conſiderat, primam nimirum, quae in primis viis abſoluitur, ſecundam, quae in pulmonibus et ſanguinis circulo fit, tertiam, quae in ſeri et lymphae vlteriori praeparatione conſiſtit. Vti vero primae digeſtioni excretionem foecum aluinarum iungit, ſic cum ſecunda vrinae et cum tertia perſpirationis et ſudoris excretionem connectit, ex quibus ratio tituli, huic libro praefixi, patet. Nos, pleniorem ideam operis exhibituri, ſummam capitum breuiter indicabimus, inſperſis paſſim nonnullis annotationibus.

Prima digeſtio in *capite primo* conſideratur et p. 1.
actio ventriculi et inteſtinorum in alimenta et potulenta maſticata et deglutita ſuccincte explicatur.
Calori, per varias cauſas excitato alii, alii diſſol- p. 20.
venti cuidam fermento, alii mechanicae actioni digeſtionem in ventriculo adſcribunt; Noſter omnes has cauſas coniunctas, ſed ſuo modo limitatas aſſumit, et oſtendit nec fermento actiuo acri, nec vi muſculari digeſtionem ciborum in ventriculo adſcribi poſſe, cum vera ſolidi diſſolutio non ſemper locum habeat, ſed tantum attenuatio et extractio. Hac data occaſione monet, quantum fallantur mechanici, ſi in viribus ventriculi et cordis etiam menſurandis inter vim abſolutam, quam exſerere poſſunt, et inter vim, quam actu exercent, et quae pro ratione reſiſtentiarum varia eſt, non ſatis diſtinguunt.

Venas meſeraicas quoque humores ex inteſtinis p. 29.
reſorbere cum multis aliis aſſumit, et aquas chalybeatas et ſuccos lacteos amaros plantarum quarundam reſoluentium in corrigenda hepatis obſtructione ſine hac reſorptione aſſumpta, non adeo efficaces

efficaces fore, oſtendit, cum particulae per chyli
p. 31. vias maxime mutentur. Non ſuctione tantum, ſed preſſione inteſtinorum etiam reſorptionem chyli praeſtari aſſerit, et huic preſſioni quoque adſcribit, quod homines robuſti ad alui ſiccitatem procliues ſint, cum nimirum chylum copioſius in abſorbentia vaſa premant, addit etiam in his reſorberi tenuiſſimam foecum aluinarum partem, quae vt volatilis ſpiritus ad vigorem machinae totius multum confert, et monet ſimul imbecilles homines, purgantibus medicamentis debilitatos, ex hac analogia aſſumta aſſa foetida et volatilibus medicamentis refici.

p. 35. In ſectione huic capiti adiuncta de appetitu et digeſtione deprauatis agitur. Cauſae famis, et eidem oppoſiti defectus appetitus, ſuccincte indicantur et remedia ſubiunguntur: v. c. in viſcidi copia, vbi roborantia et aromatica medicamenta non conueniunt, praeter amara et aloetica, purgantia, etiam emetica conducunt, his enim non ſolum euacuatio viſcidi et ſtimulus fibrarum relaxatarum praeſtatur, ſed etiam ſecretio bilis adiuuatur. Emetica autem ieiuno ventriculo dari iubet exhibita ad operationem promouendam larga copia infuſi chamomillae, magis tamen commendat infuſi calidi armoraciae moderatos hauſtus, quod viſcidum attenuat illudque quaſi in aquam reſoluit, et ventriculum volatili ſuo ſale ſtimulat et roborat.

p. 53. In *capite ſecundo* de ſecunda digeſtione agitur, quae non tantum mutationem chyli in ſanguinem, per pulmones praecipue praeſtitam, ſed et ſanguinis in tenuiorem humorem, quem ille ſerum dicit,
p. 59. inuoluit. Tempore igitur, et ratione huius digeſtionis definita, in ſectione addita de tenacitate ſanguinis agit. Minime vero de cruore, ſed de ſeroſa ſanguinis parte, per calorem in inflammatoriis nimirum febribus coagulata differit; diſtinguit itaque inter hoc coagulum et inter lentorem

ſanguinis

ſanguinis a languida circulatione oriundum, et alkalina volatilia medicamenta, quae in hoc caſu forte vtilia eſſe poſſent, in illo maxime noxia iudicat, cum motum ſolidorum et ita calorem quoque intendant. Serum tandem in putrida diſſolutione non coagulari monet.

Caput tertium de vrina et morbis ſecundae excretionis agit. Cruda nimirum eſt vrina, quae ante primam digeſtionem, vt decet, abſolutam emittitur, hac vero et ſecunda finita, bene cocta apparet; acrior redditur, ſi ſerum non recenter elaboratum, ſed diuturna circulatione acrius redditum, ad vrinae vias ducitur, et inde ſigna ex vrina in variis morbis deduci poſſe declarat. p. 67.

In ſectionibus additis varios morbos, qui vrinam concernunt, ſubiungit. In prima nimirum de geneſi calculi agit et oſtendit, eos, qui obſtructionibus aluinis laborant, ad geneſin calculi magis diſpoſitos eſſe, cum, priori excretione non ſuccedente, ſecunda multas particulas noxias non ſubigendas ſuſcipiat. Cruda quidem vrina, quae magis aquoſa eſt, geneſin calculi vix efficit, ſerum tamen non rite praeparatum in vitae ſedentariae deditis, et ex viſcido laborantibus particulas terreſtres copioſas obtinet, quae oleoſis iunctae calculos albos vix duros, ſed friabiles efficiunt, in his oleoſae partes leuiores ſunt, denſius vero et ſubtile redditum oleum in corporibus robuſtis exercitatis duriores reddit calculoſas concretiones, ex qua differentia quoque medicamentorum calculum ſoluentium efficacia diiudicanda eſt. p. 71.

In ſecunda ſectione vrinam in excretione ſua, inprimis per calculos, impeditam conſiderat, in tertia vero de diabetis differentiis diſſerit Cl. Auctor. Primam huius mali ſpeciem cum diarrhoea comparat, et chylum nondum ſatis ſubactum per relaxatos tubulos renales transferri oſtendit; ſecundam p. 84.

ab

ab augmento renum per calculos obſtructorum deducit, vbi nimirum tubuli non compreſſi vrinam largius ſecernunt; tertiam a vitio bilis non rite ſe et excretae et nimiam ſanguinis diſſolutionem et vrinam largiorem efficiente declarat; quartam neruoſam ſeu ſpaſticam dicit, quae vrinam albam copioſam et inſipidam ſiſtit, auxilia his vitiis tollendis idonea ſimul expoſita inueniuntur.

p. 91. Antequam ad digeſtionem tertiam et mutationem inde declarandam progreditur Noſter, de natura animalium et vegetabilium in *capite quarto* diſſerit. Vegetabilem victum hominibus conuenire ex inteſtinorum fabrica concludit, cum animalia graminiuora longum, varie conuolutum et pluribus rugis inſtructum canalem inteſtinorum habeant; carniuora breuiorem, minus circumuolutum et paucioribus rugis inſtructum. Procliuitas humorum animalium, qui per ſe nec alcalinae, nec acidae indolis ſunt, in putredinem victum vegetabilem quoque expoſcit. Hac occaſione de varia putredinis euolutione in hominibus et ea per alimenta, potulenta et condimenta praecauenda proponuntur, quae ad diaetam in vario vitae genere et in morbis acutis et chronicis imperandam applicari poſſunt.

p. 114. *Caput quintum* tertiam digeſtionem deſcribit, quae in continua elaboratione ſeri in humorem lymphaticum ſubtiliorem per vlteriorem progreſſum in ſeriebus vaſorum tenuiorum praeſtita conſiſtit, et quam mutationem per obſeruata nutritionis pulli in ouo illuſtrat, et in duabus ſectionibus et nutritionis rationem et fluidi neruei indolem et morbos declarat.

p. 127. In nutritione praeſtanda canales et elongantur et diſtenduntur et corpus eo vsque incrementa capit, quousque cordis vis moderata ratione reſiſtentias in minimis ſuperat. Adulti in aequilibrio nutritionis conſiſtunt, ſenes vero decreſcunt, cum reſi-

ſtentia

ſtentia vaſorum maior ſit, quam vis cordis et ita ſucceſſiua quaſi quies vsque ad mortem naturalem inducitur. Terrea baſis recipit glutinoſum coniungens et fluidum tenuiſſimum, quod per ſolidas quoque partes tranſit, easque ſuo modo humectat, et robur conſeruat; niſi enim hoc eſſet, ſenilis fibra exſiccata minus reſiſteret, quam infantis. Nutritio autem non tantum in varia corporis conſtitutione, aetate et vitae genere, ſed et in diuerſis partibus corporis illius eiusdemque variat, cum humores non vbique aequali celeritate moueantur, nec ideo ſimili modo elaborentur; hinc etiam declaratur, quantum ſomnus nutritioni faueat. In fluidi neruei conſideratione Cl. Auctor eius exiſten- p. 152. tiam probat et contra illos defendit, qui vibrationes neruorum aſſumunt, tandemque praecipuos quosdam huius fluidi effectus in actionibus corporis recenſet.

Caput ſextum perſpirationem et morbos tertiae p. 167. digeſtionis et excretionis conſiderat. Perſpiratio enim inſenſibilis poſt vlteriorem humorum elaborationem perficitur, et ratione quantitatis et qualitatis indolem humorum reliquorum in corpore definit; hi enim ſi boni ſunt et augentur, plethoram ſiſtunt, ſi imminuuntur, atrophiam inducunt, ſi qualitate peccant, cachexiae cauſae ſunt. Si nunc, ſecunda digeſtione finita, tertia, vt decet, ſuccedit, perſpiratio libera eſt, et corpus leue et ad actiones aptum deprehenditur. Tertia digeſtione imperfecta, perſpiratio et cruda et parca eſt, ſi rite abſoluitur, bene coctam perſpirationem ſiſtit; haec tamen ſi ſubito reprimitur, peiores effectus ſequuntur, in priori ſtatu lentae tantum congeſtiones, in altero inflammationes excitantur; illae largiore vrinae excretione, hae ſenſibili magis perſpiratione corriguntur; ex qua re criſes et in ſano ſtatu et in morbis variis

euenien-

euenientes diiudicari poſſunt. Ex his etiam Noſter externam et internam perſpirationem comparat exanthematum in cute oriundorum rationem deducit, et dignitatem perſpirationis a SANCTORIO accuratius expoſitae et ad reliquas corporis actiones et excretiones accommodatae declarat.

p. 182. In ſectione huic capiti annexa de arthritide fuſius agit. Cum haud raro defectus vltimae digeſtionis et excretionis indigeſtos humores ad articulos deponat, cauſſas et differentias morbi, nec non mutationes et metaſtaſes varie obſeruatas egregie explicat et medendi rationem ex morbi natura et humorum deprauatione deducit, aptaque remedia proponit, quam ſuccinctam tractationem et alia, quae Cl. Auctor erudite exponit, recenſione breui vix aſſequi poſſumus.

p. 208. *Caput ſeptimum* de atrophia exponit et Noſter in tanta morbi varietate tres potiſſimum ſpecies definit. Primam marasmum ſeu atrophiam neruoſam dicit, et omnes cauſſas, quae vim corporis et animi infringunt, allegat; huic itaque obnoxii ſunt, qui excretionibus continuis inprimis ſpermatis debilitantur, qui ſuppreſſas excretiones patiuntur, qui in febribus diiudicandis imperfectas criſes experiuntur, qui animi vires nimis intendunt, in his enim omnes actiones ad nutritionem vltimam et fluidi neruei ſecretionem tendentes ſenſim paulatimque debilitantur et triſtis nutritionis defectus inducitur. Secunda ſpecies a relaxatis vaſis inprimis pulmonalibus pendet, et elaboratio humorum deprauata diffuſo ſudore et vrina, lateritio ſedimento conſpicua, ſe prodit; huic obnoxii ſunt imbecilles, vitae otioſae dediti, qui tenui et fluido magis, quam ſicciore victu nutriuntur, nec non illi, qui nimio vſu medicamentorum mercurialium agitati fuerunt. Tertia ſpecies purulenta vel ſanioſa eſt, in qua nimirum aegri ob abſorptas

abſorptas particulas acres in febrim lentam coniiciuntur, quoinde omnis vis nutritionis deſtruitur. His ſpeciebus aptam medendi methodum accommodat Cl. Auctor et vbique ad elaborationes et excretiones humorum ſuo modo adiuuandas, nec non ad robur vaſis reddendum reſpicit. Subiungamus pauca ex hoc capite ſparſim excerpta.

In neruoſa atrophia amara, ſtimulantia, aloetica et rhabarbarina purgantia conueniunt, et corpus his ad alterantia medicamenta aſſumenda diſponitur. Purgantium autem doſes fortiores non ſint, ne debilitatem augeant, et perſpirationem iam deficientem infringant, ſi igitur operatio horum remediorum minus ſufficiens eſt, matutino tempore, aliquot hauſtus aquae, in comitatu Eboracenſi ad oppidum Scarborough * ſcaturientis, in qua ſemina cardamomi minoris coquantur, ſuperbibantur, quo blanda euacuatio adiuuetur. His etiam iuſcula carnium tenuia, minime vero meraciora, conueniunt, et cum ambulatio nimis debilitet, motus in equitatione et vectione in rheda iis ſuadeatur. p. 214.

In doloribus capitis ex neruoſa atrophia pediluuia conueniunt, ſed magis conducit ſi incrementum pilorum ad aliquot pollices permittitur et pectinatio crebra inſtituitur, caput autem non tonditur. Si pili, vt in ſenio, ex defectu caloris et humiditatis in hoc morbo cadunt, ille ſanari nequit. In genere monet Noſter capillos cerebrum optime defendere, non quod calorem foueant, ſed quod ſuperfluos humores perſpiratione aucta excernant. In iunioribus et robuſtis hominibus, vbi aliae excretiones liberae ſunt, tonſura capitis et innoxia p. 222.

et

* Haec aqua ſal amarum, terram calcaream et parum martis continet, et duae drachmae ſalis in aqua ſolutae aluum leniter mouent.

et nonnunquam vtilis eſt, ſed in frigidis et languentibus hominibus caput non melius, quam capillis contegi poteſt; experientia enim edoctus fuit Noſter, capitis dolores et decubitus ſeroſos ad oculos praecipue nullo alio modo corrigendos, mitiores redditos fuiſſe, ſi capillis incrementum conceſſum fuerit.

p. 232. In *capite octauo* de ſtructura et vſu pulmonum diſſeritur. Motus ſanguinis per cor et pulmones et ideo effectus huius motus in ſanguificatione breuiter declarantur. Cum itaque pulmones princeps organum ſecundae digeſtionis ſint, et hac non rite peracta, tertia digeſtio vario modo laedatur, morbos pulmonum inprimis chronicos *capite nono* et vltimo disquirendos ſibi ſumit Cl. Auctor, et in quinque ſectionibus, 1. de catharrhis et congeſtionibus ad pulmones, 2. de aſthmate, 3. de obſtructionibus in pulmonibus natis, 4. de haemoptoe, 5. de abſceſſibus et vlceribus pulmonum diſſerit et tractationi pathologicae monita therapeutica ſubiungit.

p. 280. Abundantia ſeri, a perſpiratione ſuppreſſa potiſſimum oriunda, ad caput et pectus praecipue deriuatur, nec ſemper pulmones ipſos, ſed praeter nares et fauces laryngis et tracheae glandulas occupat, et excretione pituitae ex his partibus, vt decet, ſuccedente pulmones ipſos a ſeroſo decubitu liberos reddit. Subita tamen harum excretionum ceſſatio pulmonibus ſaepe noxia eſt et phthiſin inducit. Ex hac generali conſideratione indicationem curatoriam deriuat Noſter, et oſtendit, quousque regimen diaphoreticum vaſa cutanea libera reddat, quousque pituita, ad pulmones et caput deriuata, ibi coqui et reiici debeat, quousque venaeſectio et purgantia admitti poſſint, et quod purgantia mitiora inprimis ſalina eligi debeant, quippe quae perſpirationem haud turbent. Ad HIPPOCRATIS dicta attentus monet, eum non de ſuppuratione vera

vera, ſed de coſta ſaepius pituita loqui, quando re-ieſtionem puris in his morbis vtilem eſſe iudicat. Tandem monet frigidas congeſtiones ab humida et frigida aeris conſtitutione oriundas, a calidis et cum inflammatoria ſanguinis tenacitate coniunctis ſedulo diſtinguendas eſſe.

Obſtructiones pulmonum vel in vaſis pulmonalibus vel bronchialibus eueniunt. Perſpirationem pulmonum ex vaſis minimis ſyſtematis arteriae pulmonalis deducit Cl. Auctor, glandularum vero mucum ex arteriis bronchialibus tantum procedere aſſerit, cum lenta haec ſecretio ex rapidiſſimo arteriarum pulmonalium flumine deduci nequeat, hinc minus difficiles iudicat vaſorum bronchialium obſtructiones, easque excretione viſcidae materiae diſſipari poſſe monet, et porro oſtendit ſenſum irritationis in larynge et trachea omnino ab irritatione in ipſis pulmonibus facta diſtingui debere, in illo caſu excretio pituitae acris facilius, in altero difficilius ſuccedit. Obſtructiones tamen vaſorum bronchialium interdum habituales factae et ſyſtema vaſorum pulmonalium ad difficilem obſtructionem diſponere poſſunt, inprimis ſi ſpasmi accedunt. Obſtructio ex tenacitate ſanguinis inflammatoria deriuanda in veram et celerem, ex viſcido acri in lentam magis ſuppurationem tranſit; viſciditas autem ſine dolore et irritante acrimonia congeſta tubercula facit cum tuſſi ſicca coniuncta; ſi tandem humores ſtagnantes viſcidi terreſtribus particulis abundant, verus pulmonum ſcirrhus generatur. Ex his varia medendi methodus in obſtructionibus pulmonum ex indicationibus praemiſſis breuiter indicatur. p. 309.

Excretio ſanguinis in haemoptoicis aut ex pulmonalibus aut ex bronchialibus vaſis euenit, ſequentia autem ſigna hanc differentiam indicare videntur. Haemoptoe ex arteriis pulmonalibus p. 360.

magnam ſanguinis tenuis et floridi copiam ſiſtit, ſine ſenſu doloris, et excretio interdum plenarie ceſſat; haemoptoe ex arteriis bronchialibus exiguam ſanguinis copiam exhibet, ſed excretio longius procedit, et color obſcurior ſanguinis denſioris cum pituita remixti apparet, cum hac dolor in pectore obſeruatur. Signis reliquis, quae differentiam haemoptoes declarant, recenſitis et indicatione curatoria expoſita, venaeſectionem eamque repetitam vt praeſtantiſſimum auxilium commendat, vaſa enim euacuata, aut collapſa, aut, vt in reliquis vulneribus, leni ſuppuratione contracta, ita mutantur, vt ſanguinem non amplius emittant. Infuſa ex plantis, quae leniter adſtringunt et aeſtum et acrimoniam corrigunt, poſtea adhibenda ſunt. Specifica itaque medicamenta reiicit Noſter et oſtendit, tum ea, quae ſanguinem incraſſant, cum quae vaſa minima ſtringunt, haemoptoes curam haud praeſtare, ſed potius peripneumoniam inducere poſſe. Idem etiam de ſic dictis medicamentis balſamicis, quibus vulneribus externis medemur, aſſerit. In accuratiſſimo igitur regimine diaetetico veram curationis viam poſitam eſſe monet Noſter et curam lactis
p. 377. praecipue commendat. Si obſtructio in pulmonibus nata eſt, vel ruptura vaſorum in haemoptoe ex vehementioribus cauſis inducta neglecto regimine peſſima ſymptomata inducit, tandem abſceſſus oritur, cuius cauſas et geneſin, nec non ſigna concurrentia Cl. Auctor recenſet, et inde prognoſin
p. 386. variam format. Haereditaria phthiſis cum haemoptoe coniuncta vtplurimum triſtem exitum habet, haemoptoe tamen ex violenta cauſa inducta facilius curatur, inprimis ſi ſolidae et fluidae corporis partes bene conſtitutae ſint; phthiſis fluxui menſtruo vel haemorrhoidibus ſuppreſſis ſuccedens vix ſanatur; phthiſis ex obſtructione et inflammatione pulmonum nata ſanationem admittit, ſi febris

et

et reſpiratio moderatae ſunt, et abſceſſus optimum pus per expectorationem dimittit, minime autem ſi febris periodica fit, et pus malae notae excernitur. Phthiſis cum tenſione hypochondriorum coniuncta periculoſa eſt, vitium enim in chyli praeparatione ſubeſſe declarat. De auxiliis in abſceſſu aperiendo et depurando, quo conſolidatio fiat, longius nunc diſſeritur, et oſtenditur ſub quibus conditionibus curatio abſceſſuum fieri poſſit.

De abſceſſu latente ad pleuram formato, eoque aperiendo, quo pus educatur, nunc agit Cl Auctor et hanc operationem ratione et experientia confirmat. Si pleura pulmonum inflammatur, craſſior illa redditur, et ad pleuram thoracis accreſcit, quam rem cadauerum diſſectiones comprobant; ſigna collecti puris a tumore externo, vt in aliis partibus deſumi nequeunt, nec internae curationes ſufficiunt, cum abſceſſus fiſtuloſi fiant, ibi itaque vbi priores dolores in inflammatione mota fixi erant, ibi inciſio inſtituenda eſt, veteres etiam abſceſſum per cauteria aperiebant. Inciſio autem periculum inferre nequit, et eo tutius a chirurgo inſtituitur, quando is poſt integumenta inciſa duritiem reſiſtentem a pleura calloſa factam ſentit. Haec etiam operatio feliciori cum ſucceſſu inſtituitur, quam in eo caſu, vbi abſceſſus ruptus empyema format; pus enim per operationem in loco inferiori thoracis, verae operationi empyematis deſtinato, non tam apte euacuari poteſt, inprimis cum in longiori mora pus acre et rodens fiat, et facilius reſorptum febrim lentam efficiat et augeat. Variis igitur exemplis adductis hanc medendi viam Cl. Auctor illuſtrat et commendat. p. 408.

XVII.

Orazione eccitatoria all' introduzione dell' inneſto de Vajolo del Sig. Dottore PIETRO FRANCESCO PIZZORNO Lettore di Teoria-Medica nelle Scuole del venerabile Oſpitale di Pammatone con l'aggiunta de' motivi che devono obbligare li Medici ad abbracciare la pratica di eſſo del Dottore CARLO GANDINI. In Lucca per Filippo M. Benedini 1759. 8 mai. pl. 8.

h. e.

D. PETRI FRANCISCI PIZZORNO Oratio adhortatoria ad introducendam inſitionem variolarum, additis argumentis, quae medicis hanc medendi viam inire perſuadent Auctore D. CAROLO GANDINI.

Et in Italia de inoculatione variolarum diſſenſus medicorum eſt. Cl. GANDINI igitur cum eam defenderet et illuſt. LOMMELINO noſodochii Pammatonenſis Directori rationes exponere ſuſciperet, orationem Cl. PIZZORNO ſuper hoc argumento praemiſit, ipſe vero nonnullas cogitationes addit, quae ad diiudicandam inſitionem variolarum faciunt, et decem, quae contra hanc medendi viam, mouentur obiectiones proponit easque reſoluit.

Oratio Cl. PIZZORNO, quae ſub initium anni 1759 in Lycaeo Genuenſi in ſtudiorum auſpiciis habita fuit, ſuccincte recenſet, quomodo inoculatio variolarum in Aſia a Circetiae incolis primum ſuſcepta, inde ad Byzantinos et per EMANVELEM TIMONIVM Medicum Graecum ad Londinenſes deducta fuerit, et poſtea omnium praeſtantiſſimorum medicorum

corum aſſenſum promeruerit; operatione deinde breuiter deſcripta, ea, quae prae naturalibus artificiales commoda habent, declarat, quod nimirum in diſpoſitis ad morbum ſuſcipiendum apto anni tempore in ſanis de reliquo corporibus operatio inſtituatur, quod porro ex naturalibus vel decimus, ex artificialibus vix vllus moriatur, quod in his pulchritudo faciei conſeruetur, et quod tandem ii, qui hac ratione variolas paſſi ſunt, non amplius a crudeli et ingrato morbo afficiantur. Nihil itaque eſſe, oſtendit Orator, quod homines a felici hac medendi via detinere poſſit, quam potius et inter Genuenſes introducendam eſſe docet.

Praemittit nunc Cl. GANDINI cogitationes medico-practicas ſuper variolis, quae ad diiudicandam earundem inſitionem ducunt. Licet miasmatis varioloſi indoles nondum nota ſit, de illa tamen per effectus iudicare poſſumus. Alii in aere eius contagium continuatum poſuerunt, alii in corporibus fomitem varioloſum haerere perhibent, nunc cum cauſa proxima variolarum ſit miasma et praediſponens quaedam in corpore, et occaſionalis in aere aſſumi poterit, neque tamen vel vna, vel altera morbum producit, niſi ambae concurrant. Si itaque vna ex his remotis cauſſis leuior eſt, altera grauior, in benigna epidemia malignae et confluentes, in maligna autem benignae variolae intercurrere poſſunt, minime tamen negandum eſt, hac in re et alias et peregrinas cauſſas concurrere. Genus autem neruoſum primo attingitur, nam in acceſſu et euolutione varioloſi miasmatis haud raro horripilatio, rigor, nauſea, vomitus, inquietudo, dolor, ſtupor et conuulſio accedunt, et obſeruatio docet miasmata quoque alia inprimis recedentia v. c. purpurae vel ſcabiei ſimiles effectus inducere. Licet autem multi ſanguinem miasmate infici contendant, his tamen non aſſentitur Noſter, ſed aſſumit

p. 3.
p. 6.

 parti-

particulas morboſas, ex aere oriundas, particulas corporis diſpoſitas afficere et primos variolarum motus praeſtare, quam rem ex concurſu particularum, natura contrariarum, in mixtionibus chemicis declarare annititur, et porro diuerſam vim per particulas neruis applicatas in guſtu vario et aliis phaenomenis ſimili ratione explicat.

p. 13. In cauſam variorum ſymptomatum, quae ante eruptionem variolarum accidunt, Cl. Auctor inquirit, et effectus, quos in ſanguine et toto corpore producunt, praeter eos, qui miasmati varioloſo proprii ſunt, inde declarat. Ad conuulſionem vnice reſpicit, et citatis aliorum de fluido nerueo eiusque motu ſententiis ſubſtantiam medullarem cere-
p. 17. bri, quae quaſi inter ſolidam et fluidam media videtur, aggregatum minimarum cellularum inter ſe communicantium appellat, quarum cauitates ſe extendere et contrahere poſſunt, fluidum nerueum ſeu ſpiritus animales aetherem corporis animalis dicit, qui, vti reliqua corpora elaſtica, comprimi et extendi poteſt, ſic ſine canalibus aſſumtis, in quibus fluidum progreditur et regreditur, varii motus per fluidum nerueum praeſtandos optime explicari poſſe Cl. Auctoris ſententia eſt. Ex hac motus idea facilis etiam mutatio ſyſtematis neruoſi a qualibet irritatione deducitur, et porro declaratur quomodo et elaboratio et ſecretio humorum iisdem motibus dirigatur et in ſtatu morboſo perturbetur. Sic ex phaenomenis, quae puncturam neruorum
p. 21. ſequuntur, mutationis varia vis declaratur, et febrium natura earumque diuerſitas diiudicatur, indeque Noſter deducit conuulſionem, quae in variolis oritur, varios motus producere, quae non ſequerentur, ſi nulla cum variolis conuulſio excitaretur. Licet enim varietatem ſymptomatum in vna eademque epidemia a diſpoſitione fluidarum et ſolidarum partium in eo, qui variolis afficitur, depen-

dependere concedamus, tamen nondum videmus, quomodo irritatio et inde nata conuulſio ab ipſo miasmate varioloſo ſemper et in omnibus ſubiectis ſeparata aſſumi poſſit; id tamen praecipue vrget Noſter, conuulſionem a vi miasmatis varioloſi eſſe diſtinctum effectum et hoc, ſi ſine illa incedit, morbum exitialem inducere non poſſe.

Febres, quae in desquamatione variolarum interdum eueniunt et letales ſunt, inflammatoriae dici merentur et gangraenoſae, nec a materia varioloſa deduci poſſunt, ſed partim a perſpiratione ſuppreſſa, partim a ſaburra in inteſtinis retenta et mota oriuntur, et ſanguini deſtructoriam qualitatem inducunt. Cum autem Noſter de primo tantum et vltimo variolarum ſtadio diſſerat, monet conuulſionem, quae in primo ſtadio accedit, ſolam cauſam eſſe ſymptomatum in ſecundo et tertio ſtadio variolarum noxiarum, ſi itaque ex eius ſententia conuulſio a vera vi miasmatis varioloſi non dependet, huic non niſi vis depuratoria humorum, quae corpori adeo vtilis eſt, adſcribi poterit. Conuulſionem autem primarium ſymptoma eſſe, ad quod in variolarum conſideratione reſpiciendum eſt, ex eo quoque euincere ſtudet, quod remedia antispasmodica, opium, cortex peruuianus et alia ab omnibus medicis commendantur et exhibentur, qui etiam in theoria morbi inter ſe diſſentiunt.

p. 28.

p. 31.

His expoſitis ad artificiales variolas conſiderandas ſe conuertit Cl. Auctor, et cum a quibusdam vulnuſculis cuti inflictis nulla incommoda oriri queant, in eo tantum eſt, vt oſtendat effectus alios applicationem miasmatis ſequentes non ex timeſcendos eſſe. Inprimis vrget lentam euolutionem, quae valida ſymptomata nunquam excitat, qualia ex vehementi applicatione miasmatis oriri poſſent, nec confluentes fieri variolas, quarum cruſtae p. 38.

 ſuper-

ſuperficiem corporis in perſpiratione cutanea impediunt. Porro monet praeparationem aptam praemitti poſſe, et tandem commendationem a praeſtantiſſimis medicis factam ſubiungit.

p. 48. Addamus nunc pauca; quae paſſim in obiectionibus notata inuenimus; prima nimirum obiectio vrget, medicum non excitare morbos, ſed eos potius ſupprimere debere: ſed reſpondet Noſter, eſſe officium medici excitare motus, quibus materia morboſa agitatur et medicamenta cuncta inter alimenta et venena medium locum tenere, ipſa etiam therapia per vlcera et eroſiones cutaneas praeſtita, medelam in morbis valido auxilio aſſequendam declarare. Secunda obiectio a ſimili contagio morboſo deſumitur: miles nempe cane rabido morſus per aliquot dies febre affectus, ab ea largo ſudore liberatus fuit, poſt aliquod temporis interuallum noua febris excitata hydrophobiae et mortis cauſſa exſtitit; ſic etiam febris poſt inſitionem miasmatis varioloſi mota, forte non omnem morbum tollit, ſed iterum nouo impetu mouetur; monet vero Noſter, nullam inter venenum animalis rabidi et miasma varioloſum eſſe relationem, cum per obſeruationem conſtantem probetur, ſufficientem, et cum veris variolis comparandam, eſſe depurationem ſanguinis et humorum in variolis inſitis. Simili ferme ratione ad ſequentes obiectiones reſpondetur et oſtenditur, variolas artificiales nunquam grauius malum eſſe, quam naturales; illis, qui per viam naturalem a variolis liberi manſiſſent, nunquam variolas per viam inſitionis induci. Facile etiam refelluntur obiectiones, quibus vrgetur, non imitandam eſſe medendi viam, quam barbari populi introduxerunt; nec aſſertis clariſſimorum virorum in re, quae ſanitatem et vitam hominum concernit, fidendum eſſe; theologorum conſenſum eſſe acquirendum, antequam inoculationem ſuſcipiamus.

piamus. Obiectio octaua vrget, miasma variolo- p. 64.
ſum alia mala et moleſta et exitioſa excitare poſſe, ea tamen conſtanti obſeruatione proſperi euentus inoculationis refellitur.

Duae vltimae obiectiones Genuenſes concer- p. 67.
nunt; diſſentientes enim aſſerunt variolas naturales Genuenſibus non adeo exitioſas eſſe, et Noſter quidem benignitatem climatis et viuendi rationem laudat, inde tamen non perſpexit epidemiam varioloſam mitiorem eſſe; confirmat potius experientia reiterata, infantibus bonae indolis variolas lethiſeras vel peſſimis ſymptomatibus moleſtas eueniſſe, quod ex ſyſtemate neruoſo facile irritando declarat. Genuenſes quidem ad res nouas ſuſcipiendas non facile adigi poſſe concedit Noſter, attamen ſi exemplo familiarum illuſtrium, vt in aliis regnis inſitio commendaretur, hanc medendi viam melius ſucceſſuram eſſe confidit.

Sub finem tractationis varia contra diſſertatio- p. 74.
nes quasdam, quae inoculationem diſſuadent, proponuntur, quae vero ex iis, quae hactenus adduximus, intelliguntur.

XVIII.

Fränckiſche Sammlungen von Anmerckungen aus der Naturlehre, Arzneygelahrheit, Oekonomie und den damit verwandten Wiſſenſchaften. Vierter Band. Nürnberg, bey George Peter Monath. 1759. 8. *Alph.* I. pl. II. tab. aen. 5.

h. e.

Franconica collectio obſeruationum, ex phyſica, medicina, re oeconomica et reliquis, affinitate quadam cum his connexis, ſcientiis depromtarum. Volumen. IV etc.

Varias quidem diuerſi argumenti hic deprehendimus obſeruationes, ex quibus autem eas tantum, quae noſtram in primis rem pertractant, commemorare libet.

p. 36. Part. XIX. no. 5. *De ſaccharo ex acere* obſeruationem communicat Cl. GRVNER. Arbor haec, cum qua experimentum inſtituerunt, ea aceris ſpecies eſt, quae a C. BAVHINO in Pinace *Acer montanum candidum* et ab Ill. LINNAEO *Acer foliis quinquelobis inaequaliter ſerratis floribus racemoſis* vocatur. Initio menſis martii truncum dictae arboris ad duorum pedum diſtantiam, a radice computatam, ad profunditatem duorum pollicum cum dimidio perforarunt ſicque intra quatuordecim dies ſufficientem quantitatem aquae inodorae limpidae et dulcis obtinuerunt. Aqua haec in aheno cupreo, ſtanno intus obducto, forti ebullitione ad quartae partis remanentiam cocta perque filtrum traiecta, denuo igni admota et ad ſyrupi ſpiſſioris

ſpiſſioris conſiſtentiam redacta fuit. Ab igne dein remotam continuo Noſter agitauit, donec ea refrixerit, ſicque magma, colore et ſapore ſaccharo ſic dicto Thomaeo ſimile obtinuit. Pari etiam ratione ex aqua nucis arboris ſaccharum, ſed minus dulce, obtineri poſſe, huiusque aquae ex hac non ſolum, ſed et ex illa arbore tempore frigidiori quantitatem maiorem quam calido colligi, Noſter perhibet. Cum autem illa aceris ſpecies, cuius mentio hic facta eſt, rarius in regionibus noſtris occurrat, Noſter proinde cum ea aceris ſpecie, quae communior eſt et *acer campeſtre et minus* C. B. P. et *acer foliis lobatis obtuſis marginatis* LINN. vocatur, experimentum inſtituere, ſuadet. Praeterea arborem, quae ſic tractatur, dummodo ſemel in anno perforetur, nec medulla eius laedatur, detrimentum nullum accipere perque multos annos hiſce vſibus inſeruire poſſe, legimus.

No. 8. *Obſeruationes microſcopicas* inſeruerunt p. 47.
L et L. A. I. 1) Vinum microſcopio ſubiectum innumeros acaros exhibuit. Vermiculos hos, in caſeo alias reperiundos, incuria oenopolae, puritatem vaſorum ligneorum negligentis, eo deueniſſe Cl. Auctor arbitratur, caſeosque inprimis hollandicos ex vinoſis cellis relegandos eſſe, ſuadet. 2) Guttula ex naſo foeminae, coryza laborantis, ſtillans et microſcopio disquiſita innumeros vermiculos ouales exhibuit. 3) In vetuſto bibliopegorum glutine atque piſtorum fermento, microſcopio disquiſitis, anguillulae in conſpectum venerunt, quae, erucarum more, motu reptili progreſſae ſunt, et nouem pedes totidemque circulos habuerunt. Circa os forceps quaſi apparuit; caput antennis duabus et vtrinque oculis fuſcis inſtructum fuit; cutis innumeris globulis obſita pedesque, verrucis ſimiles fuerunt. Per totum corpus duae

ſtriae,

ſtriae, pro inteſtinis forte habendae, apparuerunt. Cutis praeterea pellucida et alba, caput linea nigra notatum annulique vltimi extremitati duae verrucae fuſcae cum aliquot vncis appoſitae fuerunt. Caeterum gluten et fermentum, quo vetuſtiora ſint, quoue plus acidi euoluti habeant, eo aptius ad hanc rem eſſe, deprehendimus.

p. 54. No. 9. *Vermium niualium* deſcriptionem inſeruit Cl. DELIVS. Reperti fuerunt nimirum die decimo quinto menſis Ianuarii anno 1758 in ſuperficie niuis vermes nigricantes pollicemque longi, quorum caput antennis inſtructum, venter vero ex annulis duodecim compoſitus pedibus ſex donatus fuit. Tardo iſti inceſſerunt greſſu nec ſextum diem ſuperuixerunt. Vermes hos ex terra in niuis ſuperficiem deueniſſe, Noſter, cum ROESELIO eandem ſententiam fouens, oſtendit. Duodecimo enim dicti menſis die frigus inſigne fuit, quod vero altero die ita decreuit, vt cum pluuioſa tempeſtate commutaretur. Tempeſtate hac per tres dies durante vermes in conſpectum venerunt, die decimo ſexto, gelu iterum ingruente, nondum amplius viſi.

p. 61. No. 10. *De vermibus ſingularibus in corpore humano* repertis duas obſeruationes adpoſuit Cl. BOENNEKEN. *Sen.* A foemina, cui aſam foetidam exhibuit Cl. Auctor, vermis viuus vomitu reiectus fuit, qui ſeſqui cubitalis digitumque craſſus pilis longis, nigro-rubeſcentibus obſitus pedibusque innumeris inſtructus atque erucae ſimilis fuit. Aliam etiam vermium ſpeciem in tribus infantibus obſeruauit Noſter, qui vſurpatis pilulis laxantibus, quibus mercurius dulcis admixtus fuit, copiam haud exiguam ſcarabaeorum viuorum cum faecibus eiecerunt. Hi grano hordei non maiores

capite

capite atque thorace nigro, pedibus ſex et duabus alis fuſcis inſtructi, iis ſimiles fuerunt, quos aeſtate interdum in roſis cernere licet.

No. 11. *De ſubitanea viri ſani inter* p. 66. *rixas morte* mentionem fecit Cl. HIRSCHING. Vir iuuenis ſanus procerus poſt prandium cum ſocero, ſene debili, ſtaturae paruae altercatur; paulo poſt ſe inuicem verberibus aggrediuntur, ita tamen vt ſocer ſuccumbat. Sed momentis aliquot vix praeterlapſis alter iſte iuuenis, ſanus antea viſus, ſubito retrorſum cadit exanimis et moritur. Corpore disquiſito primo die nullam laeſionem, altero autem maculas hinc inde liuidas deprehenderunt. Diſſecto poſthac capite nullam laeſionem ſed omnia fere cerebri vaſa, ſanguine referta et valde diſtenta, ventriculisue diſſectis cochlearia aliquot aquae tenuis, flaueſcentis deque reliquo notatu dignum nihil repererunt. In reliquis viſceribus laeſionem nullam, nec vllam aliam diſpoſitionem, quae mortis cauſam ſuppeditare potuiſſet, animaduerterunt. Ex his itaque virum iſtum, inter rixas mortuum, non vi, ſed apoplexia periiſſe, collegerunt; idque omni quidem iure, cum vita ante acta multum inſimul lucis adfuderit. Saepe enim memoratus iuuenis animi deliquiis et cephalalgia laborauit et iracundus admodum fuit, adeo, vt ira ſaepe excandeſcens ſe ipſum ignoraret.

Part. XX. *no.* 2. Obſeruationem *de virtute ſa-* p. 121. *lutari aquae pluuiae vel fluuialis frigidae in curanda excoriatione infantum inprimis ea, quae pone aures deprehenditur,* inſeruit Cl. BOENNEKEN. Lintea nimirum mollia dictis aquis madefacta mane et veſperi imponi iubet ſicque intra paucos dies malum iſtud ceſſare, perhibet. Ceruſſam vero pulue-

pulueremque lycopodii, quae alias inſpergunt, ceu noxia in eiusmodi caſu reiicit.

p. 128. *No. 3. Tres obſeruationes practicas* communicauit Cl. MÜLLER, quarum prima de verae phthiſeos curatione agit. Foeminae, quae phthiſi vera fereque conſummata laborauiſſe dicitur, puluerem ex radice ari, ariſtolochiae rotundae et pimpinellae albae inſimulque ſpecies ex iisdem radicibus aliisque herbis pectoralibus pro infuſo exhibuit, quibus per aliquot menſes vſurpatis morbus euanuiſſe priſtinamque ſanitatem recuperauiſſe aegra perhibetur. Sed aſthmati potius, quam phthiſi haec medicamenta adhibita fuiſſe ſuſpicamur.

p. 135. Altera obſeruatio caecitatem, inter hydropis curationem, ſubortam commemorat. Abdominis tumore poſt vſum euacuantium fortiorum aliorumue remediorum imminuto, oculi ſenſim ſenſimque vigorem amiſerunt, donec plenaria caecitas oboriretur. Aegra quidem mali huius ortum remediis iſtis valentioribus attribuit, dum vero ob animi deliquia, quibus aliquoties vexata fuit aegra, abdomen ligaturis fortibus conſtringitur, viſus aliquanto redit. Qua re percepta ligaturarum vſus continuatur inſimulque decoctum ex corticibus atque radicibus roborantibus exhibetur, quibus vſurpatis viſus perfecte rediit.

p. 139. Tertia obſeruatio *dyſenteriae, peculiaribus ſymptomatibus* ſtipatae, meminit. Vir quidam dyſenteria corripitur, ita, vt cum diarrhoea inſignis inſimul teneſmus accedat. Deiectionibus aluinis ſub nocte ceſſantibus vomitus ſpontaneus oritur, quo altero die adhuc durante aluus nunc plenarie obſtruitur doloresque inſigniter augentur. Noſter itaque aegro emeticum offert, quod vero iſte renuit, dicens, ſe per tres annos nauſea iam, poſt ſuperatum aliquem morbum, relicta laborare eamque

ita

ita ſe habere, vt vel minimo motu in vomitum illico degeneraret. Rhabarbarum proinde exhibetur, quod vero vomitu pariter eiicitur; quare Noſter clysma iniici iubet, quo iniecto tanta lypothymia accedit, vt per longum tempus exanimis apparuerit aegrotus. Ad ſe iterum rediens clysmatum vſum continuatum renuit tandemque elixirio ex chamomillae et caſcarillae extracto nec non tinctura rhabarbari parato inſimulque infuſo chamomillae verſusque veſperam diaſcordio FRACASTORII vſurpato conualuit.

No. 4. Obſeruatio *de calculo, qui ex vretere per abſceſſum inguinis ſiniſtri exiit* Auctore Cl. RVMPELT. Vir quinquaginta octo annorum aliquoties aegrotans in inguine ſiniſtro tandem tumore cum inflammatione et dolore coniuncto cruciatur, tuncque ſibi ipſe cataplasma ex farina herbisque emollientibus, in lacte coctis, applicat, quo facto tumor in dies increſcit molliorque fit, et dolores mitiores euadunt. Omni conſilio contemto abſceſſus rupturam naturae committit, praeter id, quod in applicando cataplasmate omni die continuaret. Rumpitur demum abſceſſus ſicque ſtatim puris flaui foetidique menſurae duae et vltra effluunt. Vulnus ipſe iterum pertractat aegrotans eoque, quantum potuit, mundato emplaſtrum ex diachylo et meliloti emplaſtro compoſito imponit, ſicque per aliquot tempus abſque vulneris conſolidatione continuat. Tandem accidit, vt, dum in vulneris deligatione renouanda occupatur, vna cum inſigni puris copia corpus durum in terram proiiciatur, quod disquiſitum lapidis formam habuit et drachmas quinque cum dimidia ponderauit. Corpore hoc peregrino egreſſo remediisque ad conſolidationem facientibus, a pharmacopola quodam adhibitis, vulnus conſolidatur, et aegrotans p. 143.

abſque vllo incommodo relicto ſanitatem recuperat.

p. 177. *No. 7. Obſeruationes de febribus catarrhalibus malignis petechizantibus in occidentalibus Franconiae prouinciis per aliquot annos graſſantibus* Auctore Cl. HIRSCHING. Ex his tantum notamus, camphoram ab aliquibus in dictis febribus laudatam, noxiam fuiſſe, eosque fere omnes, qui eam vſurparunt, obiiſſe.

p. 226. *Part.* XXI. *No.* 4. *Litteras, microſcopicas quasdam obſeruationes continentes,* ad Cl. LEDERMÜLLER dedit Cl. MAHLING. His animalcula in ſemine arietis et galli gallinacei reperta nec non anguillulae, in glutine bibliopegorum viſae, deſcribuntur adiectisque iconibus illuſtrantur.

p. 236. *No. 6. Litteras de correcto microſcopio anatomico* ad Cl. DELIVM dedit Cl. LEDERMÜLLER. Correctio haec in eo conſiſtit, vt microſcopio, quod Cl. LIEBERKÜHN excogitauit, cochlea addatur, qua mediante lens ſurſum deorſumque dirigi reique disquirendae propius remotiusue admoueri poteſt. Microſcopium in adiecta icone delineatur.

p. 241. *No. 7. Obſeruationes anatomicas* addidit Cl. DELIVS. In infante octo hebdomadum labium ſuperius atque maxilla ſuperior ad vomerem vsque fiſſa apparuerunt, ita vt naſus adeo interius velumque palatinum et vuula diuiſa eſſent ſicque lupi faux quodammodo repraeſentaretur. In eodem etiam infante octo coſtae verae in dextro latere fuerunt, ſiquidem cartilago primae coſtae ſpuriae ſterno immediate adhaeſit. Tandem etiam locus, vbi canalis arterioſus BOTALLI concreſcere incipit, detectus fuit isque ille eſſe dicitur, vbi dictus canalis cum arteria pulmonali coniungitur.

Part.

Part. XXII. *n.* 3. *Obſeruationem de vi ſalutari vitri antimonii cerati* communicauit Cl. BOENNEKEN. *Senior.* Eximiam huius remedii virtutem, cuius praeparatio in Actis Edinburgenſibus deſcribitur, non ſolum in dyſenteria, ſed etiam in lienteria, fluxu hepatico et quocunque alui fluxu laudat et expertus commendat hacque occaſione alius etiam remedii, olei nimirum momordicae meminit, quod bono cum ſucceſſu in dyſenteria infantum exhibuit. p. 325.

No. 5. *Deſcriptionem cataractae ſecundum methodum* DAVIELII inſtituit Cl. KEPHALIDES. In nonnullis aegris, quorum lens cryſtallina opaca fuit, eam bono cum ſucceſſu extraxit, ita vt ſpecilli ope clare et diſtincte obiecta diſcernere valerent. Reſtituit etiam Noſter aegrotum, gutta ſerena laborantem. Venaeſectione nimirum adminiſtrata, poſthac emeticis repetitis, purgantibus, veſicatoriis in nucha tunc in brachiis et ſuris applicatis, remediisque volatilibus externe vſurpatis intra tres ſeptimanas viſum recuperauit. p. 332.

Part. XXIII. *no.* 1. *Illuſtrationes obſeruationum et experimentorum microſcopicorum* addidit Cl. DELIVS. Hic in nonnullis iconibus habitus et conſtitutio animalculorum ſpermaticorum atque etiam mucoris, in racemo reperti ſubque microſcopio disquiſiti, illuſtratur et deſcribitur. Repraeſentatur etiam in duabus tabulis microſcopium MVSCHENBROECKII, quod vero ita mutatum eſt, vt ceu nouum conſiderari atque, cum ad plures vſus impendi poſſit, tanquam vniuerſale haberi mereatur. p. 371.

No. 2. *Sectionem in duabus foeminis, quarum abdomen in inſignem molem excreuerat*, inſtituit Cl. DELIVS. In priori abdominis altitudo, a ſterno ad inguina vsque dimenſa, tres pedes cum dimidio p. 427.

fuit. Ex abdomine poſt mortem perfoſſo plus, quam centum et octoginta librae liquoris viſcidi et obſcure rubicundi effluxerunt. In poſteriori autem, poſt mortem disquiſita, abdominis diameter tres pedes tresue pollices, liquor autem tanta viſciditate praeditus fuit, vt, non niſi copioſa aqua iniecta, euacuari poſſet. Hoc euacuato et abdomine disquiſito ingens ſaccus in conſpectum venit, qui vndique cum peritonaeo, omento, inteſtinis et meſenterio, nec non cum hepatis margine eiusdemque ſuperficie concaua atque veſicula fellea, cartilaginibus coſtarum ſpuriarum et mucrone ſterni ita concreuit, vt omnia fere viſcera abdominis obtegerentur.

p. 437. *No.* 5. *Obſeruationes chirurgicas* appoſuit Cl. S. A. K. Prima hominis meminit, qui enteroepiplocele ſcrotali, per duodecim dies iam incarcerata, laborauit. Auctor noſter anonymus, ſectione inſtituta, inteſtini, inſigniter tenſi, portionem, duodecim pollices longam, ſacco ſuo adhaerentem, omentumque deſtructum et ex parte putrefactum reperit. Inteſtino ſeparato et repoſito, et omento bis ligato huiusque portione aliqua reſecta vulnereque rite tractato poſt quatuor ſeptimanas aeger conualuit.

p. 440. Tertia obſeruatio tumoris ſcirrhoſi mentionem fecit, qui, in palpebra ſuperiori oculi ſiniſtri ſitus, tam felici ſucceſſu exſectus fuit, vt nono die praeterlapſo aegra iam in integrum reſtituta cerneretur.

Vltima demum obſeruatio polypum carnoſum commemorat, qui, in dextra cordis auricula repertus, in duos ramos diuiſus fuit, quorum alter maior per ventriculum dextrum in arteriam pulmonalem tranſiit, vbi in quadraginta ramos minores diſſiliit. Alter autem, in vena caua fluctuans,

vltra triginta ramulos habuit. Pondus polypi vnciam vnam cum dimidia et drachmas tres cum dimidia aequauit.

Part. XXIV. *No.* 3. *Caſus practicos rariores* communicauit Cl. BOENNEKEN. *Sen.* Primus viri quadraginta annorum meminit, cuius comae omneque pili, nigritie antea donati, poſt grauem animi affectum in vna nocte niueum colorem induerunt. Sorte poſt annum mutata, pili etiam mutationem rurſus ſubierunt priſtinumque colorem nigrum nimirum recuperarunt. p. 462.

Alter caſus duorum calculorum mentionem facit, qui ex abſceſſu abdominis diuerſo tempore exierunt. Foemina ſeptuaginta quinque annorum tumorem in inguine dextri lateris obtinuit, quo ſponte rupto materies purulenta vltra annum exiit; tandem hoc praeterlapſo lapis, poſtque ſex ſeptimanas alius iterum, nucis moſchatae figuram repraeſentantes in conſpectum venerunt. Vlcus, dum haec litteris mandata ſunt, nondum conſolidatum, foemina vero de reliquo ſana fuit Prior calculus ſcrupulos quinque ponderans, in baſi planus et vndique velut ex acinis compoſitus fuit. Poſterior vero, priori fere ſimilis, minor plures ſuperficies et angulos habuit ſcrupulosque duos cum dimidio ponderauit. Ambo calculi adiecta icone repraeſentantur. p. 469.

Tertius caſus excreſcentiam commemorat, quae in ventre recens nati infantis in conſpectum venit. Inter cordis nimirum ſcrobiculum et vmbilicum integumenta ita diuiſa fuerunt, vt cultro quaſi diſciſſa apparerent. Ex hac fiſſura excreſcentia rubeſcens ſub membrana pellucida prominuit, quae magnitudine magnum pomum borsdorfianum repraeſentauit. Variis auxiliis incaſſum tentatis infans octauo poſt partum die praeterlapſo obiit. Corpore aperto reque accuratius diſquiſita Noſter p. 482.

 reperit,

reperit, excreſcentiam, illam portionem hepatis, peritoneo tectam, conſtituiſſe, cauſam vero huius rupturae a lapſu, quem mater, onere in dorſo impoſito, ſeptimo grauiditatis menſe paſſa fuit, absque dubio ſuppeditatam eſſe, putat.

p. 487. *No.* 4. Variae obſeruationes medicae leguntur, ex quibus ſequentia tantum notamus. Foemina aſcitica hernia vmbilicali laborat, quae, aucto hydrope ita elongatur, vt in proceſſum longum extendatur. Hoc ſponte rupto ſenſim inſignis copia aquae effluit; qua effluxa tumor abdominis et proceſſus euaneſcunt, ita, vt ſanitati proxima nunc eſſe videatur.

p. 492. In dyſenteria gluten commune, bonae tamen notae, aqua ſolutum inſimulque rubro colore tinctum et cum citri vel aurantio malo mixtum, ſub forma gelatinae aegris exhibitum, opem tuliſſe, legimus.

p. 493. Decoctum radicis iridis noſtratis coeruleae, homini cuidam, hydrope laboranti, exhibitum, omnes aquas exturbauit, ita vt haemorrhodibus largius poſthac fluentibus vlcereque in pede ſiniſtro oborto, aeger morbo nunc liberatus eſſe videatur. Homo quidam, copioſa pinguedine commeſa, de flatibus inde et ructibus inſimulque appetitu proſtrato per multum tempus conqueritur. Exigua hepatis antimonii portione caſu aſſumta aliquoties vomitu materiemque ſebo ſimilem reiecit, qua reiecta aegritudine liberatur.

p. 514. *No.* 6. *Quomodo ex braſſica radice Napi panis bonae notae coqui poſſit,* docet Cl. GLASER. Dictae nimirum radices lauantur et membrana externa liberatae atque in partes diſſectae in cribro exſiccantur, tandem arefactae molendini ope in farinam rediguntur, cuius librae vni vncia vna duaeque drachmae fermenti panifici additur poſteaque eodem modo, vt panis, praeparatur et coquitur. Panem inde ortum, ſapidum, nullam moleſtiam corpori inducere et annonae caritate panis cerealis defectum ſupplere poſſe, Noſter autumat.

XIX.

XIX.

Svenska Spindlar uti ſina Hufvud - Slagter indelte ſamt under nagra och ſextio ſärskildte arter beskrefne och med illuminerade Figurer uplyſte pa Kongl. Vetensk. Societ. i Upſala befallning utgifne af dess Ledamot CARL CLERCK: CAROLI CLERCK, Reg. Soc. Scient. Vpſ. Membr. aranei Suecici, deſcriptionibus et figuris aeneis illuſtrati, ad genera ſubalterna redacti, ſpeciebus vltra LX determinati, auſpiciis Regiae Societ. Scientiar. Vpſalienſis. Stockholmiae, literis Laur. Saluii. MDCCLVII. plag. 21. tab. aen. viuis coloribus pict. 6.

Ill. LINNEO dignus diſcipulus Cl. CLERCK exhibet hic araneorum hiſtoriam diſpoſitionemque, qua huc vsque aptior locupletiorque nulla fuiſſe videtur, et licet Auctor Sueciae tantum indigenos araneos deſcripſerit atque in ordinem redegerit, nullum tamen eſt dubium, quin reliqui omnes, in aliis terrarum regionibus reperiundi, ad eundem potuerint reduci; cum in conſtruendo ſyſtemate Cl. Auctor non ſolum ſuas, ſed et aliorum, qui de araneis ante ipſum ſcripſerunt, inter quos principes nominabis ELEAZ. ALBINVM et LISTERVM, conſuluerit obſeruationes. Tractatum hunc, in Suecica et latina lingua, vt ex ſupra indicato eius titulo apparet, conſcriptum, actis quidem Regiae ſocietatis ſcientiarum Vpſalienſis inſerendum deſtinauerat Cl. Auctor, quod etiam dicta ſocietas non abnuerat, ſed cum integer ille nimium ſpatii in vno horum actorum volumine praeripuiſſet aliis commentationibus, et ſi in plura diſpergi debuiſſet volumina, orbis eruditus iuſto longius caruiſſet illo, quem tamen vt quam pri-

mum ille acciperet, dignum cenſebat ſocietas, Auctori illa conſuluit, vt ſeorſim ederet. Quare etiam factum fuit, vt Cl. Auctor, quod tractatum hunc academiae legibus accommodaret, in deſcriptionibus breuitati ſtuduerit, auctoresque, quos iure citare potuiſſet, omiſerit atque obſeruationum plurimas, quae in ſyſtemate condendo nihil iuuant, ad completam vero hiſtoriam omnino pertinent, reticuerit. Cum plures etiam ſpecies reperierit, quam huc vsque cognitae fuerunt, nomina noua excogitare debuit, quibus ſi alia ſubſtituantur, ſibi perinde fore aſſerit, nec minus gratum, ſi poſt reiteratas obſeruationes plures ſpecies ſub vna locatae fuerint; ex ſingulari enim plurium ſpecierum metamorphoſi, quae in diuerſa aetate fieri ſolet, in determinandis ſpeciebus magna oritur difficultas. Quae in poſterum de iis experientia ipſum doctura ſit, in ſupplemento cum litterario orbe ſe communicaturum eſſe ſpondet, ideoque omnes hiſtoriae naturalis amatores rogat, ſi quae vllibi occurrant ſpecies in hoc libro nondum deſcriptae, vt illas ex methodo, in hoc tractatu recepta, deſcribant, depingant et, adiectis araneis, ad Cl. Auctorem mittant, quas demum grata mente cum nomine Auctoris ſupplemento inſerendas curabit. Haec in praefamine praemiſit Cl. Auctor, tractatum vero ipſum in duas partes diſpeſcuit, in quarum priore de *araneis in genere;* in poſteriore de *araneorum diuiſione in diſtincta agmina, claſſes, genera et ſpecies* agit. Partem priorem denuo diuidit in 2 ſectiones et in priore ea exponit, *quae omnibus araneis communia ſunt*, quorſum pertinet eorum modus viuendi, mores, victus, metamorphoſis, differentia, quae intercedit mares et foeminas, modus coeundi, aetas et cet.; in poſteriore vero *diſtincta araneorum membra* deſcribit, quae ſunt oculi, pedes, brachia, retinacula, os, gula, tubercula quatuor ad retia neenda a Natura data, anus et ſimilia. Breuiter quidem omnia, ſed

ſed ita apte et diſtincte in vtraque ſectione proponuntur, vt nihil deeſſe credamus, quod ad completam horum inſectorum cognitionem iure poſſit deſiderari. Cum ex his vero pleraque ex Cl. HOMBERGII, FRISCHII et aliorum ſcriptis, quae in omnium manu eſſe ſolent, nota ſint, iis hic repetendis ſuperſedemus, parcentes ſpatio ad partem poſteriorem, in qua Cl. Auctor copioſior eſt. Haec nouem capita continet, et ſyſtematicam horum inſectorum diſtributionem exponit. Summum diuiſionis fundamentum deſumit Cl. Auctor a modo praedam capiendi et a retium, quae ſtruere ſolent, loco, ſtructura et figura. En ſciagraphiam totius ſyſtematis:

- Aranei
  - Aerei, in aere viuunt.
    - Retiarii, praedis capiendis reticulos varie tendunt.
      - verticales.
      - irregulares.
      - textores.
    - Saltatores, animalcula non irretiunt, ſed adſultim capiunt.
      - lupi.
      - phalangia.
      - cancriformes.
  - Aquatici, in aquis viuunt.

Inter *retiarios* primum genus conſtituunt *verticales* et nomen a retibus acceperunt; quae linea pene perpendiculari ii expandunt. Habent oculos octo, vt omnes aranei: quatuor aequalis magnitudinis in media fronte in forma quadrata, binos vero in vtroque latere poſitos, pedes priores longiſſimos, reliquos ſucceſſiua longitudine decreſcentes. Species huius generis quatuordecim reperit Cl. Auctor. p. 17.

p. 48. *Irregulares*, a retibus irregularis formae conſtructis vocati, ſecundo generi retiariorum ſunt adſcripti. Hi inter ſpiſſos arborum ſuffruticumque ramos retia adeo denſa extendunt, vt ne paruus quidem culex ea libere peruolare poſſit. Quoad oculos et pedes cum praecedentibus conueniunt. Horum duodecim repertas ſpecies deſcribit Cl. Auctor.

p. 73. Tertium genus complectitur *textores*, qui retia circularia, pyramidalia et variae figurae texunt. A reliquis retiariis in notis quibusdam characteriſticis differunt; in praecedentibus enim longiſſimi pedes erant anteriores, in his vero poſteriores; praeterea tubercula longiuſcula vltra anum acuminata et oculos non concretos habent. Horum tres ſpecies Cl. Auctori innotuere.

p. 85. *Saltatorum*, qui ad retia texenda minus habiles deprehenduntur, primum genus continet *lupos*. Hi quatuor oculos maiuſculos totidemque minores habent; duo vero ex maiuſculis reliquos duos magnitudine ſuperant. Pedes poſtremi longiſſimi, anteriores paullo minores, qui hos ſequuntur, ſecundi, breuiores et tertii tandem breuiſſimi. Foeminae ouorum folliculos, aluo adhaerentes, ſecum geſtant, pullique modo excluſi a matre nutriuntur, ipſique adhaerent. Vndeuiginti ſpecies illorum collegit Cl. Auctor. Non omnes ſpecies araneorum huius generis retia conſtruendi facultate plane ſunt deſtitutae, quod multi et ipſe Auctor crediderat, ſed experimento didicit, nonnullos retia, quae ſacculos referunt, nere.

p. 113. Sequuntur nunc *phalangia*, quorum oculos natura ſitu locauit parabolico ita, vt maximi anteriores, ſequentes minores, tertii minimi, poſtremi demum his paullo maiores, inter ſecundos et tertios mediae ſint magnitudinis. Pedum longitudo in hoc genere varia eſt. Pectora hi

aranei,

aranei, quod alii nequeunt, ad latera inclinare et mouere ſine difficultate poſſunt, leui et crebro motu ſaliunt, ſemperque filum poſt ſe trahunt. Sub hoc genere decem ſpecies deprehenſae fuere.

Araneos, qui partim ab ambis modo deſcriptis generibus ob oculorum ſitum, partim a textoribus differunt, ad ſaltatores vero ob motum referendi ſunt, in tertium genus colligit Cl. Auctor et eos *cancriformes* appellat. Ex ſeptem ſpeciebus, quas accepit, nullos characteres genericos inuenire potuit; quinque quidem ſpecies in oculorum ſitu, qui triangularis eſt, inter ſe conueniunt, ſed reliquae in eo differunt; nec ex longitudine pedum, quae in qualibet ſpecie itidem variat, certi quid determinari licuit. Characteres itaque ex ſpecierum deſcriptionibus ſunt repetendi. p. 127.

Alterum agmen araneorum comprehendit, *aquaticos*, ſed eorum vnica duntaxat huc vsque Cl. Auctori cognita eſt ſpecies. Generales itaque characteres de his nequeunt determinari. Quos obſeruauit Cl. Auctor, omnes aquae ſunt incolae, licet interdum aurae captandae ergo ad aquae ſuperficiem emergant. Aluum circumdat veſicula quaedam, aere repleta et nitorem chalybis expoliti de ſe ſpargens; haec aquam ab aluo arcet. Etſi vero hi aranei ſemper fere aquam inhabitant, ſub ea tamen eos fila ducere et centonem ad vaſis latera adtexere vidit Cl. Auctor. Hic cento aquam non transmittit, ſed ſub eo aranei oua parere pulloſque ex iis excludere ſolent. p. 143.

Omnibus nunc recenſitis generibus id ſollemne eſſe, ſupra iam notatum fuit, quod octo oculis gaudeant; eſt tamen quaedam, eaque vnica ſpecies, duobus tantum oculis inſtructa ideoque ad nulla praecedentium genera potuit referri, ſed a Cl. Auctore ſub finem tractatus ſeorſim *ſub nomine araneo-* p. 150.

araneorum binoculorum deſcribitur. In his araneis nulli pectus inter et aluum deprehenduntur limites, ſed vtrumque vnicum efficit truncum; pedum quoque ſtructura, ab illa in reliquis obſeruata longe recedit.

p. 133. Quo etiam methodus appareat, qua in deſcribendis ſpeciebus Cl. Auctor vſus eſt, ſpeciminis loco integram ſpeciei tertiae araneorum cancriformium, cui *aureoli* nomen tribuit, apponamus deſcriptionem.

Medio Iulii deprehendebantur hi in faſtigiis arborum, aſſidentes folliculis et cuſtodientes eos intra veſtibulum ex filis raris contextum.

Oculi, *forma triangulari poſiti: infimi minuſculi, ſupremi quatuor paulo maiores.*

Pedes, 2, 1, 3 *et* 4 *breuitate ſe excipientes, ſubalbidi; rubidis vtrobique articulis, multis pilis diſſimiliter longis, ſetis et aculeis.*

Pectus, *ouatum, leuiter conuexum, in totum ſericatum; facula medium percurrenti, alboque margine proxime pedes vix adſpicuo, at proxime aluum lucidiori.*

Aluus, *ouata, ſericata; cuneo furuo fimbria lucida anum verſus paulatim obſcurata circumducto. Huic ſuccedunt flammulae luteae deſinentes in marginem punicum, quo ſuperior alui pars adſpicua terminatur. Aluus ſubter ſemicana; ſegmento cinereo ad longitudinem.*

Brachia, *ſubalbida; articulis fuligineis, pilis, ſetis et aculeis nigris.*

Retinacula, *ſuffuſcula, perpendicularia; tenui, alba lanugine.*

Oua, *circiter* 40 *aut* 50 *in qualibet maſſula, mediocriter magna, rotunda, noctuina, praecipue proxime ante excluſionem.*

Pulli, *ineuntibus diebus canicularibus prodeuntes, in initio fuere ſatis tenebricoſi.*

XX. Noua

XX.

Noua phyſico - medica.

Quaeſtiones medico-chirurgicae, quas Ill. medicorum et chirurgorum ſocietas *Madriti* a Sereniſſimo Hiſpanorum Regio Principe LVDOVICO fundata, praecedenti anno conſequendis praemiis propoſuerat, nuper a nobis commemoratae fuerunt *. Commentarios autem ſuper illis argumentis conſcriptos ipſique traditos expectationi ſuae non feciſſe ſatis, ideoque futuro anno easdem quaeſtiones eruditorum ſtudio ſe denuo velle oblatas, ipſam declaraſſe legimus.

Inſuper duas alias, nouas theſes exhibuit, quarum ſingularum optimae elaborationi praefixa praemia eodem anno merentibus decernet. Illarum vna, vti iam huc vsque vſu venit, medicinam ſtricte ſic dictam reſpicit: *Num lactis nimirum vſus per vnius anni vel longius quoque ſpatium adhibitus, tale ſit remedium, quod arthritidi leuiori et vagae, vel et inueteratae et fixae, quin et ipſi podagrae, mederi valeat? et quaenam diaeta et quod vitae regimen vna obſeruari debeant?* Altera theſis ad artem chirurgicam pertinet: *Quonam ſcilicet in caſu ad aneuryſma tollendum externorum tantum remediorum vſus conueniat? Quinam porro ſint caſus, in quibus nouiter inuenta machinamentorum genera prae aliis auxiliis adhiberi debeant? Et in quibusnam* denique *caſibus neceſſe ſit, vt deuinciatur arteria?* Qui in explicandis his quaeſtionibus elaborare velint viri docti, vt ante nouembris primum diem huius, quem agimus, anni 1761 ad Cl. Licentiatum, ISIDORVM RODRIGVEZ, Societatis Secretarium, ſuos mittant commentarios, humaniſſime rogantur.

Illuſtris

* vid. Comment. noſtr. Vol. VIII. P. II. p. 351.

Illuſtris porro Scientiarum Societas *Harlemenſis* in vltimo, qualem ſingulis annis celebrare ſolet, conuentu, nuper die viceſimo primo menſis maii habito, declarauit, ex omnibus illis commentationibus, quas ſuper oblata *, quaeſtione acceperit *de cauſſis naturalibus, cur lues per armenta huc vsque vagans, diutius iam ſaeuiant, ac alia vice obſeruatum fuerit*? ne vnam quidem ipſius meruiſſe applauſum, ideoque hoc argumentum bis iam fruſtra propoſitum, ſe nunc prorſus velle ſepoſitum.

Aliam vero, ſemel iam praepoſitam quaeſtionem, iterum iam futuro anno 1762 exhibet eadem Societas: *Quaenam* puta *in vſum vocanda ſint auxilia ad lac in feminis lactantibus augendum, vel imminuendum, vel quoque ſupprimendum? Quaenam inde mala vt plurimum oriri ſoleant? Et quo denique modo haec vel praeuerti vel curari poſſint?*

Praeterea duo alia argumenta noua eruditorum examini commendat iam dicta Societas. Ad illorum primum *optimus determinari debet modus in ratione veſtitus, nutrimenti corporisque motus infantum, ab ipſorum natiuitate ad adoleſcentem vsque aetatem obſeruanda, ad longam vitam firmamque ipſis conciliandam ſanitatem.* Altera theſis concernit agros Hollandiae, quo *optima* nimirum *detegantur adminicula, quibus illorum, ſiue alte, ſiue depreſſe ſiti ſint, terrae pro diuerſa harum indole ita coli debeant, vt, quos modo poſſint, fructus ſuppeditent.* Vir Cl. C. C. H. VAN DER AA, Illuſtris huius Societatis Secretarius, accipiet commentationes, quas de ſingula hac materie ad ipſum velint mittere viri docti. Illae, quae ſuper duabus prioribus quaeſtionibus conſcribentur, ante diem martii primum anni ſequentis 1762, de tertia vero exaratae, ante eundem martii diem anni 1763 tradi debent Societati, vel in belgica, vel gallica

* vid. Comment. noſtr. Vol. VIII. P. I. p. 179.

gallica, vel latina lingua compoſitae et ita deſcriptae, vt legi facile poſſint.

Petropoli ad nos quaedam habemus relata, ad inſtitutum noſtrum pertinentia.

Vir Cl. DAVID DE GORTER, Med. D. et auguſtiſſimae Imperatricis Medicus huc vsque Ordinarius, a munere hoc ſuo diſcedendi veniam ſub initium huius anni petiit atque impetrauit, in patriam hac aeſtate nunc rediturus.

Itidem Vir Cl. IOSEPHVS THEOPHILVS KOELREVTER, Med. D. et Hiſtoriae Naturalis Profeſſor, in Ducatum Würtembergicum, qui ipſi patria eſt, hac ipſa quoque aeſtate reuertendi cepit conſilium.

Vir porro Cl. GERARDVS FRIDERICVS MÜLLER, Hiſtoriographus Imperial. Academiae Secretarius et Hiſtoriarum Profeſſor, a Regia Scientiarum Academia *Pariſienſi* in Correſpondentium, quos nunc appellare huic placuit, numerum receptus nuper fuit.

Inſuper Vir Cl. FRANCISCVS VLRICVS THEODORVS AEPINVS, Phyſices Profeſſor, ab Auguſta Ruſſorum Imperatrice Collegiorum dicti Conſiliarii honore exornatus fuit.

Praeter hunc ab AVGVSTA Collegiorum dicti Aſſeſſoris dignitate cohoneſtatus fuit Vir Cl. IOANNES GEORGIVS MODEL, Petropolitanae iam Academiae Scientiarum Membrum Honorarium, Imperialium pharmacopoeorum primus, cuius de arte chemica praeclara omnino merita plus ſimplici vice praedicandi habuimus occaſionem. Annum ipſi quoque aſſignatum fuit ſtipendium mille nummorum vncialium.

Archiatri

Archiatri autem munus b. Cl. CONDOIDI obitu vacuum factum, nemini adhuc datum fuit. Eo interim funguntur Viri Cl. SINOPEVS et LERCHE, vterque Imperialis aulae Conſiliarius.

Scientiarum denique commemoramus Academiam feciſſe nuper iacturam in Viro Cl. MICHAELE KLEINFELD, Anatomiae Adiuncto, qui nuper die ianuarii triceſimo, vel ſi ad noſtros recentiores faſtos numerare velis, die februarii decimo, diem ſuum obiit ſupremum.

De Viri Cl. MARTINI FROBENII LEDERMÜLLER, cauſſarum huc vsque patroni Norimbergenſis, meritis circa phyſicam microſcopiorum ope illuſtrandam amplificandamque, aliquoties iam differendi gauiſi fuimus opportunitate. Iisdem ille ſuis laboribus ſingularem iniit gratiam apud Sereniſſimum Marchionem Brandenburgico Bareuthinum, FRIDERICVM, ita vt hoc in numerum ſuorum Iuſtitiae Conſiliariorum relatus ideoque Norimberga Baruthum euocatus fuerit.

Anno ſuperiore 1760 ſub initium menſis nouembris *Lugduni Batauorum* Vir optime meritus ac inſigne ſui deſiderium relinquens, obiit FRIDERICVS WINTER, Med. D. et in Academia Lugduno-Bataua Profeſſor Publicus Ordinarius, Sereniſſ. Arauſiom. et Naſſou. Principis, GVILIELMI quarti, ipſiusque Regiae viduae, ANNAE, vtriusque ſummam imperii Belgii foederati tenentis, dum viuerent, Archiater. Ortu Cliuus, anno huius ſeculi trigeſimo ſexto Francofurti ad Viadrum doctor medicinae creatus, *de motu muſculorum* diſputans, anno ſeculi quadrageſimo in gymnaſio illuſtri Herbornenſi Profeſſor Medicinae, poſt quatuor annos

annos Franequerae Medicinae et Chemiae Profeſſor conſtitutus, paulo vero poſt ad idem munus in academiam Leydenſem euocatus, inſignem ſemper habuit applauſum viroſque doctiſſimos e ſcholis ſuis dimiſit, ſimulque apud aulam Naſſouienſem eximia valuit gratia, longiorem omnino vitam promeritus: annum aetatis enim, dum ex hac vita diſceſſit, quadrageſimum modo octauum egit.

In archiatri munere ſecutus ipſum fuit Vir Cl. HIERONYMVS DAVID GAVBIVS, Med. D. eiusque ac Chemiae et Collegii Practici in Academia Lugduno-Bataua Prof. Publ. Ordinarius, Vir noſtra laude ſuperior.

Eodem quoque anno iam ſuperiore 1760 menſe decembri *Caſſellis* in Haſſia praematura ſatis morte orbi litterario ereptus fuit Vir Cl. IOSEPHVS LVDOVICVS ROGER, Med. Doct. Regg. Societt. Scientiarum Gottingenſis et Monſpelienſis ſic dictus Correſpondens, qui Gallorum exercitum hoc, quod tam diu proh dolor! ſaeuire pergit, bello ſequutus fuerat medicus atque ſpem, quam ex merito de ipſius eruditione ſibi fecerant viri docti, illo *de perpetua fibrarum muſcularium palpitatione ſpecimine*, nuper a nobis laudato *, confirmauerat.

Eſt omnino denique, cur doleamus mortem Viri et doctiſſimi et indefeſſo ſtudio clariſſimi, GEORGII LEONHARDI HVTH, Med. Doct. apud ciuitatem Norimbergenſem publice conſtituti ſic dicti Phyſici, Caeſ. Academiae Naturae Curioſorum Socii, qui nuper die februarii viceſimo quinto, a pulmonum morbo oppreſſus fuit *Norimbergae* anno aetatis quinquageſimo ſexto. Omni non ſolum

* vid. Comment. noſtr. Vol. IX. P. II. p. 234.

ſolum fidei, dexteritatis ac aſſiduitatis laude apud ciues ſuos medicinam fecit, ſed variis quoque ſcriptis, praeſertim vero non paucorum medici et phyſici argumenti librorum ex anglico atque gallico idiomate in germanicum verſorum translationibus, inter medicos Germaniae doctos famam atque applauſum meritus fuit.

Ex noſtratibus hic *Lipſiae* nuper obiit aetate confectus, ADAMVS FRIDERICVS PETZOLD Med. Doctor, Chemiae Profeſſor Publicus Ordinarius, Imperialis Academiae Naturae Curioſorum Socius. Natus is erat anno iam ſuperioris ſeculi ſeptuageſimo nono die menſis maii vigeſimo quarto Saydae, quod oppidum in extremis Saxoniae finibus illiusque tractu montano poſitum eſt. Patre vſus fuit FRIDERICO, qui ſenatui illius vrbis interfuit, et matre MARIA REGINA, ex gente KOENIGIA oriunda, a quibus parentibus ingenue multaque cura educatus, tam laetos in litterarum elementis progreſſus fecit, vt adoleſcens factus, illuſtre illud, quod Fribergae floret, gymnaſium cum fructu poſſet ingredi. Poſtquam ibi vltra quatuor annos in litteras et artes, quae ab humanitate dici ſolent, inſigni ſtudio incubuerat, muſicae ſimul, qua per omnem quoque vitam delectatus fuit, multum induſtriae impendens, verſus finem ſuperioris ſeculi, anno nimirum eius nonageſimo nono, in noſtram vniuerſitatem Lipſienſem ſeſe contulit. Ab initio vitae ſuae academicae philoſophum tum temporis hic loci celeberrimum, HARDTIVM, in ſapientiae ſtudio Doctorem ſecutus, medicorum deinde et fama et meritis illuſtrium frequentabat ſcholas, IOANNIS nimirum BOHNII, AVGVSTI QVIRINI RIVINI, CHRISTIANI LANGII et ANDREAE PETERMANNI. Quamuis nunc autem per quinque fere annos medicae artis fundamenta edoctus fuiſſet, pru-

denter tamen iudicans praecipitatum eſſe conſilium, ſi quis ex praeceptorum ſcholis modo egreſſus, illico ad aegrorum lectos aduolare morborumque curam in ſe ſuſcipere vellet, binos medicos, medicinae feliciter faciendae laude illo tempore praeclaros, KELLNERVM et GRIMMIVM ſibi elegit duces, quibus aegros curantibus adſtare indeque medicarum legum applicationem diſcere quorumque conſiliis ipſe in artis exercitio vti poſſet Itaque hoc modo bene praeparatus, vt artem faciendi conſequeretur poteſtatem, anno huius ſeculi nono academiam Halenſem petiit, quam praeter HOFFMANNVM, GEORGIVS ERNESTVS STAHLIVS illuſtriorem reddebat, ſub cuius viri praeſidio diſſertationem *de curatione morborum e fundamento* publice eodem anno defendens, Doctoris Medici honores ab ordine medicorum illius academiae conſecutus fuit. Lipſiam deinde reuerſus, aegrorum, ipſius auxilium implorantium, curam gerere non ſolum perrexit, ſed chemiae potiſſimum illecebris allectus, ipſiusque quoque ſingulari ſtudio vix non omne, a vita practica reliquum, tempus tradidit. Viri inde rerum chemicarum peritiſſimi laudem atque famam poſt breue temporis ſpatium adeptus et, vt artis tirones hanc edoceret ſcientiam, ab iis rogatus, lectiones chemicas publice habuit hacque ipſa ratione ipſius artis ambitum magis magisque emenſus fuit in eoque pro viribus amplificando deſudauit. Neque omnino negari poteſt, non ſolum bene calluiſſe *Noſtrum* hanc, quam prae aliis ſcientiis profeſſus ſemper fuit, ſcientiam, ſed varia quoque detexiſſe noua ad proferendos ipſius limites admodum vtilia viſa, quo praeter alia hoc quoque referre velimus, quod ſuccinum ita ſoluere potuerit, vt in modum KERKRINGII, celebris illius medici Danici, embryones, inſecta aliaque animalcula, eius ope condiendo a putredine praeſeruaret. Ea

quidem cuncta, quae nouiter habuit inuenta, cum orbe quidem erudito ſe communicaturum eſſe promiſerat; praeter aliquas tamen obſeruationes chemicas atque medicas, ad Academiam Naturae Curioſorum miſſas, nihil eorum fecit iuris publici, quae tamen forte nunc poſt ipſius obitum expectari poterunt. Interim a modo dicta Academia in applauſus teſtimonium anno ſeculi decimo ſeptimo ipſius ſocius nuncupatus, poſt quinque autem annos, vigeſimo nempe ſecundo, Chemiae Profeſſoris Publici Ordinarii dicti munere atque honoribus a Pot. noſtr. Rege cohoneſtatus fuit. Illi etiam tam diu, quam per vitae aetatisque vires licuit, ſatis facere ſtuduit; ſenectutis autem infirmitatibus oppreſſus per vltimos vitae annos otio honeſto ſe tradere coactus fuit, donec tandem die maii decimo ſeptimo anni huius, quem agimus, 1761 viuere deſineret.

Qui hactenus per varia ſcripta inprimis ad hiſtoriam medicinae litterariam pertinentia inter doctos medicos innotuerat, FRIDERICVS BOERNER, Medicinae Doctor et in Academia Wittebergenſi Profeſſor Publicus Extraordinarius, Academiae Naturae Curioſorum et Societatum Teutonicarum Goettingenſis, Ienenſis et Helmſtadienſis Socius, nuperrime etiam hic Lipſiae obiit die menſis iunii trigeſimo. Lipſia noſtra ipſi patria fuerat. Patrem enim venerabatur magni nominis multorumque meritorum theologum, CHRISTIANVM FRIDERICVM, qui *Noſtrum* ex DOROTHEA SYBILLA, nata GRAEVIA, ſuſceperat die iunii decimo ſeptimo anni huius ſeculi vigeſimo tertio. Poſtquam priuata optimorum praeceptorum inſtitutione fruitus fuerat, medicorum deinde ſcholas in Academiis Lipſienſi, Halenſi et Wittebergenſi frequentabat. Studiis tum academicis abſolutis, Brunſuigam abibat,

bat, vt medicinam ibi faceret. Paulo vero poſt Helmſtadium petebat, ibique Doctoris Medici honores atque iura conſequebatur anno huius ſeculi quadrageſimo octauo, diſſertationem inauguralem *de arte gymnaſtica noua* ſub praeſidio b. HEISTERI publice defendens. Quamuis nunc vero priuatis potiſſimum litterarum ſtudiis aetatem ſuam tradere conſtituiſſet, ab ipſa tamen praxi medica animus non abhorrebat. Eum in finem ſecedebat Guelpherbytum ibique mox ea gaudebat felicitatis ſuae parte, vt in amicitiam b. FRANCISCI ERNESTI BRÜCKMANNI, medici illius ciuitatis celeberrimi perueniret in eoque et fautorem rerumque ſuarum amplificatorem et ſocerum conſequeretur. Poſt aliquot autem annos mutabat animum et Vittebergam ſe conferebat, in cuius vrbis academia munus medicinam extra ordinem publice docendi a Potent. noſtro Rege ipſi demandatum fuerat, quod etiam die nouembris vigeſimo nono anno ſeculi quinquageſimo quarto auſpicabatur. Quum aduerſa autem valetudine premeretur, ante duos annos ab hoc munere ſe abdicabat et in patriam vrbem reuertebatur, donec tandem per phthiſin viribus exhauſtus, nuper exſpiraret.

Praecipua ab eo hactenus edita ſcripta ſunt ſequentia.

Commentatio de ALEXANDRO BENEDICTO, medicinae poſt literas renatas reſtauratore. Brunſuigae, 1751. 4.

Comment. de vita, moribus, meritis et ſcriptis HIERONYMI MERCVRIALIS, Foroliuienſis, ibid. eod. 4.

Comment. de vita et meritis MARTINI POLLICHII MELLERSTADII, primi in Academia Wittembergenſi Rectoris Magnifici et Profeſſoris Medicinae. Wolffenbütteli, eod. 4.

Comment. de COSMA et DAMIANO, artis medicae diis olim et adhuc hinc illincque tutelaribus, ibid 1752. 4.

Die gebährende Frau. i. e. Femina parturiens, ibid. eod. 8.

Super locum HIPPOCRATIS in iure iurando maxime vexatum meditationes. ibid eod. 4.

Bibliothecae librorum rariorum phyſico - medicorum hiſtorico criticae Specimen I. Helmſtadii. 1751. Specimen II. ibid. 1752. 4.

De AEMILIO MACRO eiusque rariore hodie opuſculo de virtutibus herbarum, diatribe. Lipſiae, 1754. 4.

De vera medicinae origine, potioribus eius ad HIPPOCRATIS vsque tempora incrementis. Programma. Wittebergae, 1754. 4.

Memoriae Profeſſorum Medicinae in Academia Wittebergenſi inde a primis illius initiis renouatae, Specimen I. Wittenb. 1754. 4. Spec. II. ib. 1756.

De ſtatu medicinae apud veteres Ebareos; Diſſertat. Reſp. *Samuel. Auguſt. Wagner.* ibid. 1755. 4.

Noctes Guelphicae ſiue opuſcula argumenti medici literarii, reuiſa et aucta; accedunt primitiae Wittebergenſes. Roſtochii et Vismar. 1755. 8.

Antiquitates medicinae Aegyptiacae; Diſſertat. Reſp. *Paul Faber.* Wittenb. 1756. 4.

Relationes de libris phyſico - medicis partim antiquis, partim raris. Faſciculus Imus. ibid. eod. 8.

Inſtitutiones medicinae legalis in vſum auditorum ſuorum adornatae. ibid. eod. 8.

Nachrichten von den vornehmſten Lebensumſtänden und Schriften ietzlebender berühmter Aerzte und Naturforſcher in und um Deutſchland. Erſten Bandes 1. 2. 3. 4. 5 *Zehend. Zweyten Bandes* 1. 2. 3. 4 *Zehend. Dritten Bandes*, 1. 2. 3. 4 *Zehend. Wolfenbüttel.* 1748-1756. 8.

XX. Me-

Memoria CAROLI AVGVSTI DE BERGEN, Medic. Doct. Path. et Therap. Profeſſ. Publ. Francofurti ad Viadrum. Acad. Imp Nat. Curioſ. et Reg. Scient. Berolin. Socius.

Quantum proſit ad litteras accurate cognoſcendas, eos, annos, qui diſcendo deſtinantur, non, vt vulgo fit, arctis finibus circumſcribere, ſed quam longiſſime huius temporis ſpatium extendere, et ipſa res docet, et exemplum eius viri, cuius vitam cum maxime deſcripturi ſumus. Praeterquam enim quod iuuenilis aetas, cui proprium creditur eſſe diſcere, neceſſario multarum rerum cognitione imbuenda eſt, quae nullam magnopere cum ipſa diſciplina coniunctionem habent, quarumque intelligentia rerum earum, quae diſciplina tractantur, cognitioni non admodum prodeſt, quamquam egregie adiuuat animum cum ad intelligendos libros, tum ad acuendam ſubtiliter cogitandi et perſpicue ſcribendi facultatem, hoc praeſertim in initiis diſcendis moleſtum eſt, quod plerumque nihil niſi ſententiarum ordo memoria comprehenditur. Quod etſi contemni non debet: tamen non ſufficit. Neque enim videri poteſt eruditus eſſe, qui alienis velut oculis videt, quod fere fit eo tempore, quo magiſtris operam damus, quorum fides et doctrina nos ad credendum recte impellit; ſed qui cohaerentes ſententias, quas edidicit, ipſe ſigillatim mente tractarit, qui multa earum cogitatione animum ſubegerit, vt et celerius arripere poſſit, et certius retinere, non memoriae vi, ſed iudicii ſubtilitate fretus, qui, quomodo res ex ſe aptae ſint, quid aut vitioſum ſit in concludendo, aut parum graue in docendo et confirmando, ſuo ipſe ſenſu iudicare didicerit, is demum vere poterit doctus, et ſui quidem arbitrii doctus, adpellari. Haec

autem res non paucorum annorum induſtria effici poteſt; ſed, quo maior erit animi facultas, quo acrior cogitandi contentio, quo ardentius denique ſtudium, quae omnia aetas adfert, eo erit etiam certior ſpes litterarum vere ſubtiliterque diſcendarum. Quod quidem beatus DE BERGEN recte iudicauit, quem paullo poſt narrabimus cognitis vulgari ratione initiis litterarum magnam etiam partem temporis ſubtiliori cognitione inſumſiſſe, antequam ipſe artem profiteri ſuſtineret. Sed ordine vitam eius exponemus.

Ac ſi quodammodo ceteris felicior dici poteſt, cui nobilis contigit patria, certe ea, quae vitae rationi, quam quisque ſecuturus eſt, maxime conuenit: vel hoc nomine felicia vitae initia habuit CAROLVS AVGVSTVS DE BERGEN, qui Francofurti ad Viadrum anno huius ſeculi quarto die vndecimo Auguſti natus eſt, quae quidem vrbs et viuendi humanitate, et litterarum celebritate ei multum profuiſſe videtur ad tantos doctrinae laudisque progreſſus faciendos. Sed hoc videri poſſit cum multis ei commune fuiſſe. Verum generis nobilitas, ſiue illa hominum opinione, ſiue ſua dignitate admirationem mereatur, eo maiorem huic viro adfert commendationem, quo pauciores omnis fere aetas tulit, qui cum natalium ſplendore laudem etiam ingenii doctrinaeque, multo maiorem atque veriorem, coniungendam putarent. Refertur enim eius gens ad auctores rerum geſtarum memoria ſatis nobilitatos. Quorum nonnulli quamquam ciuibus pace belloque profuerunt: tamen memoria eorum, ſi rem vere aeſtimemus, carior eſſe non debet, quam ſi qui ex eadem nati gente ab adminiſtranda republica ad litterarum otium ſe contulerunt, ne deeſſet huic genti, quo eius memoria omni modo conſeruaretur. Patre autem vſus eſt IOANNE GEORGIO, celeberrimo Medicinae Doctore et Profeſſore in academia Francofurtana,

Scholae-

Scholaeque Fridericianae Scholarcha meritiſſimo, quem dubitamus vtrum filio, eruditionis et vitae laude conſpicuo, plus delectatum dicamus, an filium eo patre ſibi feliciſſimum viſum eſſe, cuius diſcipulus eſſe poſſet. Matrem habuit CATHARINAM ELISABETHAM FREMANTIAM, honeſti mercatoris filiam. Etſi vero omni ratione adductus eſt a parentibus ad morum probitatem atque litterarum amorem: tamen ipſe ingenii viribus concitatus ſua ſponte celeriter procurrit, atque ſtatim ab initio optimam de ſe ſpem fecit. Fuit enim in vniuerſum tanta cupiditate diſcendi, tamque celeres habuit ingenii motus, vt omnes de eo puero maxima quaeque exſpectarent. Traditus eſt ſcholae Fridericianae praeceptoribus, quos ipſe ſaepe poſtea confirmauit ſumma fide in docendo vſos eſſe, et maxime adiutus eſt beneuolentia ſtudioque CLAASENII et MICHAELIS, Rectorum, quorum amor deeſſe non potuit ei, quem ipſis et ingenii celeritas et diſcendi aſſiduitas maximopere commendarant. Ab his ad academiae patriae Profeſſores venit, quod ipſi debuit eſſe longe iucundiſſimum, cum, quem habuerat domeſticum cohortatorem, eum nunc doctorem audire poſſet. Patri enim dedit operam, et praeter hunc GOELICKENIO, quorum vtrique poſtea ſucceſſit, et ſuo exemplo oſtendit, quam praeclara eorum fuiſſet diſciplina. Hanc autem eo facilius ſecutus eſt, poſtquam ab HERRMANNO acceperat mathematica. Iam etſi quinque annis hoc modo peractis probabili inſtructus erat rerum medicarum ſcientia: tamen cum ſe nondum ſatis profectum intellexiſſet, aut ſibi certe, niſi vlterius progrederetur, intra vulgares fines ſubſiſtendum eſſe, cumque ingenium viri et ſtudium hanc penuriam pati non poſſet: non ſolum plures annos diſcendo transmittendos ſtatuit; ſed adiungendam etiam eorum cognitionem, qui

 aliis

aliis locis eruditionis fama ornamento eſſent. Fuit enim haec fortuna viri, quod in ea tempora incidit eius vita, quibus ad ſummorum virorum et amicitiam et diſciplinam adplicare ſe potuit. BOERHAVIVM igitur, ALBINVM et GRAVESANDIVM qui potuit talis vir, qualis fuit DE BERGEN, non adire, etiamſi nihil niſi eorum fama eum ad viſendam academiam Lugdunenſem incitaſſet? Sed noluit eſſe otioſus eorum admirator, verum perficere eorum beneficio cognitionem, quam domi inchoarat, praeſertim anatomiae ſcientiam augere. Praeterea audiit eosdem enarrantes phyſiologiam, pathologiam, chemiam, botanicen, interfuitque ſcholis eorum, cum ex perimentis confirmarent, quae in phyſicis iam cognorat. Sed ne ſic quidem potuit incredibilis diſcendi cupiditas ſatiari, niſi eam quoque artem ſibi familiarem redderet, quae in ſumma difficultate tamen magnam haberet vtilitatem. Quare Pariſios adiit, vt eo loco Chirurgiam diſceret, in quo tamquam ſedem fixiſſet ea diſciplina, ibique BOVDONO, qui eo tempore principatum chirurgorum tenebat, adſidue adfuit et tradenti praecepta, et demonſtranti vulnerum deligandorum rationem in eorum corporibus, qui in publicis aedificiis publico ſumtu curantur. Iam cum multos in hoc genere ſuperaret: tamen et Argentoratum petiit, quod ibi commoda erat anatomiae diſcendae occaſio, atque ſe SALZMANNO et NICOLAI inſtituendum tradidit, eoque in loco ad annum ſeculi huius triceſimum commoratus eſt. In hoc igitur viro quis neget magnam fuiſſe doctrinam, qui et in academia patria tanto ſtudio ſe diſcendo dicauit, et, quicumque eſſent apud exteras gentes maxime celebres, eorum quoque inſtitutione vſus eſt? Argentorato cum rediret, acceſſit ad eas Germaniae vrbes, quas videre operae pretium erat, ei praeſertim viro, quem ipſa via ad haec loca deferret, atque ſic collectis vndique praeſtantiſſima-

tiſſimarum rerum theſauris patriae vtilis eſſe coepit. Sed ne qua re hoc ſtudium impediretur, accommodauit ſe ei conſuetudini, quae introducta eſt in terris imperio Boruſſico ſubiectis, atque Berolini Anatomen tractauit, qua re medicis conceditur poteſtas artis faciendae. Secundum haec Doctoris dignitate ornatus eſt Francofurti, anno 1731, vt, quem virum patria aluiſſet inſtituiſſetque, ei praemia tribueret, et ab eo fructum etiam caperet, qui omnis vnice ad patriam pertinebat. Huius honoris conſequendi cauſſa diſputationem propoſuit de *neruo intercoſtali* quam ſine praeſide defendit. Cum igitur doctrinae copia nec occultum pateretur eſſe hunc virum, et magnam de eo opinionem excitaret creatus eſt anno 1732 Profeſſor Extraordinarius Anatomiae in academia patria, quod munus auſpicatus eſt habita oratione de ſubtilioris anatomes vſu in cognoſcendis et curandis morbis, et anno 1738 patre mortuo Profeſſor Ordinarius Anatomiae et Botanices. Tandem anno 1744 ſucceſſit GOELICKENIO, ſuo olim praeceptori, et munus docendae Pathologiae et Therapiae accepit. Quibus omnibus muneribus tanta cum fide curaque praefuit, quantam ab eo exſpectare iubebat vitae integritas, et tanta cum vtilitate diſcentium, quantam facile promittebat multorum annorum vſu comparata eruditio. Eadem fide et integritate vſus eſt in fungendo munere Rectoris Academiae, quo honore quinquies ornatus eſt. Quod autem per omnem vitam habuerat propoſitum, vt maxime in anatomicis verſaretur, id non ſolum ex omni hac enarratione vitae ſcriptorumque eius intelligitur: ſed et ex amore, quo erga hanc diſciplinam flagrauit, quam vel hoc modo ſtudioſis commendare voluit, quod a rege Boruſſorum impetrauit, vt, quicumque in vicinia Francofurti vel ſupplicio interemti eſſent, vel in publicis aedificiis mortui, eorum corpora Francofurtum diſſecanda deportarentur. Idem amor

eum impulit, vt magnam exquiſitiſſimorum librorum anatomicorum multitudinem colligeret, quem admodum omnino ipſi egregia fuit librorum eorum copia, qui ad Botanicen et hiſtoriam naturalem pertinent, adiuncto magno inſtrumentorum phyſicorum numero. Quare ei facillimum fuit, cum quotidie anatomia occuparetur, etiam ſollerter inuenire, quae huic diſciplinae prodeſſent, e quo genere illud inſtrumentum eſt, quo caput in tot partes diuidi poteſt, quot eius oſſa ſunt. Optandum igitur eſt, vt longior vita ei contigiſſet, atque plura eius generis ab eo vtiliter excogitata eſſent. Sed cum vita etiam academiae Francofurtenſi erepta eſt vtilitas, quam ex ſcholis eius ſtudioſi capere potuiſſent. Inopinato enim quodam terrore ex hoſtium aduentu percuſſus eſt, quem paullo poſt celerius refrigerium excepit, quod dyſenteriae cauſſa fuit, cuius vis cum frangi nullo modo potuiſſet, morbo ſuccubuit die ſeptimo octobris anni 1760, vita omni et laudabiliter et vtiliter acta. Cum autem eum et patria ciuem, et academia doctorem viuum habuerit cariſſimum, mortuum memori animo conſeruet: nos quoque eumdem memoriae poſterorum commendandum exiſtimauimus.

Index ſcriptorum a Cl. DE BERGEN editorum:

Diſſ. de neruo intercoſtali pro gradu Doctoris. Francof. ad Viadr. 1731. 4.

Progr. de membrana celluloſa, non membrana. ibid. 1732. 4.

Progr. quo Anatomiae praeſtantia ab obtrectatoribus vindicatur. ibid. 1733. 4.

Progr. quo ventriculorum cerebri lateralium nouam ſiſtit tabulam. ibid. eod. 4.

Progr. quod de ſtructura piae matris inter alia nouam nec hactenus viſam tradit obſeruationem. ib. 1736. 4.

Diſſ.

Diſſ. de coalitu viſcerum. Reſp. C. L. *Weſſel.* ibid. eod. 4.

Progr. de motu cordis modoque, quo vires motrices eius ad calculum reuocantur. ibid. 1737. 4.

Diſſ. I et II. de perſpiratione viſcerum. Reſp. G. R. *Runge.* ibid. 1738. 4.

Progr. de neruis quibusdam cranii ad nouem paria hactenus non relatis. ibid. eod. 4.

Progr. de alchymilla incano folio fl. maiore baccisque circa radices eius reperiundis. ibid. 1739. 4.

Diſſ. III. de perſpiratione viſcerum. Reſp. G. A. *Wyſokinſky.* ibid. eod. 4.

Diſſ. de pulſu. Reſp. B. L. *Huckel.* ibid. 1740. 4.

Diſſ. de praecipuis controuerſiis medico-theoreticis ſyſtematis organicorum et mechanicorum cum earundem ἐπικρίσει. Reſp. G. A. *Wyſokinsky* ib. eod. 4.

Diſſ. de αἱματοσκοπία, ſiue iudicio medico, ex ſanguine per venaeſectionem emiſſo. Reſp. I. R. *Oerio.* ibid. eod. 4.

Diſſ. de palpitatione cordis. Reſp. L. D. *Herrmann.* ibid. eod. 4.

De methodo cranii oſſa diſſuendi cum machinae hunc in finem conſtructae delineatione. ibid. 1741. 4.

Diſſ. de vitando errore in diiudicandis phaenomenis antliae pneumaticae Reſp. I. C. *Lindner.* ib. eod. 4.

Diſſ. de inflammatione ſanguinea ex principiis anatomicis et mechanicis deducta. Reſp. I. F de *Haaſe.* ibid. eod. 4.

Diſſ. de conceptione foecunda. Reſp. T. S. *Heſſe.* ib. 1742. 4.

Progr. quod disquirit, vtri ſyſtematum, an Tournefortiano, an Linnaeano potiores partes deferendae ſint? ibid. eod. 4.

Diſſ. de morbo ſpasmodico conuulſiuo contagii experte. Reſp. I. M. F. *Müller.* ibid. eod. 4.

Diſſ. de lapide lydio medicamentorum bonae notae regni mineralis. Reſp. C. E. *Brumbey.* ibid. eod. 4.

Progr.

Progr. quod demonſtrat partium anatomes plures eſſe hactenus deſcriptis et ab auctoribus traditis. ib. eod. 4.

Diſſ. de abuſu et inefficacia terreorum. Reſp. Fr. E. *Ludeci.* ibid. 1743. 4.

Diſſ. de grauitate metallorum ſpecifica ſtatice et hydroſtatice explorata. Reſp. I. G. *Rammelsberg.* ibid. eod. 4.

Diſſ. ſiſtens pentadem obſeruationum anatomico-phyſiologicarum. Reſp. I. S. F. *Wideburg.* ibid eod. 4.

Catalogus ſtirpium indigenarum aeque ac exterarum, quas hortus medicus Academiae Viadrinae complectitur, in quo praeter ſelecta ſynonima generum, ſpecierum et varietatum limitationes ad mentem recentiſſimorum rei herbariae ſcriptorum examinantur. ibid. 1744. 8.

Diſſ. de lapide lydio medicamentorum bonae notae regni vegetabilis quoad radices, ligna, cortices herbasque. Reſp. I. A. *Weſſel.* ibid. eod. 4.

Diſſ. de venaeſectione grauidis ſuadenda. Reſp. C. *Krauſſe.* ibid eod. 4.

Diſſ. de lapide lydio medicamentorum bonae notae regni vegetabilis quoad fructus, ſemina, reſinas, gummi reſinas et gummoſa concreta. Reſp. C. A. *Oehme.* ibid. 1745. 4.

Tractatus de thermometris menſurae conſtantis. ibid. eod. c. tab. aen. 8.

Diſſ. de pilorum praeternaturali generatione et piloſis tumoribus. Reſp. C. C. *Wiel.* ibid. eod. 4.

Diſſ. de lapide lydio medicamentorum bonae notae regni animalis. Reſp. I. W. *Rammelsberg.* ibid. 1746. 4.

Diſſ. de lapide lydio medicamentorum bonae notae regni vegetabilis quoad ſuccos concretos, balſama et integras plantas. Reſp. I. *Reddel.* ibid. eod. 4.

Diſſ. de ſpina ventoſa. Reſp. C. G. *Bruckner.* ibid. eod. 4.

Oratio de Rhinocerote, quam habuit XVI. Oct. 1746. quum tertium poneret Rectoratum Academiae. ibid. 4.

Diſſ. de maculis punctulis et ſcintillis aliisque corpuſculis viſui obſeruantibus. Reſp. I. H. *Goedecken.* ibid. 1747. 4.

Diſſ. de dentibus, qui ſub nomine Hippopotami in officinis veneunt pharmaceuticis. Reſp. C. G. *Bruckner.* ibid. eod. 4.

Diſſ. de trachea. Reſp. F. W. *Wachter.* ibid. 1748. 4.

Diſſ. de febre quartana intermittente. Reſp. A. I. *Blume.* ibid. eod. 4.

Epiſtola de Alchymilla ſupina eiusque coccis ad FR. ERN. BRVCKMANNVM. ibid. eod. 4.

Diſſ. de fuligine. Reſp. G. A. *Iſaac.* ibid. 1750. 4.

Diſſ. qua probatur menſuram et proportionem corporis humani ſummam perfectionem et rigorem mathematicum non admittere. Reſp. I. F. *Geda.* ibid. eod. 4.

Diſſ. ſiſtens aphorismos de cognoſcendis et curandis infantum morbis. Reſp. I. S. *Schmid.* ibid. eod. 4.

Flora Francofurtana methodo facili elaborata. Accedunt cogitata de ſtudio botanices methodice et quidem proprio marte addiſcendae, terminorum technicorum nomenclator et neceſſarii indices. ibid. eod. 8.

Diſſ. de animalibus hyeme ſopitis. Reſp. F. *Heyn.* ibid. 1751. 4.

Diſſ. exhibens aphorismos de cognoſcendis et curandis mulierum morbis. Reſp. I. A. *Richter.* ibid. eod. 4.

Diſſ. de rubeolis. Reſp. I. F. *Beda.* ibid. 1752. 4.

Poſitiones phyſicae experimentalis in vſus academicos conſcriptae. ibid. eod. 8. (*Licet in titulo*

huius

huius libelli Cl. BERGEN *nomen ſuum reticuit, illum tamen eius Auctorem eſſe, ſatis conſtat*).

Diſſ. de lethalitate vulnerum hepatis. Reſp. R. F. *Riedel.* ibid. 1753. 4.

Diſſ. botan. de aloide. ibid. eod. 4. c. f.

Diſſ. de morbis auris externae. Reſp. F. G. *Schiebel.* ibid. 1754. 4.

Diſſ. de morbis auris internae. Reſp. I. A. *Diettrich.* ibid. eod. 4.

Diſſ. de Nyctalopia ſeu viſu nocturno. Reſp. A. M. *Bach.* ibid. eod. 4.

Diſſ. ſiſtens chronologiam formularum medicarum et remediorum chirurgicorum. Reſp. C. St. L. *Weſenfeld.* ibid. eod 4.

Diſſ. cosmeticae in artis formam redactae Spec. I. Reſp. M. *Maxai.* Spec. II. Reſp. I. C. *Elardi.* ibid. 1755. 4.

Diſſ. ſiſtens anatomiae experimentalis partem priorem. Reſp. C. St. L. *Weſenfeld.* Partem poſteriorem. Reſp. I. C. *Elardi.* ibid. eod. 4.

Diſſ. de exercitatione corporis primo ſanitatis praeſidio. Reſp. M. *Maxai.* ibid. eod. 4.

Diſſ. de phrenitide. Reſp. F. I. *Rohntien.* ib. 1756. 4.

Comment. de thermometris menſurae conſtantis. Norimb. eod. 4. c. F.

Diſſ. de balbutientibus. Francof. ad V. eod. 4.

Elementa anatomiae experimentalis. ibid. 1758. 8.

Diſſ. ſiſtens quaeſtionem ventilatam, cur dierum criticorum in morbis hoc noſtro tempore obſeruatorum non aeque, ac olim, ſit ſeries et ratio, certo deducta tenore. ibid. eod. 4.

Diſſ. de petaſitide. Reſp. B. C. *Malſch.* ibid. 1759. 4.

Claſſes conchyliorum. Norimberg. 1760. 4.

Exſtant, praeter haec ſcripta, plures obſeruationes, ex variis artis medicae doctrinis deſumtae, partim in Commercio litterario Norimbergico, partim etiam in Nouis Actis Academiae Naturae Curioſorum.

XXI. Con-

XXI.

Continuatio indicis ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1759 prodierunt.

Lettres intereſſantes pour les Médécins de Profeſſion, utiles aux Eccleſiaſtiques, qui veulent s'appliquer a la Médécine, et curieuſes pour tout le Lecteur. à Avignon, 8. Voll. 2.

Sammlung auserleſener Wahrnehmungen aus der Arzneywiſſenſchaft, der Wundarzney und der Apothekerkunſt. 3ter Band, aus dem Franzöſiſchen überſetzt. Frankfurt und Leipzig, 8.

Catalogue des Pieces d'Anatomie, Inſtrumens, machines etc. qui compoſent l'Arcenal de Chirurgie formé à Paris pour le Chancellerie de Médécine de Petersbourg ſous la Direction de M. MORAND. à Paris, 12.

Ausmeſſung des menſchlichen Körpers und der Theile deſſelben mit Kupferſtichen zum Gebrauch der Aerzte, Mahler und Bildhauer. Berlin, 8.

Kurzgefaßte Phyſiologie und Chirurgie. 2 Stück. Berlin, 8.

Nachricht von einem übelformirten Kinderkopfe, an welchem die Hauptbeine über einandergeſchoben waren. Berlin, 8.

Leben und beſondere Schickſaale eines wilden Knabens von 12 Jahren, der zu Barra, einer Schottländiſchen Inſel von zwey Aerzten gefangen und auferzogen worden. Ulm, 8.

Deſcription abregée des Maladies, qui regnent les plus communement dans les Armées, avec la methode de les traiter. Vienne, 8. (*Auctore Ill. van* SWIETEN.)

De recondita febrium intermittentium, tum remittentium natura, et de earum curatione, variis expe-

experimentis et obſeruationibus illuſtrata. Libri duo. Amſtelodami, 8. (*Auctore Ill.* SENAC.)

Dialoghi familiari ſcherzoſi infra Chirone Chirurgo, e lo Speciale di Poggibonzi ſopra la Storia Medica publicata da CARLO GANDINI ſotto nome di Diceofilo l'anno 1758. Livorno. (*Auctore* IOANNE ANTONIO VANNVCCI).

Saggio di Lettere apolegetico-critiche concernenti l'Arte ragionevole di medicare. Opera utile a quei medici, che una tal arte non cognoſcono, ed a quegl' Infermi, che ſono da eſſi ingannati; data alla Luce da Diceofilo medico, in Lucca, 4 min. (*Auctor eſt* CAROLVS GANDINI).

Traité des Tumeurs et des Ulceres, ou l'on à tâché de joindre à une Theorie ſolide, la Pratique la plus ſûre et la mieux éprouvée; avec deux lettres ſur la compoſition de quelques remedes, qu'on propoſe pour la gueriſon des maladies veneriennes. à Paris, 12. Voll. 2. (*A plurimis Cl.* ASTRVC *hic liber tribuitur*).

Recueil de pluſieurs Pieces concernant le Traité des Tumeurs et des Ulceres et l'Extrait qu'on en trouve das le Journal de Médécine de M. VANDER MONDE. à Paris, 12.

Lettre d'un ancien Profeſſeur en Médécine de la Faculté de Paris, à M. VAN DER MONDE, pour ſervir de Réponſe à la Lettre d'un Médécin de Province à un Médécin de Paris. Cette Lettre fait la troiſiéme Piece, d'un Ecrit intitulé Recueil de pluſieurs Piéces concernant le Traité des Tumeurs et Ulceres etc. à Amſterdam, 8 mai.

La Verolette, ou petite Verole volante. à Paris.

Di tre Specie d'Affezione iſterica e ipocondriaca, Trattato Theorico-Prattico; e conſulti del Sign. Conte D. SILVESTRO-ANTONIO PONTICELLI de Cartagnana. In Lucca. 8.

Lettera

Lettera reſponſiva intorno ad alcune Donne da certi Profeſſori preteſe galliche, e dallo Scrittore conſtantemente negate. in Lucca, 8 min.

Les Abus de la Saignée demontrés par des Raiſons priſes de la Nature et de la Pratique des plus celebres Médecins de tous le tems avec un Appendix ſur les Moyens de perfectionner la Médécine. à Paris, 12. (*Auctore Cl.* BOYER *D. Monſpel*).

Memoire ſur la maniere la plus ſimple et la plus ſûre de rappeller les noyés à la vie etc. à Paris, 8.

Dictionnaire Botanique et Pharmaeutique, contenant les propriétés des Mineraux, des Végétaux et des Animaux d'uſage avec les préparations de Pharmacie, internes et externes, les plus uſitées en Médécine et en Chirurgie: le tout tiré des meilleurs Auteurs, ſur tout des modernes par * * * à Paris, 8.

Le Manuel des Officiers de Bouche, ou le Precis de tous les Apprêts quel' on peut faire des Alimens, pour ſervir toutes les Tables ſuivant l'ordre des Saiſons et des Services. à Paris, 12.

Pharmacopoea pauperum in vſum noſocomii regii Edinburgenſis. Editio tertia. Edinburgi, 8.

Les Secrets et les Fraudes de la Chymie et de la Pharmacie modernes dévoilés par l'expoſition de pluſieurs pratiques nouvelles et importantes, pour tous ceux, qui ont intérêt de s'aſſurer de la bonté des remédes et de pouvoir les fournir à un prix raiſonnable: Ouvrage traduit de l'Anglois. à la Haye, 8.

Arzneyen. Berlin, 12.

Mediciniſcher Streit ſo über die Würckung des Ailhaudiſchen Pulvers in Frankreich entſtanden. Aus dem Franzöſiſchen überſetzt, 4.

Sammlung chirurgiſcher Bemerkungen aus verſchiedenen Sprachen überſetzt. 2ter Theil. Altenburg, 8 *m. K.*

Chymiſche Experimente einer Geſellſchaft in dem Erzgebürge 5 und 6tes Stück. Berlin, 8. Partibus omnibus nunc praefixus eſt communis titulus: *Sammlung 857 chymiſcher Experimente einer Geſellſchaft in dem Erzgebürge, darinnen alle die Erſcheinungen, welche man bey chymiſcher Bearbeitung verſchiedener Körper wahrgenommen, treu und aufrichtig angezeiget werden, nebſt einer Vorrede begleitet von* D. E. G. KVRELLA. *Berlin*, 8.

Inſtitutes of experimental chemiſtry: being an Eſſay towards reducing that branch of Natural Philoſophy to a regular Syſtem. By the Author of the Elaboratory laid open etc. Vol. I. II. London, 8 mai.

Verſuch diejenigen, welche den Stein der Weisheit zu erfinden trachten, durch Ausbrüche hermetiſcher Schriftſteller von Irrwegen abzuleiten. 2tes Stück. Franckfurt, 8.

Nieder - Sächſiſches Kochbuch oder 710 Anweiſungs-Regeln, wornach, ſowohl koſtbare als ordinäre Speiſen präparirt, auch Gartenfrüchte getrocknet und eingemacht werden können, nebſt Unterricht von Confituren. Altona, 8.

Der vollkommene Färber oder Unterricht zur Wollenfärberey und Manufacturen, wie auch zur Zubereitung der Hüte, worinn von allen Farben, und von dem Anbau und Zurichtung der Ingredienzen, die man dazu brauchet, gehandelt; aus dem Französiſiſchen überſetzt. Nebſt zwey Anhängen zweyer wohlerfahrner deutſcher Färber. Sorau, 8.

Des in der Chymie erfahrnen Münchs DE ABATIA *Verwandlung der Metalle und richtiger Wegweiſer zum Licht der Natur. Frankf. und Mannheim*, 8.

10.

IO. TRAUGOTT ADOLPH, Diſſ. inaug. de commodis ex ſcapularum mobilitate homini oriundis. Halae, 4.

F. V. T. AEPINVS. Tentamen theoriae electricitatis et magnetismi. Accedunt diſſertationes duae, quarum prior phaenomenon quoddam electricum, altera magneticum explicat. Petropoli, 4.

Reſebeskrifning öfwer Saxen af IONAS APENBLAD. Stokholm, 8.

PETRI ARDVINI animaduerſionum botanicarum ſpecimen. Pataui, 4. c. tab. aen. 12.

— — ARNOLD Progr de thermometri ſub campana antliae pneumaticae ſuſpenſi variationibus. Erlang, 4.

IOAN. ASTRVC, Quaeſt. med. an ſaccharum alimentum? Reſp. *Stephan. d'Huaume.* Pariſiis, 4.

SAMVEL AVRIVILLVS, Diſſ. de laeſo motu inteſtinorum vermiculari. Reſp. *Chriſtoph. Gadner.* Vpſal. 4.

Dictionnaire raiſonné et uniuerſel des Animaux: ou le Regne animal: conſiſtant en Quadrupedes, Cétacées, Oiſeaux, Reptiles, Poiſſons, Inſectes, Vers, Zoophytes ou Plantes animales; leurs propriétés en Médécine; la claſſe, la famille ou l'ordre, le genre, l'eſpece avec ſes variétés, ou chaque animal eſt rangé ſuivant les différentes méthodes ou nouveaux ſyſtêmes des Meſſieurs LINNAEVS, KLEIN et BRISSON: par M. D. L. C. D. B. Tome I. II. III. IV. à Paris, 4 mai. Voll 4.

Dictionnaire portatif de Santé, dans le quel tout le monde peut prendre une connoiſſance ſuffiſante de toutes les maladies, des differens ſignes qui les characteriſent chacune en particulier; des moyens les plus ſûrs pour ſ'en préſerver ou

Nn 3 des

des remedes les plus efficaces pour ſe guerir et enfin de toutes les inſtructions néceſſaires pour être ſoi-même ſon propre Médécin. Le tout recueilli des Ouvrages, tant anciens, que modernes, des Médécins les plus fameux, et augmenté d'une infinité de recettes particulieres et de ſpecifiques pour toutes ſortes des maladies. Par M. L ** et M. B ** à Paris, 8. Voll. 2.

A Treatiſe on the three different Digeſtions, and Discharges of the Human Body. And the Diſeaſes of their Principal Organs. By EDWARD BARRY. London, 8 mai.

IOAN. CAROLI BARSANTI Oratio inaug. de balneis. Piſis, 4.

IOBI BASTERI opuſcula ſubſeciua, obſeruationes miſcellaneas de animalculis et plantis quibusdam marinis, eorumque ouariis et ſeminibus continentia. Liber Imus. Harlemi, 4. c. f.

Prodiit idem liber eodem et tempore et loco Belgice verſus.

Fungorum agri Ariminenſis hiſtoria a IO. ANTONIO BATTARRA compilata, aeneisque tabulis quadraginta locupletata. Editio ſecunda nec aucta, nec imminuta. Fauentiae.

IO. WILH. BAVMER. Diſſ. de mineralogia territorii Erfurtenſis. Reſp. *Iac. Henr. Rittermann.* Erford. 4.

IOH. GOTTLIEB BECKMANNS *Anweiſung zu einer pfleglichen Forſtwirthſchaft, zum allgemeinen Beſten und als ein 2ter Theil ſeiner Verſuche von der Holzſaat herausgegeben. Chemnitz,* 4.

GODOFR. CHRISTOPH. BEIREIS. Progr. de vtilitate et neceſſitate hiſtoriae naturalis. Helmſt. 4.

LAVRENTII BELLINI opuſcula phyſico-medica ſelectiora, methodo mathematica expoſita. Editio quinta cum praefatione ANTONII MATANII. Piſis, 4.

CAROL.

CAROL. AVGVST. DE BERGEN, Diſſ. inaug. de petaſitide. Reſp. *Beniam. Conſtant. Malſch.* Francof ad. V. 4.

Traité ſur la nature et ſur la culture de la Vigne, ſur le Vin, la façon de le faire et la maniére de le bien gouverner. A l'uſage des différens Vignobles du Royaume de France. Seconde editio, augmentée et corrigée par M. BIDET; et revuë par M. DU HAMEL DU MONCEAU. Tom. I. II. à Paris, 12. Voll. 2.

SIMON. PHILIP. BIEYSSE, Theſ. med. de putredine. Monſpelii, 4.

IO. NEPOMVC. RVDOLPH. DE BINGEN, Diſſ. inaug. de carnoſitate veſicae morboſa. Altorf. 4.

Herbarium Blackwellianum emendatum et auctum. i. e. ELISAB. BLACKWELL collectio ſtirpium, quae in pharmacopolis ad medicum vſum aſſeruantur etc. cum praefatione CHR. IAC. TREW; excudit figuras pinxit atque in aes incidit NIC. FRID. EISENBERGER. ſ. *Vermehrtes und verbeſſertes Blackwelliſches Kräuterbuch u. ſ. w. von 476 bis 497 Blat illuminirt. Nürnberg,* fol. mai.

PHIL. ADOLPH. BOEHMER, Diſſ. inaug. de haemorrhagia ſuppuratoria. Reſp. *Ioan. Andr. Gerken.* Halae, 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de vtilitate paracenteſeos frequentioris in aſcite ſingulari caſu comprobata. Reſp. *Ioan. Buchholz*, ibid. 4.

HERRMANN BOERHAAVENS *gründliche Abhandlung von Augenkrankheiten und derſelben Cur, durch bewährte ſichere auch auf eigne Erfahrung gegründete Mittel und beygeſetzte Recepte. Zweyte vermehrte Auflage. Nürnberg,* 8.

Con-

Contenta in hac Parte.

1. Hiſtoire et Memoires de l'Academie Royale de Sciences de Paris, an. 1754 - - p. 371
2. TRALLES vſus opii ſalubris et noxius Sect. III. - - - p. 398
3. SCOPOLI Flora Carniolica - - p. 415
4. IACQVIN enumeratio plantarum ex inſulis Caribaeis - - - p. 424
5. DE HAEN Quaeſtiones ſuper methodo inoculandi variolas - - p. 426
6. TISSOT Lettre a Mr. DE HAEN en reponſe a ſes queſtions ſur l'inoculation - p. 430
7. DE HAEN Refutation de l'inoculation etc. p. 436
8. KESSLER Diſſ. de nonnullis ad variolarum inſitionem pertinentibus - - p. 438
9. VANDERMONDE, Iournal de Medecine, Chirurgie etc. Tom. IX et X - - p. 440
10. DE BERGEN, Claſſes conchyliorum - p. 458
11. DE HAEN, Theſes ſiſtenſtes febrium diuiſiones p. 462
12. HASENOEHRL, Hiſtoria medica morbi epidemici 1757 - 1759 - - - p. 471
13. STOERCK, annus medicus - - p. 475
14. HALLEN *Naturgeſchichte der Thiere. Die Vogelgeſchichte* - - - p. 486
15. HOME, Medical Facts and Experiments - p. 495
16. BARRY, a Treatiſe on the three different Digeſtions and Diſcharges of the Human Body - p. 506
17. PIZZORNO Orazione eccitatoria all' introduzione dell' ineſto de Vajolo, con l'aggiunta de' motivi del D. GANDINI - p. 518
18. *Fränckiſche Sammlungen. IVter Band* p. 524
19. CLERC Svenska Spindlar. Aranei Suecici deſcriptionibus et figuris aeneis illuſtrati p. 535
20. Noua phyſico - medica - - p. 541
21. Continuatio indicis ſcriptorum phyſico - medicorum, quae anno 1759 prodierunt - p. 561

COMMENTARII DE REBVS IN SCIENTIA NATVRALI ET MEDICINA GESTIS.



VOLVMINIS IX. PARS IV.

LIPSIAE MDCCLXI.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.
Venduntur etiam
Amſtelodami apud I. Schreuder et P. Mortier iun. Londini apud C.G. Seyffert, Pariſiis apud Briaſſon, Patauii apud I. Manfré, Venetiis in B. Albrizzi et S. Coleti officinis, Romae apud Venant. Monaldini.

I.

Verhandelingen uitgegeeven door de Hollandſe Maatſchappye der Weetenſchappen te Harlem. Vierde Deel. Te Haarlem by I. Boſch 1758. 8. 2 Alph. $15\frac{1}{2}$ pl. tab. aen. 6.

h. e.

Commentarii Societatis Scientiarum Harlemenſis. Pars IV. Accedunt plagulae 5 obſeruationum meteorologicarum.

1. *Interpretatio cap. Ieſ. XXVII, 2 - 13.* Auct. BERN. VAN. KOEVERDEN.

2. *Obſeruatio generalis circa inſertionem variolarum ad caſum ſingularem applicata* Auct. I. F. DRYFHOVT. Cl. Auctor in hac diſputatione ſuper variolarum inſertione tradit ea, quae ipſe in liberis ſuis obſeruandi opportunam habuit occaſionem. An. 1755 d. 9 menſ. April. filiae, decem annorum vna

cum filio, octo annorum, ea, qua opus erat, cautione, variolae a Pr. SCHWENKE et D. LIMBVRG inſerebantur. Filius ſtato tempore variolarum morbo, cum conſuetis ſymptomatibus coniuncto, corripiebatur. Quadraginta circiter variolae in eius corpore conſpicuae erant; in filia vix vna et altera, cuius tamen morbum ſequentia ſymptomata manifeſtabant. Quinto die poſt factam variolarum inſertionem, vulnera pure impleri videbantur, quod ſexto et ſeptimo die maius augmentum capiebat. Octauo die vulnera periculoſiora fiebant, pulſus celeriores erant, in humero dextro dolor tantus, vt impediret, quo minus brachium commode moueri poſſet. Nono die dolor paullulum imminutus; decimo aegrota filia non obſtantibus vulneribus hilari erat animo; donec decimo ſexto in integrum reſtituebatur.
p. 102. Magnum quidem profecto diſcrimen variolarum in his aegrotis liberis obſeruatum fuit, vt dubium videri poſſet, vtrum filia morbo varioloſo poſt inſtitutam inſertionem affecta fuerit, nec ne. Conatur tamen pater affirmare, inanem hanc inſertionem non fuiſſe, ſed filiam ſuam omnino variolarum morbo fuiſſe afflictam. Hoc animo quatuor hominum claſſes ratione huius morbi conſtituit; prima continet eos, qui a naturalibus variolis tantillo gradu afficiuntur, vt vix vna et altera in iis conſpici poſſit; altera claſſis eos complectitur, qui ordinario et conſueto modo ab hoc morbo corripiuntur. In tertia claſſe ſunt, quorum variolae ſunt confluentes, tamque periculoſae, vt aegroti vix a mortis periculo liberentur. Vltima eorum eſt, qui ob magnam variolarum vim ſemper morti
p. 106. traduntur. Cl. Auctor de prima tantum claſſe hoc loco exponit. Vt in hoc hominum genere variolae naturales non tam frequentes tamque acutae ſunt, vt potius nullo ferme periculo ſint coniunctae: ita,

quae

quae ex inſertione artificiali efficiantur variolae ſimilem effectum in eiusmodi hominibus producant; ſimilibusque ſymptomatibus ſint copulatae, neceſſe eſt. Quod patet ex variolarum inſertione in filiola facta, aliisque exemplis, quae Cl. Auctor ad illuſtrandam rem ex aliorum ſcriptis collegit. Filia nullo morbo ante inſertionem erat affecta, verum ſimulac ei variolae inſerebantur, omnia ea pati cogebatur, quae ſupra iam commemorata ſunt. Ex quo clarum eſſe intelligitur, horum incommodorum nullam aliam, quam inſertas variolas fuiſſe cauſam, atque filiam eodem variolarum morbo, quem in hominibus ſecundae, tertiae et quartae claſſis deprehendimus, minimo tamen gradu fuiſſe affectam. Ad quod accedit, quod ſymptomata p. 120. illa, quae in aegrota filia conſpicua erant, ſine omni dubitatione variolarum morbum, ex contagione inſertarum variolarum profectum, declarent. Porro in eo magna vis confirmandae rei poſita eſt, quod filia in eodem conclaui, quo filius a variolis correptus ſeruabatur, aegrota lecto inhaereret. Nec obiici poteſt, nulla eorum phaenomenorum, quae plerumque hunc morbum praegredi ſolent, eſſe obſeruata, v. c. narium ſtillicidium ſanguineum, vomitus, continuum pus in vulnere, cet. tenendum enim eſt, primum huius morbi gradum eiusque durationem in variis hominibus eſſe variam; deinde raro accidere, vt vna eademque ſigna ſine vlla variatione in omnibus ſingulisque hominibus appareant.

3. *Curatio herniae* Auct. THOM. SCHWENKE. p. 133. Piſcator, viginti annorum et validi corporis, ob magnum tumorem, inter inguina et ſcrotum dexteri lateris ortum, rei medicae peritos plures, vana tamen ſpe, conſuluerat: tandem Cl. Auctoris auxilium implorat. Probe examinata re, in tumore,

 ſarco-

ſarcoceli ſimili, duo vlcera ſatis profunda inueniuntur, vna cum inteſtinorum omentique, vt videbatur, prolapſu duorum pugnorum magnitudine. Operatio decernitur. Adhibita omni circumſpectione tumor aperitur. En inteſtinum colon, magnamque partem inteſtinorum tenuium prolabentem. Inteſtina admodum inflata et turgida. Hac in difficili re conſilium prius herniae medendae, quam tumoris abſcindendi, capitur. At, cum nimis aëre inflata eſſent inteſtina, inprimis colon, niſi ab aëre liberentur, difficillima fuiſſet
p. 137. eorum repoſitio. Quam ob rem colon acu pungitur; quo facto, inteſtinum ſe contrahit magnaque ſanguinis copia profluit. Inteſtina apte reponuntur, annulus turunda aliisque linteis ſiccis clauſus tenetur et ſarcocele, circa ſcrotum firmata, exſcinditur. Aeger dolore et ſanguinis profluuio debilitatus in lectum ponitur; corpus hypnotico recreatur et ad ſitim delendam lac et aqua adhibetur. Sequente nocte et die paſſim ſanguis ex inteſtino colo promanat; vndecimo ex arteria ſcroti magna proſilit ſanguinis copia, ſed adhibitis remediis ſanguinem ſiſtentibus, haemorrhagia ceſſat. Nunc aeger, valetudine recuperata bracherio felici ſucceſſu vtitur.

p. 141. 4. *Deſcriptio ſecundinarum cum tribus placentis vterinis* Auct. THOM. SCHWENCKE. Femina triginta circiter annorum, quae alioquin partus plures feliciter enixa erat, grauida denuo facta ventrem admodum turgidum gerebat, vt gemellos quilibet auguraretur. Sed falſe; conſueto enim tempore mater filiolam enixa eſt. Quae poſt enixum foetum expellebantur ſecundinae, ab aliis valde differebant; quippe inter duas ſatis magnas, ea ſcilicet, qua ſolent plerumque eſſe, craſſitie, placentas, interiecta erat tertia longe minor. Funiculus

culus vmbilicalis iuſto longior et craſſior, vni harum placentarum adhaerens; ex altera alius funiculus egrediebatur, qui priori ſtatim in principio erat inſertus. In vtraque placenta vaſa aere plena conſpiciebantur, omnesque placentae ſimul amnio chorioque inueſtitae.

5. *Interpretatio praecepti ſecundi Exod XX, 5. 6* p. 149. *& Deut.* V, 9. 10. Auct. I. L. MAGNET.

6. *De orthographia propugnaculorum diſputatio* p. 269. Auct. N. YPEY.

7. *Curatio capitis obſtipi deſcripta a* G. TEN. p. 293. HAAFF. Femina viginti annorum, cuius a prima iam pueritia collum ad ſiniſtrum latus ita reclinatum retortumque erat, vt caput, niſi totum corpus moueret, dextrorſum nunquam vertere poſſet, Cl. Auctoris auxilium implorauit. Hic rem attento animo conſiderans, cauſam incuruati colli eſſe muſculum ſterno - maſtoideum praeter naturam iuſto breuiorem et decurtatum exiſtimat. Quare feminae ſuaſit, vt diſſectionem muſculi inſtituendam permitteret. Haec recuperandae ſanitatis ſpe allecta annuit. Stato die aduenit et in ſella aliqua ſedens caput in viri pectus innititur, dum alii duo famuli eius manus firmiter tenent. Cute eo loco, vbi opus erat, inciſa, ſpecillo muſculus exploratur eique infigitur atque cultello muſculus, ea regione, qua clauicula ſterno annexa eſt, celeriter diſſecatur. His rite factis caput ab eo viro, cuius pectori innitebatur, in ſitum rectum vertitur. Adhibitis medicamentis ſanguinem ſiſtentibus omnis opera nauatur, vt caput directum ſitum in poſterum ſeruaret; hoc animo vulnus linteis carptis et ſiccis ſpongiis impletur eique vulgare emplaſtrum imponitur. Denique caput eo faſciarum genere,

quod ab HEISTERO, BASCH, aliisque deſcribitur, apte ligatur: prima deligatio quinto die poſt ſoluitur, in ſecunda digeſtiua et balſamica adhibentur. Vigeſimo die vulnus clauditur ſanaturque. Femina quidem ab omni colli declinatione liberata non eſt, in eo tamen felix putanda, quod nunc caput ſine moleſtia verſus vtrumque latus vertere valeat.

p. 305. 8. *Obſeruatio facta ſuper puluere, cui nomen a Duce Mirandolano*, Auct. H. D. GAVBIO. In diario, *Bibliotheque impartiale* dicto, mentio fit alicuius remedii aduerſus podagram, de quo TOVRNEFORTIVS refert, a sereniſſ. Duce Mirandolano ſemper felici ſucceſſu eſſe vſurpatum. Puluis eſt tenuis ex rad. ariſtoloch. gentian. fol. chamaedr. chamaepyt. centaur. min. compoſitus. Quantum vero ei ſit pretium ſtatuendum quaque circumſpectione in morbis arthriticis adhibendus, ex eo quodammodo patet, quod de viro quodam Cl. Auctor expertus eſt. Ille vir quadraginta annorum, vt ſaepe, ita nunc vehementer ab hoc morbo vexatus ex aliorum commendatione, dicto puluere vtebatur. En, dolores morbi leniuntur atque aeger a podagra ita liberatur, vt ab ea nunquam inpoſterum fuerit affectus. At in eius locum ſuccedit aliud incommodum magis periculoſum, reſpiratio ſenſim paulatimque difficilior, cum tuſſi ſicca coniuncta, facies pallida, lingua ſicca exalbicans, ſitis continua, vrina abundans, aquae ſimilis absque odore et colore et reliqua. Quo ſtatu aeger tamdiu manſit, donec aliquo die mane pone lectum, cum paulo ante ſine vllo mortis indicio cum famulo ſuo locutus eſſet, mortuus repertus eſt. Aperto corpore magna in pectoris cauitate aquae copia apparebat. Tertia pulmonum pars optimo colore, quae reliqua erat, pallido et albicante; porro haec affecta pars erat contracta, rugoſa, vt corium tenax, multis tuberculis piſi magni-

magnitudine conſerta, tactuque facile percipienda. Tuberculis iſtis diſſectis materies naturam calcis habens, glutinoſa, albicans profluebat. Cauſam horum tuberculorum Cl. Auctor quaerit in impedito illo arthritico morbo.

9. *Obſeruationes meteorologicae a medio Nou.* p. 315. *1756 ad finem Martii 1757 in Inſula* Curacao a CAR. DOERFFEL *inſtitutae.*

10. *Eiusdem obſeruationes morborum in inſula* p. 331. *Curacao graſſantium.* Initio menſis Ianuarii an. 1757 Europaei in Inſula *Curacao* commorantes febribus ardentibus corripiebantur, quae tam vehementes erant, vt, praeter magnum aeſtum, inquietudini ſummae, ſiti fere intolerabili, continuo vomitui, eſſent coniunctae. Haec ſymptomata ad quintum vsque diem perdurabant, quae excepit ſexto die virium laſſitudo vna cum lingua admodum ſicca, ſeptimo icteri genus, quo aegrotorum cutis in flauedinem vireſcentem mutabatur; vndecimo diarrhoea ſequebatur, quae cum ad decimum ſextum prope duraret, inteſtinorum magnam debilitatem efficeret. Quae adhibebantur remedia principio morbi erant venaeſectiones, antiphlogiſtica et rhabarbarina, in ipſo morbo refrigerantia, in fine corroborantia. Ii, qui inſulam incolunt, p. 333. alio morbi genere, ſcilicet febribus malignis, eodem anno et menſe afficiebantur. Morbum indicabant aeſtus magnus, pulſus interrupti, vomitus, anhelatio; praeterlapſis 24 horis quaedam febris intermiſſio ſequebatur, et paulo poſt denuo febris redibat; cutis maculis rubris variegabatur; in feminis hoc morbo affectis copioſa ſanguinis fluxio; ſic interruptis interuallis febris cum dictis ſymptomatibus redibat, in eius locum ſuccedebant conuulſiones et motus pedum ſpasmodici; et ſi febris plane

p. 335. cedebat, mors. Medio menſis Ianuarii nauis de Iamaica appulit, qui in ea erant nauigantes variolis laborabant. Omni quidem adhibita circumſpectione tamen impediri non poterat, quo minus morbus in incolas propageretur, licet ab an. 1750 ad an. 1757 a variolis omnes liberi fuiſſent. Praeter dictam febrem malignam alii febris catarrhalis petechizantis furori erant ſubiecti. Duae feminae turcicae primum hoc morbo affligebantur, quae, cum tertio die poſt, maculis rubris et flaueſcentibus eſſent conſperſae, quinto moriebantur. Duo milites ex terrore perculſi paulo poſt bilioſam materiem per os eiiciebant tam corrodentem, vt cubiculi area commaculata nulla arte potuiſſet purgari. Hos vomitus ſequebantur obſtructio hepatis, febris quotidiana, haemoptyſis et denique mors. Primo Februarii, quas iam diximus, febres ardentes, ſine diſcrimine hominum alborum nigrorumque, graſſabantur; febres tamen intermittentes magis erant regulares, nec tot variolas purpureas efficiebant. Menſe Martio illud morborum genus obſeruabatur, quod Dracunculum appellant; de quo ampliorem deſcriptionem Cl. Auctor in narrandis morbis menſium Nou. et Dec. tradere promiſit.

p. 346. 11. *De Iuda egregio teſte diuinitatis euangelii diſputat* C. C. H. VAN DER AA.

p. 376. 12. *Deſcriptio geminorum, quorum capita ſuperiori parte erant concreta Auct.* PETRO SANNIE. Femina, quae aliquoties iam pepererat, nunc nouum partum eniti conabatur. Partus difficillimus erat, tantaque aquae copia profluxerat, vt venter partum arctius amplecteretur. Cum femina itaque tanto dolore cruciaretur, partum geminum in lucem edidit, ſcil. duas puellulas, quae paulo ante mortuae fuerant, corpore validas et bene forma-

formatas, quarumque capitis vertices ſic concretae erant, vt vna alteri opponeretur. Pari ferme erant longitudine et craſſitie, a naturali magnitudine aliorum infantum recens natorum non diſcrepantes.

13. *Obſeruationes ſuper ſuffocatione et ſuffocatis Auct.* I. ENGELMANN. Puer ſeptem annorum in aquam incidit; poſt dimidium circiter horae extrahitur. Nullum vel ſenſationis vel vitae indicium in eo deprehenditur; neque ex naribus neque ex ore, quanquam exporrecti pueri caput paululum reclinatum fuerat, vlla aquae gutta exſtillat. Domi portatur puer, extractisque veſtibus madidis pectus eius linteis calefactis perfricatur, ſed ſine fructu. Os vt ante firmiter clauſum manet, ſed vi aperitur dentesque claue, ne amplius interni oris cauitatem clauderent, a ſe inuicem ſeparantur. At cuncta incaſſum adhibentur remedia; tandem fruſtum fiſtulae, quo ad ſugendum herbae nicotianae fumum vti ſolent, inteſtino recto inſeritur et per illam aër flando intruditur. Puer viuere incipit, ſuſpirat, aquam euomit, clamat, patrique quaerenti reſpondet; atque integram valetudinem recuperat. Hac commemorata re Cl. Auctor in illa remedia, quae in medendis ſuffocatis optima putantur, inquirit. Duo primum ſuffocationis genera refert eaque celeberrimorum Medicorum obſeruationibus, inprimis illuſtris HALLERI, confirmat, et ſequentia ex eis deducit: Illa tantum animalia, quae, priusquam in aquam prolaberentur, viua fuiſſent, aquam in arteriam aſperam inhauſiſſe; atque longiorem breuioremque vitae animalis durationem ſub aqua pendere ab eo, num profundius fortiusque aërem inſpiraſſent; quoque temporis articulo vltima perſpiratio facta eſſet; quanta aquae copia in arteriam aſperam ingreſſa; quae phaenomena cordis, pulmo-

p. 386.
p. 400.

p. 413. pulmonum, vaſorum ſanguiferorum? Cum in ſuffocatis ſanguinis circulatio impedita, pulmones ad reſpirandum incapaces, ſanguis in corde ſpiſſatus, ſyſtema neruorum compreſſum et ad ſentiendum ineptum, omnesque effectiones tam intrinſecae quam extrinſecae, quatenus a ſanguinis motu pendeant, interruptae inueniantur; magna cautio adhibenda, vt aeger, tanto mortis periculo expoſitus, ab eo poſſit liberari. Conſilii itaque eſt, ſi quam primum ſuffocatus in aedem propinquam portetur, ibi in loco calefacto a veſtibus madidis exoneretur et balneo ex aqua calida parato, ſi haberi poſſit, immittatur; ſin minus, linteis calefactis et bene ſiccis eius venter et pectus perfricetur, hisque omnibus perficiatur, vt aqua inſorpta ex arteria aſpera et oeſophago profluat. Quae cuncta, ſi rite facta ſint, videndum eſt, vt ſanguinis motus per orbem reſtituatur. Quem in finem commendat Cl. Auctor balneum ex aqua tepida, cui ſuffocati corpus ad collum vsque immergatur. Cauendum modo eſt, ne aquae calor calorem ſanguinis ſuperet. Corpus in balneo poſitum leniter fricetur, pectusque perſpirationis excitandae cauſa comprimatur; fricentur deinde articuli et venter. Eo caſu, quo nulla balnei parandi occaſio eſt, aeger denudato corpore in lectum calefactum hoc modo ſtatuatur, vt caput inferiori loco et ad latus reclinatum ſit. Quo facto duo robuſti et nudi viri vel vnus ſe ſuffocati corpori ſuperimponant eique calefaciendo, fricando, pectusque comprimendo auxilium praebeant. Ob aërem in pulmonibus quidem reſiduum ſed ad expellendam aquam ex arteria aſpera valde debilem, iuuat pectus ventremque vola manus fricare; vel aërem in inteſtinum rectum inflare; vel in os ſuffocati apertum animam inſpirare; vel gula follis ori aut naribus inſerta compreſſo folle aërem in pul-

mones

mones protudere; vel, quod melioris notae eſt adminiculum, e veſica bouina aëre turgida per fiſtulam ei alligatam aërem in pulmones pellere. Quodſi vitae aliqua ſigna in ſuffocato apparent, non p. 426.
ſine vſu eſſe putantur ſternutamenta, quibus facile, quidquid in arteria aſpera inſit aqua ſternutando expellatur; idem de ſpiritibus neruos irritantibus animumque recreantibus dicendum eſt. Poteris quoque eis commode ad perfricandum corpus vti. Clyſma optimum illud eſt ex fumo nicotianae, cuius ſupra iam mentio facta eſt. Quandoquae guttulae ſpiritus ammoniaci quaedam ſuffocati naribus inſtillatae vitam excitare valent. Verum praeter hoc p. 437.
ſuffocationis genus ſunt quoque alia, quae ab aliis cauſis proficiſcuntur, quorſum pertinet ſuffocatio illa, quae ex corrupta imminutaque aëris elaſticitate oritur; eiusmodi corruptionem efficere ſolent vapores ſulphurei, fulmina, vapores turfi, carbonum foſſilium candentium, cadauerum putrefactorum. Porro huc referri poteſt et illud ſuffocationis genus, quod ex debilitata muſculorum vi in reſpirationis negotio neceſſaria conſequitur; vt quandoque videre eſt in parturientibus, infantibus recens natis atque in iis interdum, qui ex vehementia riſus, clamoris, tuſſis reſpirationem intermittunt,

14. IOB BASTERI *diſputatio de nonnullis in-* p. 473.
ſectis marinis *.

15. *De futuro cometa, qui anno* 1682 *apparuit,* p. 490.
annotationes a IAN SCHIM.

16. *Breuis diſputatio de determinatione apparentis* p. 506.
planetarum loci, a CORNELIS DOUWES.

17. *De*

* Quam vid. Comment. noſtr. Vol. VIII. P. III. p. 535 ſeqq.

p. 513. 17) *De Colica Pictonum a* IOANNE GRASHVIS. Ante omnia lectores ſunt certiores faciendi hanc diſputationem continere ſolutionem problematis de colica pictonum a celeberrima ſocietate annis 1755 et 1756 propoſiti, quae prae aliis cum ea communicatis laudem et praemium eſt conſecuta. Ad ipſam diſputationem quod attinet, in prima parte repetuntur vere omnia, quae iam Cl. Auctor in peculiari libello: *tentamine de colica pictonum*, cuius etiam in commentariis noſtris mentionem iniecimus*, ſuper hoc morbo ratione indolis, ſymptomatum, et effectuum tradiderat; quare praetermittere hanc partem conſtituimus atque potius, quae in altera de remediis aduerſum hoc colicae genus diſputata
p. 563. ſunt, repetere. Sunt autem horum remediorum alia ſpecifica h. e. ſic efficientia, vt ſublati morbi modus non niſi difficillime poſſit explicari; alia communia, quae ex cauſa cognita proprietatibusque perſpectis contra morbum agant. Specificum remedium curandi morbi hactenus nullum exploratum eſt. Remedia communia vſurpantur vel intuitu morbi in ſe contemplati, vel cauſarum, vel aliarum rerum, quae in morbo accidunt. Morbus ſeparatim conſideratus conſiſtit in vehementiſſimis cruciatibus, qui duplicimodo poſſunt tolli, tum leniendo dolorem, cum liberando partes male affectas a tanto dolore. Ad leniendos dolores adhiberi poſſunt anodyna et ſoporifera; partibus dolore affectis medela fit, ſi attendimus ad cauſam illam proximam, ſi ſcil. minuenda eſt vis materiae cruciantis et ex corpore pellendae, id quibusdam purgantibus ſine incommodo fieri poteſt v. c. rhabarbaro in forma pulueris; manna in aqua hordei vel vino rhenano vel iuſculo carnis exhibita, ſucco pulpae caſſiae fiſtulae et tamarindorum, his adiungi poſſunt olea minuendae expanſionis cauſa. Reſi-

ſtendum

* vid. Comment. noſtr. Vol. II. P. II. p. 241 ſeqq.

ſtendum quoque eſt aëri inteſtinis incluſo, qui elaſtica ſua vi a calore excitata inteſtina diſtendendo vehementes dolores efficit; Praeter laudata remedia hic auxilium afferunt clyſteres ex carminantibus factae. Extrinſecus ventri adplicanda remedia ſunt p. 572. parietaria, verbaſcum, flores chamoemeli, meliloti, ſambuci cet. Porro lintea vino rubro, aqua reginae hungariae, ſpiritu menthae, aqua theriacali, vulneraria madefacta. Eo caſu, vbi inteſtina ex defectu muci naturalis ab acri materie laeduntur, remediis opus eſt, quae partim eius defectum ſupplent, partim hunc mucum ſenſim reſtituunt. Mucilaginoſa v. c. althaea, conſolida, malua, ichtyocolla, ſemina cydoniorum prius efficiunt; mucum vero reſtituunt corroborantia et conſtringentia v. c. decoctum corticis fraxini et tamariſci, millefolii et ſimilia. Quodſi dolor paululum ceſſet, omnis opera nauanda eſt vt genuinae cauſae explorentur. Primum quod hic in cenſum venit, eſt materies illa acris, quae vel in cauitate vel inter tunicas inteſtinorum haeret. Quae in cauitate ineſt materies vitioſa purgantibus vomitoriisque pellitur; ſin vero ea tunicis inhaereat, paulo difficilior erit curatio; ſunt tamen in laude purgantia et vomitum excitantia, quibus efficitur, vt humorum circulantium motus in inteſtinis reſtituatur. Deinde cauſae remotae inueſtigandae ſunt, quarum vis, pro vt natura cuiusque id exigit, debilitanda eſt; aliter enim procedendum erit, quando animi commotio, vel frigus vel procelloſa et ingrata tempeſtas, labores intenſi; aliter, quando febris continua, intermittens, bilis corrupta, arthritis, catarrhus, ſcorbutus, melancholia, ſcabies excitati morbi cauſa eſſe videtur. Sed quaeritur, cur in Hollandia p. 600. haec pictonum colica ſit tam frequens, cuius quaeſtionis duplex reſponſio eſſe poteſt, et prima quidem ea, quod hoc morborum genus olim ſatis

cognitum,

cognitum, nunc ſub nouo tantum aliquo nomine innotuit; altera, quod, qui olim non tam frequens erat morbus, nunc ob varias cauſas frequentior redditus eſt. Nouum eſſe morborum genus antiquis plane ignotum profecto probabile non eſt, ſiquidem veteres eius ſub alio quidem nomine mentionem fecerint. Ergo morbus, qui olim non tam late ſerpebat, nunc plures homines corripit ob duplicem cauſam; quarum prima quaerenda eſt in mutata mortalium corporis conſtitutione; ſecunda in aliis rebus externis corpus afficientibus. Iam nemo forſitan erit, qui tam mutatam eſſe corporum humanorum naturam ſibi perſuadeat, vt ante aliquot ſecula et plus nulla huius excitandi morbi cauſa interna valida fuiſſet; ſupereſt itaque cauſa illa, quae in rebus externis corpus afficientibus poſita eſt; harumque rerum praecipuae eſſe poſſunt immenſae vini potiones, inprimis vina mangoniſata, aliaque potuum genera feruentis ardentisque naturae, quale hoc eſſe ſcimus quod ab Anglis *Punch* appellatur; porro abuſus e thea coffeaque parati potus; deinde aqua pluuialis per canales plumbeos ducta. Forſitan nimius fumi herbae nicotianae ſugendi vſus atque vaſa ex cupro confecta vel in excitando vel augendo hoc morbo aliquid conferre valeant.

Relationes ad celeb. Societatem factae hae ſunt:

1. *Curationem duarum virginum mutarum refert*
p. 3. IOSVA VAN IPEREN. Virgo quaedam honeſta, iocoſe faceteque dictis valde delectata, ſe iis in medium prolatis nunquam a riſu vehementiſſimo continere poterat; aliquo die, cum quidam vir, natura hilaris, iocoſe aliquid pronunciaret, tantum riſum concitauit, vt ea paulo poſt omnem diſtincte loquendi vim amitteret. Quae adhibebantur remedia

remedia exquiſitiſſima nihil efficiebant. Aliquot menſibus poſt accidit, vt idem vir iocoſus cum hac virgine conuiuio intereſſet. Virgo ad iocandum quidem prona, ſed ex vitio linguae impediebatur, quo minus hilarem animum declararet, attamen per iocoſe dicta huius viri ad riſum immoderatum rapitur, et quod maxime mireris, facultatem clare loquendi recuperat. At infelix virgo ſequente die iterum in hunc morbum incidit. Mercator quidam, cuius filia ſimili loquendi vitio laborabat, decreuerat iter aliquod negotii ſui cauſa inſtituere; hic ex medico quaerit, vtrum periculum ſit timendum ex eo, ſi filiam ſecum duceret. Reſpondet medicus, quod nullum. Mercator vna cum filia ſua proficiſcitur et filia linguae valetudinem recuperat. Hanc, cum mira eſſe videretur, ſanandi artem imitari decernunt virginis ſupra dictae neceſſitate coniuncti. Virgo cum aliis honeſtis feminis vehitur; multique, vt a feminis fieri ſolet, ridiculoſi ioci in medium proferuntur, ſed ſine effectu. Tandem vna cognatarum eam ſic alloquitur: profecto, te diſtincte locuturum eſſe, autumo! Sic eſt, illa inquit, ego mihi perſuadeo iam ita loqui. Ex quo temporis momento ea ab hoc loquelae vitio liberata eſt.

2. Cl. FVVN, qui iam altero tomo horum * commentariorum remedium aliquod aduerſus morbos arthriticos commendauerat, nunc aliam curationem doloris vehementiſſimi in patella breui tempore feliciter mediante oleo Coeliban inſtitutam commemorat. p. 21.

3. *Summa cuiusdam epiſtolae a* IOB BASTER *cum Cel. Soc. communicatae.* Vir quidam aliquo die poſt meridiem ſcribens dolores in vmbilico ſentit; dolores interruptis interuallis ſequente die ſimili occaſione p. 26.

* vid. Comm. noſtr. Vol. VIII. Part. III. p. 387.

occaſione redeunt, et ſic tertio quartoque; quinto mane humida quaedam materia vmbilicum circumquaque ambit, aeger eam examinando inuenit eſſe ſpinaciam, quam antecedente die comederat. Vmbilicus magis tumeſcit. Sequente die dolor punctorius vehementior fit cum inflammatione coniuncta. Veſperi aeger vmbilicum manu fricans premensque tactu percipit in eo corpusculum, quod remota manu, proſilit et in terram prolabitur. Vnus ex phaſeolis albis erat, quos prandio praecedentis diei comederat. Dolor continuat hoc et ſequentibus diebus atque humor tenuis ex vmbilico exſtillat. Poſt tumor pure impletur, purulenta materies magna copia profluit atque tumorem cruſta obducit. Cruſta cultello abſcinditur. Dolor aegrotum ſic cruciat, vt chirurgi auxilium implorare cogatur. Ille vnguentum ex oleo oliuarum, ſaccharo et vino aduſto praeparat et turundam hoc vnguento illinitam vmbilico imponit. Doloris cruciatus imminuuntur. Aeger his turundis per aliquot hebdomades vtitur. Loco purulentae materiei interdum guttulae quaedam ſanguinis promanant. Vlcus clauditur atque vmbilici aucta magnitudo decreſcit. Menſe poſt aeger febri corripitur. Propter magnum ſudorem tenax materies purulenta ex vulnere antiquo egreditur. Suaſu Cl. BASTERI vlceri tinctura myrrhis cum melle roſarum infunditur et deinde balſamus ARCAEI. Quo efficitur, vt nulla talis materies febris paroxysmo in poſterum prorumpat. Sequentibus menſibus pili propullulant; interdum materies illa tenax in conſpectum venit, quae ſenſim fluidior euadit, tandemque omnis euaneſcit. Ceſſant dolores, ceſſantque alia incommoda.

p. 34. 4. Scriniarius quidam nomine IOOST SCHVT ſerrando truncum pomi aut pruni reperit in quibusdam ſeparatis orbiculis varias rerum imagines

V. C.

v. c. vrbes repraeſentantes; quas cum cel. Societate communicauit.

5. Illuſtris praeſes huius ſocietatis VAN SYPESTEIN tradit ea, quae ſuper metamorphoſi auenae in ſecale vel triticum obſeruauit. Experimentum quidem, quod inſtituit ex omni voto, ob vehemens frigus, quod ſemina terrae commiſſa corruperat, non ſucceſſit; obtinuit tamen hoc, vt e quinque, quae ſuperſtites erant, plantis, loco auenae, ſecalis ſemina colligeret. p. 36.

Obſeruationes meteorologicae Suaneburgenſes annorum 1746. 1756. 1757.

II.

IOBI BASTERI Med. Doct. Acad. Caeſ. Societ. reg. Lond. et Holland. Socii. Opuſcula ſubſeciua, obſeruationes miſcellaneas de animalculis et plantis quibusdam marinis eorumque ouariis et ſeminibus continentia. Liber ſecundus. Harlemi, apud Io. Boſch. 1760. 4 pl. 12. tab. aen. 4.

Libellus hic eſt continuatio, de qua iam fidem in priori libello * Cl. Auctor dederat. In eo, qua ſolet induſtria et diligentia, diſputat de zoophytis, oſtreis, cancello, ſcolopendra maiore, ſerpulis ſiue vermibus tubos lapideos incolentibus, doride ſiue limace marina ſpinis mollibus hirſuta, hirudine piſcium, eſchara lapideſcente, aſcidio, audituque piſcium. *Zoophytorum* mira eſt definitio, quae enim plantarum et animalium docentur proprietates, quanquam valde inter ſe diuerſae ſunt, ambas in hoc conditarum rerum genere Cl. Auctor reperit; radice

* vid. Comment. noſtr. Vol. VIII. Part. III. p. 535.

corpori cuidam adhaerent, quare augmentum plantarum more capiunt; conſtant corpore organico, ſentiunt percipiuntque et ſua ſponte motus quosdam exercere valent, quamobrem animantium illa eſſe in numero, ſtatuendum eſt. Cl. LINNAEUS duo zoophythorum ordines conſtituit, quorum alter duriora ſiue lapidea, alter molliora complectitur. Harum naturam et originem, quantum potuit Noſter inueſtigauit; primo monet, quas LINNAEVS corallinas proprie ſic dictas zoophytis adnumerat, eſſe plantas e conferuarum genere; nam in earum apicibus nulli polypi conſpiciuntur, ſemina vero cellulis incluſa ad modum plantarum marinarum producuntur. *Penicillus* LINNAEO corallina eſt, ſed a corallinis ita alienus, vt potius ſit vermis ex ſcolopendarum genere, tubum inhabitans. In ſertularia aliter ſe res habet, initio enim perfectam vegetationem aemulantur, velut germen ex matre propullulant, ramulorum more creſcunt et ad maturitatem perductae decidunt, lapidique, conchae aut alii corpori affiguntur. Ergo ſola huius ouuli teſta vegetantis naturae eſt, et quod huic ouo ineſt, ad animantia pertinet, quod ſimili modo eodemque creſcit tempore, in ramulos diſtribuitur, vbi tandem alii flores ſeu rectius polypi adſpectabiles veniunt, qui ſuo tempore ſuum ſemen, vel ſi mauis, ouula gignunt. Ex quo intelligitur, quo pacto poſſis de zoophytis contendere, ea, vt reliquae plantae omnes, augmento et proceritate augeri; ſola medulla excepta, quam animal eſſe tibi perſuadere debeas. Quodlibet ergo zoophyton ex peculiari ſemine vel ouo ortum ſuum trahit et quamdiu viuit, moles creſcendo augetur.

Oſtrea, e concharum biualuarum ſunt genere: LINNAEVS omnia, quae hactenus cognita ſunt, oſtrea ad nouem et viginti ſpecies redigit; ex quibus Cl. Auctor tantum eam deſcribit, quae

quae britannica ſeu vulgaria oſtrea ob gratum et iucundum ſaporem ſatis cognita complectitur. De his iam commemorat, quod, ſi ſub finem maii aut iunii initium aperiantur, ſuccus quidam lacteus in eis quandoque reperiatur, qui microſcopii ope adſpectus ex ingente ouulorum numero conſtare videtur. De oſtreorum ſexu magna eſt ſententiarum varietas. Cl. Auctor ea vtriusque ſexus eſſe arbitratur, quia oſtrea, ſi mares eſſe ſtatuas, plane impedirentur, quo minus ad femellam accederent eamque foecundare poſſent. Iulio et auguſto viua iam oſtrea a matre intra branchias excluſa inueniuntur; quo facto lapidibus aliisque rebus adnexa ſenſim paulatimque creſcunt. Tenera haec oſtrea decem circiter menſium aetate aprili aut maio colliguntur et ſequentem in modum feruntur: biennia oſtrea vel triennia vel alia, quae ob paruitatem ad cibum parandum minus apta ſunt, in mari iis ſparguntur locis, quae ab harum rerum intelligentibus idonea putantur, vadaque oſtrearia vt plurimum appellantur. His modo dictis oſtreis et alia adiunguntur tenera, quae pullitiem (*Broed*) vocare ſolent. Oſtreorum aetas ex valuis et inprimis caua teſta facili modo colligitur; quotannis enim nouo quaſi margine ornantur; ſic trienne oſtreum duo eiusmodi margines teſtulae primi anni circumiectos adeptum eſt. Atque hinc facile perſpicitur, cur oſtrea ad cibum apta quatuor aut quinque annorum eſſe oporteant. Vt vniuerſae cochleae et conchae marinae ſuis cum teſtis naſcuntur, ita quoque tenerrima iſta oſtrea teſtis ſuis microſcopio diſcernendis inſtructa inueniuntur. Mira tamen res eſt, quod, quae in aliis animantibus oſſa obducit caro in oſtreis veſtita ſit oſſibus. Creſcente iam oſtreo, creſcit etiam teſta ex ſtratis compoſita, quorum infimum cum ipſo animalis corpore connexa eſt. Oſtreum vix duorum annorum aetatem

implens iam foecundum eſt; in his quandoque ſemen repertum, in triennibus tamen et quadriennibus longe maiori copia, ita vt ſingulum oſtreum aliquot centena oſtreolorum millia progignere poſſit. Quomodo oſtrea valuas aperit et apertas contrahat Cl. Auctor egregie docet, dignaque eſt explicatio, quae legatur. Tradita hac de oſtreis deſcriptione paucis verbis medicae ſalutaresque eorum vires ſubiunguntur.

Cancellus, quem nunc deſcribit atque inſectorum marinorum cuculum appellat, mirabile eſt animal. Simulac viuere incipit, eremitarum more vagatur primamque vacuam teſtam ingreditur. Hoc in cauſa eſt, cur ab aliis eremita, ab aliis miles vocetur. Creſcente hoc cancello concham ſuam anguſtam relinquit, et commodiorem ampliоremque quaerit. LINNAEO duplex eſt cancellorum genus, alterum vulgo *Bernhardus*, alterum ab eo *Diogenes* dictum. Cl. Auctor, quo melius debeant a ſe inuicem diſtingui, vtrumque hoc modo deſcribit: *Aſtacus trunco ſubrotundo, thorace laeui, manibus pedibusque ſubuerrucoſis, ſcabris; in Europa frequens dextramque manum plerumque habet maiorem. Aſtacus, trunco ſubnudo molli, manibus pedibusque piloſis ſiniſtra maiore. Hic in America ſeptentrionali, Iamaica et India orientali inuenitur.*

Cancelli aſtacorum more in inferiore corporis parte oua gerunt; dubia vero res, vtrum aſtaci oua inter pedes geſtata, deponant, an inter pedes ipſos, vt in ſcorpionibus obſeruatur, excludantur. *Scolopendrae* maioris tubulariae Cl. Auctor a piſcatoribus e mari germanico allatae particeps factus fuit. Primo adſpectu velut tubus fuſcus, cinereus, membranaceus, decem prope pollices longus apparebat. Horum tuborum quosdam gabatae fictili candidae marina aqua limpidiſſima repletae impoſuit; quo facto, conſpexit ſuperne pilos prodeuntes,

qui

qui tubo compreſſi, penicilli formam egregie exprimebant. Pilis his vlterius protuſis capitis pars ita emergebat, vt inter pilos in duo brachia expanſos vlterius exſurgeret. Exiguae tum plumulae in variis animalibus diuerſi coloris in conſpectum veniebant. Vermium ex tubis extractorum latera glauci coloris, dorſum intermedium albi flaueſcentis, totaque longitudo in parua diſtributa quadrata. In vtroque animalis latere vltra centum pedes conſpicui, rependo aut natando inſeruientes; tuborum externae ſuperficiei magna inaequalitas, interna valde polita et laeuis; tertia parte tubi animalis longitudinem ſuperant, inferiori parte patentes. An apertura haec eis a natura ſit data ad excrementa eiicienda, nondum conſtat. Animal ipſum nec ad corallinas, neque ad aliud polyporum genus pertinet, ſed potius ſerpulis adnumerandum eſt. *Serpularum* ſiue vermium tubos lapideos incolentium Cl. Auctor tria genera deſcribit, primum quod LINNAEVS ſerpulam ſpirorbem, alterum ſerpulam triquetram et tertium ſerpulam arenariam dixit Caput primi generis coccineum eſt vtrinque plumis duabus ornatum, inter quas ſe membrum caliculo ſimile extendere poteſt; collum cinerei coloris, reliquum corpus aurantii; in vtroque latere decem pedes; interdum extremo tubi margini annulus coccineus, quem ex magna globulorum minutiſſimorum copia conſiſtere Cl. Auctor exiſtimat. *Doris* ſiue limax marina ſpinis mollibus hirſuta deforme eſt animal, aſpectuque foedum. LINNAEVS ſpeciei huius, quam noſter deſcribit, nullam ſub genere doridum fecit mentionem. Animal ipſum quatuor gerit cornua, duo alba anteriora maiora, inferiore capitis parte, et duo fuſca in dorſo. Os ex octo quaſi globulis compoſitum eſt rotundis, quod, ſi opus eſt, ample aperire valet. Immenſum ouulorum numerum

martio menſe parit. Ouarii fruſtulum, vt aliorum inſectorum marinorum, diuerſis interuallis octo aut pluribus ouulis conſtat. *Hirudo* piſcium ſe piſcibus et inprimis raiis affigit, quibus tam firmiter ſugendo adhaeret, vt difficulter ab eis poſſit ſeiungi. Forma capitis et caudae ferme eadem, et cum hac tum illo ſe rebus quibuscunque affigere valet, propter figuram illam vngulae equinae ſimilem, qua vtrumque gaudet membrum. Oua menſe maio ponuntur ab eis, quae dulci aqua reperiuntur, tribusque hebdomadibus praeterlapſis pulli excluduntur. *Eſchara* lapideſcens, conglomerata, foliolis tenuibus, criſpis, coadunatis, ſimplicibus, nec in ſpecierum numero, quas LINNAEVS enarrauit, deprehenditur, neque ab alio vnquam deſcripta eſt; habitat in ſubſalſis aut ſalſis foſſis atque arundinibus aliisque plantis in magnam molem conglomerata adhaeret. Aqua extractae eiusmodi eſcharae vt reliquae omnes multis polypis ſunt obſitae. Ad zoophyta pertinere Cl. Auctor opinatur; verum quae ſit horum animalium origo, quaque aetate ad hanc magnitudinem perueniant, hactenus nihil definiri potuit. Vltimum animal, quod deſcribit, *Aſcidi* nomine inſigniuit. Ad ſextam animalium claſſem molluſcula continentem ſecundum ſyſt. nat. LINNAEI pertinet, ſed ab eo haec ſpecies inter quatuordecim, quas recenſet, nominata non eſt. Sunt autem characteres huius aſcidii hi: *Corpus ouatum eſt inſtar veſicae, nudum ſine teſta et cruſta, tactu molle inſtar alutae, atque in ſuperficie multis minutiſſimis, nudi oculi aciem fugientibus, punctis veluti hamulis inſtructum, quibus ligneis emiſſariorum valuis ſe affigere poteſt. Corpus hoc in duo breuia brachia ſiue tubos deſinit, in fine apertos, quorum margo exterior minutis punctis obſita eſt. Pedibus aliisque artubus externis plane deſtitutum eſt.*

Praeter

Praeter has proprietates nullae aliae, ex quibus coitus modus, generatio et alia intelligerentur, erui poterant. In lagenis vitreis aſſeruata haec animalia plane nullum motum edebant, niſi quod per apertos illos tubos, quos extendere retrahereque valebant, aquam imbiberent; Diſſecta intus magnam cum oſtreis affinitatem habent; multo tamen molliora ſunt et viſcoſiora. A cute integra, cuius ſuperficies interior laeuiſſima eſt, ſine impedimento liberantur. In fine huius libelli ſoluitur illuſtris illa et perdifficilis de piſcium auditu quaeſtio. Traditis eis, quae ab aliis celeberrimis viris ſuper hac re in vtramque partem prolata ſunt, Cl. Auctor eorum ſententiam, qui piſcibus auditus quoddam genus attribuunt, amplectitur. Piſces enim, arbitratur, eodem modo ſub aqua audire, quantum ipſis ad inſtans periculum effugiendum et forte ad alios ſonos, mutuo ſono edito, percipiendos opus eſt.

III.

IO. IAC. HVBER, Anat. et Chirurg. Prof. Seren. Landgr. Haſſ. Conſiliar. Aulic. et Archiater, Aulae Bad. Durlac. Medicus, Facultat. Med. Patriae, quae Baſileae eſt, Collega, Acad. Caeſar. Nat. Curioſor. Londin. Societ. atque Helueticae Sodalis labores ſuos aeſtiuos indicit iisque obſeruationes aliquot anatomicas praemittit. Caſſeliis, 1760. 4. pl. 5. p. 2. typis Henr. Schmiedt.

Ad labores chirurgicos, poſt diuturnum otium ex belli calamitatibus natum, inchoandos, programmate hoc inuitatorio nouos conuocat chirur-

giae filios Cl. Auctor, ſimulque ſeminarii chirurgici, Caſſellani rationem exponit. Solent nimirum in illud recipi quatuor iuuenes chirurgiae addicti, de quibus ſpes eſt, eos vlterioris doctrinae cupidos et ſolida inſtructione imbutos patriae aliquando vtiles fore. Huius rei gratia tres Medicinae Profeſſores ſalariis ſat amplis conſtituti ſunt, qui Anatomiam, Chirurgiam easque Medicinae partes, quibus inſtructi eſſe debent boni chirurgi, doceant. Incumbit Cl. Auctori cadauera ſecandi methodum docere, quo munere ſedulo fungitur ſuisque auditoribus probe inculcat, curam morborum internam non temere ſuſcipiendam eſſe a chirurgo, qui nihil ſit niſi chirurgus: qua occaſione etiam de pharmacopolis conqueritur Noſter, qui extra ſuos terminos progrediuntur. At, ipſos medicos ſuper vna eademque re in magno diſſenſu ſaepius verſari, regerere poterunt illi, quibus a praxi clinica abſtinendum eſſe dicimus. Fatendum eſt atque dolendum, opprobrium hoc ſimpliciter negari non poſſe: eſt tamen etiam, quod reſpondeamus, nullam eſſe doctrinam, in qua non occurrat diſcrepantia, in tanta hominum ingenii, vitae generis, morumque varietate, quae fundamentum inconſtantiae et diſſenſus non inter medicos ſolum, ſed et inter theologos, iurisconſultos atque philoſophos eſt. Argumentum hoc vlterius explicatur et tandem oſtenditur magnum, quod chirurgos inter, pharmacopolas et medicos proprie ſic dictos intercedit diſcrimen.

Sequuntur nunc obſeruationes aliquot anatomicae e tribus corporis humani cauitatibus deſumtae. In cerebro pueri trium annorum, tabe con-
p. 17. ſumti, tumorem durum, glanduloſum quaſi, reperit Cl. Auctor, ex cuius autem tumoris habitu glanduloſo concludendum non eſt, ac ſi ad cerebri ſtructuram glanduloſam cum MALPIGHIO accederet Noſter.

Noſter. Mediam medulloſam cerebri ſubſtantiam hemisphaerii ſiniſtri, corticem inter atque ventriculum magnum occupabat tumor ille, nucis auellanae magnitudinem referens. Tenui ſub cortice nucleus ſubduriuſculus boni puris inſtar aderat. Quemadmodum autem omnis cerebri habitus a reliquis corporis partibus valde diuerſus eſt, ita quoque tumor iſte a carne, pure et tumore cyſtico multum recedebat. Globulus exemtus perque medium diſciſſus aequaliter, excepta tenui extima cuticula, ſubdurus atque coloratus erat. Fatetur hic Noſter cum FANTONIO: *Eſſe cerebrum partem hominis, cuius obſcura adhuc ſtructura, obſcuriores morbi, obſcuriſſimae functiones, perpetim philoſophorum atque medicorum torquebunt ingenia.* De ſepto lucido cerebri in cadaueribus diuerſae p. 19. aetatis, feminae nimirum ſeptuaginta duos annos atque puellae viginti ſeptem menſes natae, ſecunda obſeruatio agit. Eſt vero ſeptum lucidum *pars vere medulloſa vno ductu cum fornice et corpore calloſo continuata; ſola pelluciditate ſua apud eos certe, quibus latuit cauitas conſiderabilis, et a dictis particulis maxime a fornice ſeu camerato corpore probe diſtinguenda.* De ſimplici et lamelloſo huius ſepti habitu, de cauitate et contento eius Cl. Anatomicorum diſcrepantes ſententiae proferuntur, quibus ſuam obſeruationem Noſter ſubiungit. Duas ſepti huius lami- p. 24. nas in vtroque cadauere inuenit. Cauitas manifeſta erat, priora verſus acuminata, poſteriora verſus longius procedens; perpendiculariter ampla, diametro vix vltra lineam lata: in cadauere puellae cauitas iſta nullum continebat ſerum.

De thorace deinceps quaedam profert et qui- p. 26. dem quinque pectoris cauitates determinat Noſter, receptam quamuis in duo caua diuiſionem non reiiciat. Duae diſtinctae pleurae ſunt, quarum vtraque ſuo pectoris hemisphaerio proſpicit, et

quoad

quoad figuram, laeuem loborum pulmonis circumferentiam refert. Eo in loco, in quo pleura vtraque confluit, tunicae celluloſae ope connectitur et mediaſtinum efficit, anticum nimirum atque
p. 29. poſticum. Prius celluloſo ſuo habitu thymum recipit, cuius lobulum quendam praeter conſuetudinem, binis cornubus ſuperioribus interpoſitum, animaduertit Noſter. Mediaſtino poſtico quartum pectoris cauum limitatur; oeſophago, aſperae arteriae, aortae, venae cauae ſuperiori, azygo venae ductuique thoracico tranſitum permittens. Quintum thoracis loculamentum, extra pleuras ſitum, pericardio circumſcribitur cordique motum liberum concedit. In cadauere ſeptem menſium pericardium valde tumidum, et aqua, lympha mucoque
p. 32. infarctum erat. Mucoſa in hoc liquore fluctuabat membrana, quae dimoueri facile et eximi potuit. Pleurae rorem in puellala nouem menſium ſub aquae ſpecie collectum, hydropi pectoris anſam dediſſe, rarior omnino Cl. Auctoris obſeruatio docet. Verum et ſingularem polypum in femina quadraginta aliquot annorum, tabe conſumta, reperit. Haerebat iſte in cordis auricula dextra, cingulo cordis tendinoſo et valuuloſo firmiter annexus, oui gallinacei magnitudinem aequans. Erat autem polypus hic nec carneus nec ruber, ſed durioris inſtar gelatinae ſteatomatis naturam prae ſe ferebat, colore pallidiſſime luteo conſpicuus membranaque tenui cinctus, vt cyſticus quaſi tumor appareret. Sequuntur tandem ea, quae in abdomine ſingularia obſeruata ſunt. In diaphragmate puellae decem menſium foramen, quod venam cauam transmittit, duplex reperit, cuius cauſa ſepimentum aliquod, ex fibris tendinoſis ortum,
p. 34. erat. Foramen anterius atque maius venae portarum truncum e ramis ſuis hepaticis mox productum

reci-

recipiebat *: altero autem foramine, minori et aliquo modo poſteriori vena caua recipiebatur. Monet hoc loco Cl. Auctor, faſciculos tendinoſos, quibus foramina, praecipue vero illud cauam transmittens, muniuntur, conſtantem in omnibus non ſeruare directionem, quemadmodum etiam in muſculoſo habitu natura non ſemper eandem regulam ſeruat. Foraminis oeſophagei dexter faſciculus in puella quindecim menſium, poſtquam aortae hiatum ſuperauerat, tendinoſus factus erat, et talis ante muſculoſi cruris diaphragmatis ſiniſtri infimam partem procedebat. Propius aliquando deprehen- p. 36. ditur ſurculus arterioſus ex ipſa aorta ad diaphragmatis crura tendens; duos etiam vidit Noſter vnicuique cruri ſui lateris proſpicientes. Arteriolas has aorticas a reliquis diſtinctiſſimas ideo forte a nemine animaduerſas eſſe coniicit, quoniam exiliſſimae ſunt et aortae trunco teguntur.

Naturam non ſemper ſeruare ordinem conſtantem in ortu et directione vaſorum, multiplices variationes renalium, capſularium atque ſpermaticorum oſtendunt. In puero decem dierum arteria p. 38. phrenica dextra vix paulo altior, quam ipſae emulgentes, ex aorta dimittebatur, et mox infra coeliacam et meſentericam ſuperiorem, in duos ramos prope ortum fiſſa erat. Minor horum ramorum ad capſulam atrabilariam ex parte tendebat et inde trans renem deorſum ferebatur, veram arteriam ſpermaticam conſtituens. Amplam, ſed tamen ſimplicem peluim renalem exhibuit puella recens nata, duplici e rene dextro vretere inſtructam. Duplicem peluim et vreterem e rene ſiniſtro duplicem habuit femina triginta duos annos nata. Vreteres hi demum ante veſicam vrinariam in vnum confluebant canalem. Puella quindecim hebdo- p. 40. madum

* *Hepaticas venas alias ſub diaphragmate in cauam ſe inſerentes eſſe certo nobis perſuaſi ſumus.*

madum vreterem renis ſiniſtri praeter naturam diſtentum oſtendebat, cuius cauſa mucus erat, infimo vreteri tenaciter adhaerens. In cadauere feminae triginta annorum ren dexter valde magnus, ſiniſter exiliſſimus, pinguedine obductus, vix carneus, flaccidus, craſſa intus pelui cinctus erat. Continebat haec calculos exiles plus duodecim, aureo colore praeditos, quorum maximus, auellanae nucis magnitudine, ad medium vreterem deſcendit eumque valde diſtentum reddidit. Ne vero vreteres a vitiis nunc recenſitis nimium irritentur, natura proprio vaſorum apparatu proſpexit, vt inunctione continua viae hae lubricentur.

IV.

CAROLI LINNAEI, Equ. de Stella polari, ſyſtema naturae per regna tria naturae ſecundum claſſes, ordines genera, ſpecies, cum characteribus, differentiis, ſynonimis, locis. To. II. Editio decima, reformata. Holmiae, impenſis Laur. Saluii, 1759. 8. 1 Alph. 11 pl. Continuant paginae, a pag. 825-1384.

Quem in primo ſequutus fuerat huius operis tomo ordinem Ill. Auctor, eundem etiam hic ſeruatum fuiſſe adnotamus, eandemque et cognitam iam in digerendis diiudicandisque corporibus naturalibus induſtriam. Multum ea propter differt plantarum hic facta expoſitio ab illa, quae in Syſtematis naturae editionibus prioribus tradita fuit. Regni nimirum vegetabilis generalem quandam hiſtoriam praemiſit, et terminorum artis breuem elenchum, ſecundum partium plantae ſucceſſionem, cauit tamen, ne nouis vteretur terminis,

forte

forte bene perſpiciens, quantum amplae admodum doctrinae difficultatis addiſcentibus ex eorum multitudine enaſcatur. Hinc flores tantum diuiſit in *ſuperos* aut *inferos*, quatenus illi vel ſupra vel infra germen conſtituuntur, et eos fructus *circumſciſſos* appellauit, qui horrizontaliter diſcedunt. Claſſes genera ſic continent, vt facile poſſint inueniri, et quidem eundem generibus adſignauit numerum, quem in editione quinta generum habebant, ſed, quum poſt multa noua fuerint detecta vel ab Ill. Auctore, vel ab aliis deſcripta, haec etiam ſi reliquis, quodlibet ſcilicet ſuo loco, interpoſita habentur, vt noua nullis numeris diſtinguerentur, deſcripta iamiam numeros antiquos retinerent, ſed, characteribus ſic iubentibus, commodiorem quandoque occupent locum: v. c. Genus 37. *Dianthera* inter Genus 15. *Iuſticia* et 26. *Gratiola* medium eſt, quum enim Iuſticia capſulam habeat, vngue elaſtico diſſilientem aeque ac Dianthera, haec autem ſtamina duobus, illa ſtamina vna, antheris ornata acceperit, optime hic collocatur. Factum autem eſt, vt ob nouorum generum acceſſum, quorum olim non niſi mille centum et quinque recenſebantur, nunc mille centum et ſeptuaginta quatuor enumerentur. Non autem acceſſu nouorum tantum generum aucta eſt haec editio, ſed permultorum etiam generum characteres eſſentiales emendati habentur. Singulis etiam generibus ſubiunguntur cognitae hucusque ſpecies et omnes, quae in *ſpeciebus plantarum* Ill. Auctoris recenſentur, et aliquot etiam nouarum centuriae, hae litteris A. B C. diſtinguuntur in ſingulo genere, reliquis etiam iam ſtabilitis ſpeciebus quaelibet ſuo loco interponitur, qui nempe ab affinibus facilem diſtinctionem docet, immo ſpecificae ſimul differentiae non paucae emendatiores adducuntur. Tanta autem ſpecierum copia, licet maxima pars ab inde-

indeſinente aſſiduitate Ill. Auctoris ipſius ſenſim fuerit peruestigata, aliquae tamen ex recentiorum botanicorum, vt HASSELQVISTII, LOEFLINGII, RVMPHII, BVRMANNI, BROWNII aliorumque ſcriptis repetitae, vel etiam ab amicis communicatae fuerunt, nec non ab Ill. LINNAEO ſecundum ſuam normam determinatae, vt poſſis pro completa ſpecierum cognitarum recenſione hanc accipere.

p. 825. In *regni vegetabilis* itaque conſideratione omnes plantae partes deſcribuntur et generatim disquiruntur, ex his floris definitionem adducere liceat: *Flos eſt planta interior nuda, exuta larua herbae mera metamorphoſi, inſtar inſecti alligati volitantis, coleoptrato calyce, alaribus corollis, conſtat ſolis viſcerum genitalibus, ſtaminibus et peſtillis, quorum germina adoleſcunt in foecundum ouarii pericarpium grauidum ouis ſeminum.* Delineatio plantae ſeptem abſoluitur momentis, traditur nimirum theoria, deſcriptio, habitus, locus, tempus, qualitas, vtilitas. Quae autem hic breuiter et in tabula quaſi proponuntur, in philoſophia botanica Ill. Auctoris iam deſcripta ſunt, niſi quod in ordine proponendo varia hinc inde mutata occurrant, iis inſeruitura, qui omnem doctrinam Linnaeanam penitius intelligere et vno quaſi obtutu intueri velint.

Accepimus itaque in hoc ſyſtemate vegetabili non breuem tantum per characteres generum deſcriptionem, ſed ſingularum etiam ſpecierum cognitarum recenſionem. Pro ea tamen, quae magna eſt, Ill. Auctoris cognitione factum eſt, vt in generibus et ſpeciebus mutationes quaedam exiſtant, nomina nonnunquam aliorum auctorum, nouis generibus impoſita, mutentur vel cum affinibus generibus combinentur. In primis autem ſingula claſſis conſpectum habet additum, in quo poſt ſtaminum ſiue virorum, piſtillorumque, ſiue

femina-

feminarum numerum generum characteres ſic ſibi ſubordinantur, prout facillimam diſtinctionem exhibent, id, quod effecit, vt ordo generum alius ſit, ac in ipſa generum ſpecierumque expoſitione, quippe quae, vt diximus, ordinem et numeros editionis quintae generum ſequitur. Multum haec emendatio iuuat plantas examinaturos. Sic v. c. in claſſe ſecunda Diandria monogynia, ſe excipiunt: Olea, Chionanthus, Phillyrea, Liguſtrum, Syringa, quibus corolla monopetala, quadrifida ineſt, Eranthemum, Iasminum, corollis quinquifidis, Nyctanthes, corolla octofida. In generibus autem ſequens illorum ordo eſt: Nyctanthes, Iasminum, Liguſtrum, Phillyrea, Olea, Chionanthus, Syringa, Eranthemum etc.

Ipſa praeter ea accuratior disquiſitio non nullarum plantarum ſimul cauſſa eſt, quare ex vna ad aliam claſſem genera fuerint non nulla relata. *Bombax*, pro polyandria monogynia habita, nunc inter monadelphias pentandrias, locum habet, itidem *Mimoſa*, quae ad eandem claſſem olim pertinebat, nunc inter polygamia monoecia deprehenditur, quod maſculi flores hermaphroditis ſint intermixti, *Piſonia* vero, quod et hermaphroditos flores, et ſexu diſtinctos alios ſeparatim continet, pariter a dioeciis pentandriis ad polygamias dioecias abiit. Quum porro Ill. LINNAEO concedendum ſit eum, in perueſtigatione continua vegetabilium occupatum, plura potuiſſe perſpicere, quae analogiam plantarum et generum affinitatem concernunt, inde quoque noua ab aliis propoſita genera facile cum cognitis combinari ab eo potuerunt, quod cum nouis illis, a Cl. BROWNE in hiſtoria naturali Iamaicae propoſitis, potiſſimum et frequenter ſic euenit. Hinc *Lygiſtum* BROWNII ad Peteſiam acce dit. *Geraſcanthus* et *Bourreria* eiusdem auctoris inter ſpecies Cordiae referuntur. *Scurrula* fit

p. 1141. 1310. 1314. p. 894. p. 936. p. 988.

ſpecies Loranthi, *Aciſanthera* BROWNII ſpecies
p. 998. Rhexiae. Varietas numeri partium in Lythro po-
1945. ſtulat, vt *Parſonſia* Br. ad idem genus ponatur.
1056. Quare vero *Suzygium* eiusdem cum Myrto combi-
netur, non videmus, quum BROWNE corollam
1074. non adeſſe ſcribat. Recte tamen *Guidonia* BROW-
NII, ne cum Guidonia PLVMIERII, quam Samy-
dam LINN. dixit, confundatur, Laetia nominatur,
1079. et *Triumfetta* Br. eſt corchori ſpecies. Porro
1169. *Ecaſtaphyllum* Br. cum Hedyſaro conueniens inter
1204. eius ſpecies reperitur, et *Dalea* * eiusdem cum
1207. Eupatorio coniungitur. Nec non *Amellus* ad San-
1211. tolinam amandatur, *Conyza* Br. inter Gnaphalii
1219. ſpecies reponitur. Inulae ſpecies auget *Trixis* Br.
Confluentia genera Browniana *Bernardia* et *Aci-*
1298. *doton* coniunguntur in Adelia, ad Apludam nume-
1306. ratur *Zeugites*, et *Rubia* Br. ad Valantiam ſimul
pertinet.

In ſtabilitis etiam a ſe ipſo generibus mutationes aliquas ſuſcepit Ill. LINNAEVS, extinxit itaque nomina hucusque generibus illis data, quae ex characterum dilucidatione nunc tanquam ſpecies ſub aliis generibus eſſe coguntur. Cognouit enim, quae calyce et ſtaminum numero diſcrepabat, *Bar-*
1044. *tramiam* ſuam nunc ad Triumfettam pertinere,
p. 933. *Mandragoram* cum Atropa confluere, et *Breyniam*
1071. exſpirare debere, quippe quae cum Capparide pro-
xime conſpiret, ad quod genus ideo ſpecies diuerſas Breyniae, a Cl. BROWNE deſcriptas, abire conſpicimus. Noua autem plane genera ſexaginta & nouem ſuo loco inſerta habentur, quorum notas characteriſticas hic repetere non poſſumus, quorum etiam definitiones in noua Generum editione Cl.

* Notandum in erratis, ad finem BROWNE hiſtory of Iamaica additis, hunc, loco *Daleae* legi debere *Critonia*, notaſſe.

Cl. LVDWIGII ſingula iam recenſuit Cl. BOEHMERVS, de quibus alibi *. Praeterire autem nequimus, noua plane nomina aliquando iam nominatis generibus imponi: v. c. *Croſſopetalum* BROW- p. 896.
NII appellatur Rhacoma, eiusdem *Pterota* audit p. 897.
Fagara, et *Iron* dicitur Sauuageſia. *Volkameriae*, p. 943.
nomini Browniano ſubſtituitur Tinus, qui tamen a 1010.
Tino CLVSII, quem Ill. LINNAEVS cum Viburno coniunxit, diſcrepat: *Stemodiacra* BROWNII 1118.
eſt Stemodia, et *Coilotapalus* eiusdem, Cecropia.
Nouum tandem nomen eſt *Calycanthus*, quae ta- 1066.
men planta a variis deſcripta, vario nomine inſignita extat, eſt enim eadem, quam vocauit EHRETVS *Beureriam*, HAMEL *Butneriam*, MILLERVS *Baſteriam*.

In eo deinde ſemper occupatus fuit Ill. Auctor, vt numerum generum, ſi affinitas characterum id ſuadeat, imminuat, eademque, quae proxime conſpirant, coniungat, id, quod in hoc quoque ſyſtemate diligenter factum fuiſſe iam edocuimus, nihilo tamen ſecius aliquae ſpecies generum, maiori cum ſollicitudine obſeruatae, nouis generibus conſtituendis anſam dederunt: *Mollugo tetraphylla*, qnoniam corollam pentapetalam et capſulam vnilocularem habet, *Polycarpon* appellatur. *Portu-* p. 881.
laca Portulacaſtrum, ſiquidem a portulaca calyce quinquifido, corolla nulla, ſtaminibus pluribus, 1058.
piſtillis tribus, capſula triloculari differt, *Seſuuium* vocatur. *Erythrina piſcipula* legumine quadrifariam alato ab erythrina diſcrepans, *Piſcidia* dicitur, cui iam nomen BROWNE *Ichthyomethiae* dederat. Et Chryſogonum peruuianum, a Cl. ZINNIO de- 1221.
ſcriptum in eius honorem ob ſingularem floris ſtructuram *Zinniae* nomen gerit. *Coix dactyloides*, quod ſpicas habet vtriusque ſexus coniunctas, nunc etiam recte ſeparatur. Eſt autem *Tripſacum*. 1261.

* vid. Comment. noſtr. Vol. IX. P. I. p. 27.

Celoſia paniculata tandem, quae dioecia pentandria,
Ireſine BROWN. vocatur.

p.1291. Non tamen exinde cognitum tantum fuit, ſpecies
ad generum dignitatem eſſe euehendas, ſed vnius
quoque generis ſpecies ad aliud migrare coactae
ſunt. Sic Lantana corymboſa nunc tranſit ad *Var-*
p.916. *roniam* BROWNII; Ipomoeam aegyptiam et quin-
p.923. quefoliam reſtituit *Conuoluulo;* Molluginem verti-
cillatam, et quidem quae foliis eſt ſeptenis linea-
ribus, quippe quae pentandria eſt, inſeruit *Phar-*
p.966. *naceo;* Ornithogalum hirſutum retulit ad *Hypoxin;*
p.986. Polygonum vuifera antea non viſum, nunc ſpeciem
Coccolobae * BROWN. fecit, quum baccam ferat mo-
noſpermam; Bartſiam trixaginem coniunxit cum
1107. *Rhinantho; Myagrum* ſpeciem adſumit, ob valuu-
1126. las ſiliculae Cochleariam ſaxatilem; *Clypeola alyſ-*
1130. *ſoides* et *campeſtris* immiſcentur ſpeciebus Alyſſi;
1165. *Lathyrus bithynicus* nunc ob ſtigma inferius villoſum
inter Vicias militat, et *Aſtragalus ſulcatus* ob legu-
1173. men ſemibiloculare Phaca eſt; ſic *Trifolium cornicu-*
1180. *latum* ob corollae formam Trigonella fit *Hieracium blat-*
1196. *tarioides et Lapſana chondrilloides* ob calycis ſqua-
mas deciduas ad Crepin pertinet. *Carduus Acarna*
1201. vero, calycis ſquamas ramoſo ſpinoſas oſtendens,
nunc inter Cnici ſpecies occupat locum, et *Solidago*
1215. *Doronicum* ob calycis ſquamas potius ſenecionis
ſpeciem ſiſtit.

His itaque expoſitis, ſupereſt, vt tandem demonſtremus, qua ratione Ill. Auctor in ſpecierum notis determinandis verſatus fuerit. Quum enim magnus earum quoque acceſſerit numerus, quae cum aliis conuenientes in ſingulari prorſus charactere differant, mirum non eſt, earum deſcriptiones nouas expoſtulaſſe diſcrepantias. Liceat autem, vt pateat, quantum in hoc fine obtinendo ſuam poſuerit

* *Coccolobis* a BROWNIO dicitur, quod in *Coccoloba* mutauit LINNAEVS.

poſuerit induſtriam Noſter, nunc paucis demum
declarare ſpeciminibus. *Saluia Horminum* olim di-
cebatur: *foliis obtuſis crenatis, bracteis ſummis ſterili-*
bus maioribus, coloratis, nunc diſtinguitur *foliis obtuſis*, p. 854.
crenatis, ſpicis colorato comoſis, ex eodem genere
ſaluia ſclarea, iam appellatur: *foliis rugoſis, oblongo*
cordatis ſinuatis, floralibus incuruatis, calycibus lanatis,
quam antea nominabat, *foliis rugoſis, oblongo corda-*
tis, ſerratis, floralibus calyce longioribus concauis acu-
minatis. *Campanula* patula et decurrens in vnam p. 925.
ſpeciem confluunt: Solanum incanum et tomen- p. 935.
toſum, *ſpinis tomentoſis, foliis oblique ouatis repandis*,
atque *aculeis aceroſis, foliis cordatis inermibus ſubre-*
pandis tenellis purpureo puluerulentis inter ſe diſtin-
guuntur. *Arenaria multicaulis* olim deſcripta: *Are-* 1034.
naria foliis ouatis ciliatis acutis, melius nunc inter-
noſcitur nomine: *Arenaria foliis ouatis neruoſis ſeſſi-*
libus acutis.

Cuncta tamen, quae huius etiam ſyſtematis partem, vegetabilia exponentem, noua luce radiantem oſtendunt, eiusque praerogatiuam patefaciunt, recenſere iam non poſſumus, hinc ſufficiant dicta, quae et doctrinae vegetabilis ſtudioſos ad maiorem incitant ſolertiam et auidos reddent, vt ipſi omnia perpendant trutinentque curatius. Tertiam iam partem de mineralibus dicturam, vt anxie petamus ab Ill. Auctore, nos excitant, cuius editio forte propediem nobiſcum communicabitur.

V.

CONRADI GESNERI, philoſophi et medici celeberrimi hiſtoriae plantarum faſciculus, quem ex bibliotheca D. CHRISTOPHORI IACOBI TREW, Sac. Caeſ. Mai. Conſil. et Archiatri cet. edidit et illuſtrauit. D. CASIMIRVS CHRISTOPHORVS SCHMIEDEL. Norimbergae. Impenſis Io. Mich. Seligmanni, 1759. fol. reg. pl. 12. tab. aen. XIV. coloribus diſtinctae.

Triſtis et calamitatum pleniſſimus rerum publicarum ſtatus, ob durantem adhuc bellorum ſaeuitiam non quidem abiicere animum coegit editorem, mutare tamen eundem effecit. Erat enim in propoſito, totum opus ſenſim per centurias edere, nunc autem, quum impenſis ferendis ſe imparem ſentiret editor, dimidiam tantum eius partem exhibere potuit. Sed quum Gesneriani codices vndique collectas contineant plantas, ad normam methodi nec diſpoſitas, nec ſecundum ſpecierum ſeriem coordinatas, multae praeter ea plantarum adumbrationes et integrae et per partes iterum iterumque occurrant: difficilem omnino laborem aggreſſus eſt Cl. SCHMIEDELIVS, quod partim diſperſa in vnum cogerit locum, partim ſpecies, ad vnum genus pertinentes, quantum fieri potuit, inter ſe combinauerit. Illudque omnino Cl. GESNERO ſummo cedit laudi, eum contra ſeculi genium coniunxiſſe affines plantas easdemque ad idem retuliſſe genus. Noluit tamen Cl. Editor nunc ſyſtematicum eligere ordinem, incipiendo potius a primis codicum Gesnerianorum paginis eas, quae ibi occurrunt, plantas primo etiam propoſuit loco, ea vero cum differentia, vt ex omnibus codicibus

codicibus ſeligeret ſpecies generum easdemque ſimul delineari curaret. Quoniam autem ratio ſimul habenda erat magnitudinis et tabularum, aliquae non nunquam ſpecies alii loco reſeruandae ſunt. In nominibus quidem imponendis Cl. GESNERVS aliquando vacillauit et vaga eadem adſumſit, hinc Cl. Editor etiam ſibi, quod Gesneriana edit, religioni duxit, derelinquere ea nomina: aſt ſemper adiecit recentiora, nec priſca neglexit, eorum praecipue auctorum, qui ſuis addiderunt operibus figuras, quarum tamen, cenſura addita, dignitatem declarauit; ex quibus ſimul Gesnerianas icones praerogatiuam mereri patet. Deſcriptiones plantarum a Cl. GESNERO relictae, qui in nitidas vtique et naturae exemplo reſpondentes ſuas figuras multum ponebat fiduciae, breuiſſimae ſaepe ſunt atque mancae, vt plus in icone contineatur, quam in deſcriptione, id quod recte iudicat Noſter, ea propter factum fuiſſe, quod in aduerſaria quaſi non niſi maxime neceſſaria reponeret GESNERVS, reliqua ſuae demandans memoriae ad aliud tempus vsque. Haec vero ratio eſt, quod Cl. SCHMIEDELIVS dictas has deſcriptiones limato perpolire iudicio debuerit, addere porro, quo deficiunt, abruptas dictiones cohaerenti ſermone proponere, cui etiam fini adeo gnauiter feciſſe ſatis gaudemus, vt laudem in eum redundantem doctorum virorum praeſagiamus. Ne ſibi aliquid arroget, quod ſuum non eſt, adnotationes ſuas a GESNERI explicationibus ſic diſtinxit, vt facile poſſint diſcerni. Icones autem ipſae, elegantes admodum, a GESNERO factae, non leuioris ſunt nitoris, a SELIGMANNO in aes inciſae, hinc inde etiam ſplendidiores, partim, quod flores aut capſulas ſeminales addiderit ſculptor, vbi lineis tantum, vt ſolent pictores feſtinantes, locum deſignatum inueniret, partim, quod Cl. SCHMIEDELIVS reprobatis a

GESNERO figuris alias ſubſtitueret, aliquas etiam ſua manu exaratas, partim tandem, characteres floris fructusque adderet, vbi poterat.

p. 1. Incipit autem hic faſciculus, a *Dentaria*, cui GESNERVS ſaxifragae nomen dedit. Videmus omnes dentariae ſpecies hic depictas, ex quibus *enneaphyllos* LINN. hic adiicitur noua ex ſpecimine SCHMIEDELII. In hiſce plantis, vt ſequentibus, praemiſſis, prout iam notauimus, variorum auctorum nominibus, ſequitur deſcriptio vberior, rationem reddens delineationum Gesnerianarum, et quae de his aliisque annotantur in codicibus eiusdem viri, nec non modus creſcendi omniumque
p. 5. partium plantae. Porro proponitur *Vrtica mortua* ſiue *Lamium vulgare album*, et *Thymelaeae ſ. Daphnes*
p. 6. LINN, quatuor ſpecies. De *Phacoide* ORIBASII, quae *Paſſerinae* LINN ſpecies eſt, notat SCHMIEDELIVS ſe ſexu diſtinctos flores obſeruaſſe, feminas a GESNERO depictas adiecit, in addita autem iconum explicationi obſeruatione, licet diſtinctos forma flores in variis exemplis ſe vidiſſe adſerat, noluit tamen diuerſitatem ſexus certo definire, quae potius ab iis, quibus plantam viuam disquirere
p. 16. datum eſt, ſit definienda. Inter *aceris* diuerſas ſpecies, *acer montanum tenuiſſimis foliis* et *acer montanum candidum* optime diſtinguuntur, quae non raro confunduntur; prioris enim, quem triuiali nomine *platanoidem* vocat LINNAEVS, folia exciſa ſunt ſegmentis introrſum lunatis magnis, dentibus ex concauo in longum acumen deſinentibus, poſterioris autem candidi ſeu *pſeudoplatani* LINNAEI, folia inciſa extant dentibus inaequalibus ex triangulo ex-
p. 21 trorſum ouatis. *Saxifragae* diſtincte a GESNERO propoſitas quasdam ſpecies, foliis radicalibus in orbem poſitis, caulinis alternis ciliatis inſtructas, recte, ni fallimur, a Cl. SCHMIDELIO coniunguntur, quod longitudo aeque ac latitudo foliorum

in

in ſolo natali quoque variat et limites diſtinctionum reddit difficillimos. Multae praeter ea Saxifragae ſpecies, delineantur enim octodecim, etſi quaedam varietates ſint, denuo ſingularem plane ſolertiam atque attentionem GESNERIANAM confirmant, quippe quum characteriſticas, quas vocant, notas addiderit, atque figuris ſuis expreſſerit idem. In *taxi* disquiſitione, prout fructus prorſus ſingula p. 33. rem indolem oſtendit, ita etiam ſimilem ſibi nullibi in mare flore inueniri ſtudioſa Cl. SCHMIEDELII deſcriptio atque delineatio manifeſtat. Maſculinum enim florem, ceu gemmam, dicit ex pluribus membranaceis ſquamis, decem ad quatuordecim conſtare, imbricatis, ſenſim maioribus, ſiccioribus, flauis, intus columnam ſtaminum recondentibus. Facta plenaria expanſione in ſummo loco apparere, frequentiſſime duas rarius tres vel quatuor bracteas, petala vocandas, ob ſtructurae ſubtilitatem et album colorem, non ex calice, ſed ex receptaculo, aut ex ſtaminum columna oriundas. Ipſa ſtamina, nondum euoluta, antheris teſſellatis conniuentibus, pileolo quaſi columnam obtegunt, antherae vero vlteriori vegetatione, ſub pelta quaelibet ſua, dehiſcit in varios numero loculos. Femininus etiam flos eundem calicem habet atque corollam, reliqua nota ſunt. *Lonicerae* LINN ſpecies tandem huic faſciculo imponunt finem. Eo maiorem autem vtilitatem redundaturam coniicimus in vegetabilis ſtudii amicos, quod ſingularum non ſolum plantarum icones elegantes ſint, notis characteriſticis ſtudio Cl. SCHMIDELII auctae, ſed deſcriptiones etiam accuratae, quemlibet inſtructurae, qui ſpeciei ſingulae curatiorem disquiſitionem inſtituere cupit, ita, vt ipſius operis editio vlterior, ne variis calamitatum iniuriis aliisque incommodis intercipiatur, optemus vehementer.

VI.

Mémoires ſur les os, pour ſervir de Réponſe aux objections propoſées contre le ſentiment de M. DU HAMEL DU MONCEAU, rapporté dans les Volumes de l'Academie Royale des ſciences; avec les Mémoires de MM. HALLER et BORDENAVE, qui ont donné lieu à ce travail. Par M. FOUGEROUX, de l'Académie Royale des ſciences. A Paris. Chez H. L. Guerin et L. F. Delatour, 1760. 8. pl. 15. tab. aen. 2.

h. e.

Commentarii de oſſibus, reſponſioni ad obiectiones, contra ſententiam Cl. DU HAMEL DU MONCEAU, Voluminibus Academiae Regiae ſcientiarum inſertam, propoſitas, inſervientes; una cum Commentariis Cl. HALLERI et BORDENAVE, qui huic labori occaſionem ſuppeditarunt. Auctore Cl. FOUGEROUX etc.

In praefatione de omnibus, quae Cl. DUHAMEL de oſſificatione propoſuit, breuem mentionem facit Cl. Auctor et ſummam quaſi eorum exhibet inſimulque rationem, quare huncce laborem in ſe ſuſceperit, exponit. Cum nimirum obſeruationes de oſſium formatione, ab Ill. HALLERO inſtitutae, in manus Cl. DUHAMEL venirent, isque Cl. Vir ſententiam, ſuae contrariam ex his cognoſceret, ad eam reſpondere, neceſſarium duxit. Per temporis vero penuriam variosque labores, moram vix vllam admittentes Cl. DUHAMEL ita impeditus adhuc fuit, vt ad reſponſionem neuti-

neutiquam accingere ſe poſſet; quapropter Noſter, vt laudati iſtius Viri ſententia magis explicetur, laborem iſtum in ſe ſuſcepit et ad obiectiones, ab Ill. HALLERO et Cl. DETHLEF parique fere ratione a Cl. BORDENAVE motas, reſpondit. Quibus expoſitis in duobus commentariis rem proponit inque priori de formatione oſſis in poſteriori autem de formatione calli agit, et, ne res iſta, a Cell. iſtis Viris accurate disquiſita, a Noſtro male intellecta eſſe videatur, commentarios, a ſingulo ſeorſim editos, coniunctos hic adnectere placuit. Sententiae Cl. DUHAMEL Noſter fauens proprias obſeruationes collegit et tentamina cum variis diuerſae aetatis embryonibus inſtituit. Itaque non pullorum gallinaceorum ſolum oſſa, ſed et eorum, quae ex quadrupedum maiorum genere ſunt, disquiſiuit inque his plura, quam in illis clare et diſtincte ſe vidiſſe, tradit. Si enim, inquit Noſter, oculi optime armati vix primam oſſium euolutionem in maioribus animalibus percipere valeant, quid igitur boni exſpectandum de iis tentaminibus, quae cum animalibus multo minoribus inſtituantur. Fatetur quidem tenerrimos, quos disquiſiuit, embryones ſub forma gelatinae apparuiſſe, ſed quaerit tunc, num inde dicendum, primam animalis originem eſſe guttulam liquoris, qui craſſeſcens mucilaginem et gelatinam non organicam conſtituat, quae poſtea craſſeſcat et organiſetur, an potius ſtatuendum, iſtud, ſub forma mucilaginis viſum, partem iam organiſatam, ſed adeo teneram adeoque ſubtilem eſſe, vt ne vel minimum organiſationis veſtigium deprehendi vnquam poſſit? His ceu fundamentis ſuppoſitis obiectiones, varie motas, aggreditur et ad vnamquamque ſeorſim reſpondet.

Qui contrarias Cl. DUHAMEL partes tenent, p. 10. ad ALBINUM prouocant obiiciuntque, Cl. iſtum virum oſſis originem a ſucco quodam inſpiſſato dedu-

deducere et ſtatuere, ſuccum hunc in cartilaginem prius, quam in os tranſeat, mutari. Adhaec reſpondet Noſter, Cl. ALBINUM a Cl. DUHAMEL ſententia in paucis diſceſſum feciſſe, aliamque tantum ratione ortus cartilaginis ſententiam fouiſſe, cum nimirum hicce cartilaginis ortum in ſubſtantia molli ſed organiſata, ille vero in ſucco inſpiſſato quaereret. Quo itaque Cl. DUHAMEL ſententia eluceſceret magis, vaccarum ouiumque embryones diſſecuit reperitque ſub cute capitis partem minus mollem, tenuem flexilemque et talem apparuiſſe, qualem Cl. DUHAMEL appellat membranam. Pars haec, vt Noſter obſeruauit, totum caput obtexit, nullum tamen in ea oſſium, cranium conſtituentium, indicium deprehendit; impoſſibile etiam fuit, perioſteum, quod in partibus induratis facile ſeceſſit, membranoſis autem ſeu cartilaginoſis valde adhaeſit, prorſus ſeparare, et membranam diſtinguere, quae cranii locum ſuppleret. Membrana haec verſus orbitas paulo craſſior apparuit et, microſcopio disquiſita, puncta aliquot oſtendit minus pellucida, quae, vt obſeruationes poſthac euicerunt, oſſificationis initium exhibuere et in exſiccata membrana diſparuerunt.

p. 20. Glutinoſus articulorum ſuccus, qui absque eo, vt in cartilaginem prius et membranam tranſeat, ſpeciem tophi ſeu ſubſtantiae cretaceae, ex digitis aliisque articulis podagricorum exeuntis, format, perioſtei mutationi in os, neutiquam aduerſari Noſtro videtur. Synouia enim, ſuccus medullaris et pinguedo, circa oſſa deprehendenda, ex Noſtri ſententia indurationi articulorum magis contraria ſunt, quam eidem fauent, et ſi forte obueniat, vt cretacea ibi deponatur materies, ab oſſium tamen indole eiusmodi concretiones eſſentialiter differunt. ſiquidem illae ab acido plenarie ſoluuntur, nec

vllum

vllum veſtigium cartilaginis, oſſis organiſationem formantis, nec membranam oſſificatam relinquunt.

Effectus rubiae tinctorum, quae in oſſa quidem nec ita in perioſteum agit, nullum argumentum ſuppeditare valet. Rubia enim non niſi in partem cretaceam, quae oſſis inprimis duritiem conſtituit, agit neque vllum in cartilaginoſis partibus effectum producit, quare etiam oſſa, quo dura magis, eo magis rubra, imo adeo partes, quae molles alias et albae manent, rubrae euadunt, quam primum in os mutentur. p. 22.

Nihil facit perioſtei ſtructura, quae ab oſſis ſtructura differt. Perioſteum enim non cum oſſe formato, ſed cum cartilagine comparandum eſt; ſiquidem ſubſtantia terreſtris, in poros cartilaginis depoſita, organiſationem mutat eamque obſcuram reddit. p. 30.

Ex cellulari perioſtei fabrica eiusque fibrarum lamellarumque directione minus conſtanti atque oſſearum contra fibrarum, ſecundum longitudinem excurrentium, conſtitutione perenni nullum etiam, dictitante Noſtro, aduerſus perioſtei oſſificationem deſumi poteſt argumentum. Idem enim, quod de perioſteo obiiciant, in cartilagine etiam, quae tamen in os mutetur, obſeruari, de reliquo autem exactam de perioſtei ſtructura notionem exhiberi vix poſſe, Noſter putat; ſiquidem ex eius ſententia iſtud pro diuerſitate oſſium variet inque multis locis ex pluribus laminis, quarum fibrae diuerſimode excurrunt, componatur.

Defectus directionis regularis, ex quo oſſificationes contra naturam cognoſci, tradunt, ſententiam Cl. DUHAMEL neutiquam infirmat. Disquiratur enim callus, nonne fibrarum directio oſſi ſimilis eſt, isque primo in membranam, poſtea in cartilaginem mollem tranſit, et, cretacea demum materie in poros eiusdem depoſita, oſſis duritiem acquirit? p. 33.

acquirit? Nonne etiam concretiones omnes, non organiſatae, materie cretacea ſoluta, cartilaginem organiſatam relinquunt?

p. 35. Specioſum magis videtur argumentum, ſi dicant, perioſteum poſt formatum tantum os in conſpectum demum venire. Sed, licet perioſteum oculis noſtris ſtatim cerni non poſſit, eius tamen praeſentia, Noſtro opinante, neganda non eſt cum omnia in tenerrimis mollia admodum ſint omneque nihil niſi perioſteum ibi eſſe videatur.

p. 36. Quaeritur autem, cur perioſteum in principio oſſificationis tenuius osque craſſius appareat, cum tamen ex ſententia Cl. DUHAMEL contrarium potius ſtatuendum ſit? Id ex eo deducendum eſſe, Noſter putat, quod laminae continuo abſcedant nouaeque generentur, iterum in os tranſeuntes.

p. 37. Cauſa, cur perioſteum eo tempore dum os formatur, non adhaereat, ea Noſtro videtur, quia ſtrata oſſea a ſubſtantia cartilaginoſa, quae de perioſteo promanat, formantur atque lamina iſta noua, tenera valde et ſucci plena eſt, ita, vt perioſtei adhaeſio cum oſſe poſthac imminuatur vel etiam tollatur.

p. 40. Sed quaerunt iterum, cur perioſteum epiphyſi, parti nondum in os mutatae, nec ita corpori oſſis, ſeu parti in os mutatae adhaereat? Id ex eo Noſter deducit, quoniam pars perioſtei inter epiphyſin et os ſe inſinuat: concedit quidem, perioſteum in iunioribus minus fortiter adhaerere, id vero nullo plane modo adhaerere, negat inſimulque innuit, facile etiam fieri, vt multae fibrae, dum manu ſeparetur perioſteum, rumpantur.

p. 41. Cur laminae perioſtei ne in maximis quidem animalibus vnquam ſemioſſeae apparuerint, Noſter non miratur. Dicit enim, obſeruationes illas in valde paruis animalibus, vt pullis, inſtitutas eſſe, Cl. DUHAMEL vero maxima oſſa in magnis animalibus

libus disquiſiuiſſe laminasque ibi partim cartilagineas partim oſſeas vidiſſe.

Addunt vero, nunquam medium oſſis, quod primo loco in os mutatur, quoad partem dimidiam oſſificari nec etiam naturam membranoſam habere. Monet hic Noſter, Cl. DUHAMEL non dixiſſe, medium oſſis partim oſſeum partim cartilagineum eſſe, id potius aſſeruiſſe, laminam, quae totam oſſis ſuperficiem tegat, verſus extremitates, vbi oſſificatio lente procedat, cartilaginoſam et ad partem mediam, vbi oſſificatio citius eueniat, oſſeam eſſe, fierique interdum, vt non nullae ſquamae laminae oſſificatae, quae prioribus nondum fortius adhaeſerit, ſeparentur. p. 42.

Innuunt praeterea, foetus oſſa cartilaginoſa eſſe, nitide et absque lamellis diſcindi inque os mutari absque eo, vt in membranam prius mutentur, fierique iſtud per ſolam mutationem internam absque vlla mutatione perioſtei. Concedit Noſter, ſtrata illa in cartilaginibus embryonum, ob paruitatem et mollitiem oſſium, oſtendi quidem non poſſe, adeſſe vero, augmentatione illa, quae in craſſis oſſibus animalium aetate prouectiorum fieri ſoleat, probat inſimulque experimento confirmat. Craſſum nimirum os bouis, ſecundum longitudinem ſerra diuiſum, debili nitri ſpiritu affuſo, duritiem amiſit, cartilagineum, pellucidum et flexile apparuit, ſtatimque in bullientem aquam inditum, licet integrum antea viſum fuerit, in innumeras laminas ſe diuiſit. p. 43.

Monent porro, magnam portionem oſſium creſcere, neque tamen vllo perioſteo tegi, prouocantque inſuper ad nucleum oſſeum, huncque in medio cartilaginis absque perioſteo deprehendi dicunt. Sed oſtendit hic Noſter, omnia oſſa a membrana ſeu cartilagine oriri, qua formata omne id, quod perioſteo debetur, peractum nunc eſſe ad producendam p. 44.

cendam autem veram oſſis naturam materiem cretaceam, non a perioſteo, ſed aliunde eo delatam, requiri, qua ſeparata nucleos oſſeos oriri, qui tunc velut oſſis elementa conſiderandi os quaſi ſeparatum conſtituant.

p. 45. Negant poſthac, perioſteum inter epiphyſin et extremitatem oſſis ſe inſerere, ſique ſit, nucleum tamen oſſeum longe a linea, quae epiphyſin oſſis ſeparet, creſcere. Obiectionem hanc huc non quadrare Noſter autumat, ſeque praeterea inter bene multas ſectiones perioſteum inter et cartilaginem continuitatem fibrarum reperiſſe perhibet. Quod autem ad formationem osſiculorum epiphyſium media in cartilagine attinet, officium perioſtei in formanda membrana ſeu cartilagine, quae materie cretacea repleta in os tranſeat, tantum conſiſtere, innuit.

p. 47. Prouocant vltra ad dentium exoſtoſes ſcirrhosque oſſeos, in medio dentium maiorum elephantis deprehendendos, hosque pariter absque perioſteo reperiri, oſtendunt. Reſpondetur, probe diſtinguendam eſſe dentium ſubſtantiam marmoream a radice, hancque perioſteo inueſtiri, illam vero, osſis indole non praeditam, eo deſtitui atque exoſtoſes collectionem materiae cretaceae ſiſtere, et organiſatione deſtitui.

p. 47. Obiiciunt demum, perioſteum nihil continere, quod oſſa nutriat, idque album apparere, eiusque vaſa inviſibilia eſſe, cum tamen vaſa corporis osſis magis conſpicua ſint. Reſpondetur, grana terrea, liquorum motum intercipientia, ſpecies varicum aut aneurismatum in vaſculis ſubtilibus vix percipiendis formare, eaque perceptibilia reddere.

p. 49. Finitis obiectionibus propriam tandem ſubnectunt ſententiam aſſeruntque, peroſteum oſſa tantum tegere, figuris eorum limites ponere, vaſcula nutritia

nutritia adducere, oſſa vero ſe ipſa ex glutine, quod in cartilaginem mutetur, et absque vlla adhaeſione perioſtei formare. Concedit Noſter vna cum Cl. DUHAMEL, perioſteum oſſa tegere, negat vero, iſtud figuras eorum, ſi formata iam ſint, limitare quod potius de cartilaginoſis ideoque mollibus dicendum eſſet; innuit praeterea, exoſtoſes perioſteo tegi, hincque ſtatuendum, perioſteum extenſile ſeque ad oſſa fingens ad varias ideo, quas oſſa accipiant, formas ſubeundas aptum eſſe. Quod tandem ad vaſa nutrientia attinet, ea, quae paulo ante negata ſint, hic iterum aſſumi, monet.

Solutis his, quae protulerunt Ill. HALLERVS et Cl. DETHLEF, argumentis, iam nunc ad obiectiones, a Cl. BORDENAVE motas, ſeorſum reſpondet, easque reuellere ſtudet.

Ex ſententia Cl. BORDENAVE perioſteum membrana dicitur texturae peculiaris, multis vaſis arterioſis, venoſis etc. praedita. Cum autem alii ea, quae a Cl. BORDENAVE aſſumuntur, vaſa negent, Noſter exinde organiſationem perioſtei vix ſatis cognitam eſſe, concludit. p. 51.

Pergit Cl. BORDENAVE cranii partem oſſeam in iunioribus fibroſam deprehendi et, licet perioſteum fibroſum pariter appareat, id tamen ex veris fibris neutiquam componi, ſed, cum id ipſum ad oſſa ſemper ſe fingat, fibroſum tantum videri. Reſpondet Noſter, organiſationem cartilaginis, in os mutandae, non confundendam eſſe cum diſpoſitione, quam aſſumit materies cretacea, idque, quod aſſeruit Cl. BORDENAVE, in cartilagine nequaquam obſeruari. p. 53.

Non arridet Cl. BORDENAVE ſententia Cl. DUHAMEL, qui tendinoſas in compoſitione oſſium admiſit fibras, ortumque fibrarum obliquarum perioſtei a tendinibus et ligamentis deducit atque ipſum perioſteum, adeoque oſſa, ex parte p. 55

extremitatis tendinum et ligamentorum explicatione formari, ipſos autem tendines et ligamenta perioſteo tegi, ſtatuit. Noſtro vero ſententia haec veritati conſentanea eſſe videtur, eamque experimento confirmari poſſe putat. Craſſum nimirum os bouis, ſerra ad longitudinem diuiſum, cuius medio tendo fortis ſe inſeruit, in debilem ſpiritum nitri indidit, emollitum poſtea aquae ebullienti commiſit, exemtumque demum in cartilagineas laminas ſeparatum reperit. Hae laminae facile a ſe inuicem ſeceſſerunt, excepto eo in loco, vbi tendo inſertus fuit. Examinauit itaque obſtaculum, atque regularem ibi fibrarum oſſearum diſpoſitionem turbatam eſſe, vidit.

p. 75. Progreditur Cl. BORDENAVE et ex debili vel nullo inter perioſteum et os intercedente nexu ſententiam Cl. DUHAMEL infirmare putat, atque oſtendit, dari tendines in iunioribus, qui in perioſteum ſe inſerant vixque oſſibus adhaereant, ita, vt auulſo perioſteo tendines ſimul auelli poſſint. Ait, omnes has partes in iunioribus valde molles eſſe, nonnullasque tantum fibras tendinoſas in cartilaginem inſeri ideoque tendinem facile a cartilagine ſecedere cumque perioſteo auelli, Noſter autumat; quodſi vero cartilago in os mutata ſit, fibras tendinoſas, ibi inſertas, fortius adhaerere, hancque adhaeſionem, ſi lamina perioſtei in os mutata ſit, maiorem eſſe, eamque adeo, ſi oſſis craſſities augeatur, augeri, certo perſuaſus affirmat.

p. 60. Monet porro Cl. BORDENAVE, tendines in iunioribus vix exiſtere, tendinemque quemlibet degeneratae fibrae muſcularis continuationem eſſe et aetate rigidum fieri, requiri itaque, vt perioſteum, ſi a tendinibus ortum trahat, a muſculis, vaſis ſanguineis etc. oriatur; cumque veſtigia oſſificationis ante diſtinctam muſculorum tendinumue

forma-

formationem cernere iam liceat, exiſtentiam proinde oſſis ante exiſtentiam partium, perioſteum componentium, ſupponendam eſſe, autumat. Verum, minus accuratam Cl. BORDENAVE de muſculis tendinibusque ſibi formare notionem Noſtro videtur, ſiquidem, ex eius ſententia, tendines in iunioribus, licet admodum breues ſint, vere tamen exiſtunt, deque reliquo Cl. DUHAMEL ortum perioſtei in ſolis tendinibus neutiquam quaerit.

Cauſam, cur perioſteum fortius ad extremitates adhaereat, in vaſculis illis, quae per innumera illa ad extremitates deprehendenda foramina ad membranam medullarem tranſeunt, Cl. BORDENAVE quaerit, hisque poſtea obliteratis cohaeſionem iſtam etiam minui, aſſerit. Aliter ſentit Noſter, dicit nempe, formari inter os induratum et perioſteum laminam cartilaginoſam, hancque verſus medium ſubſtantia cretacea, ad extremitates ſenſim progrediente, repleri, et reticulum ibi oriri, cuius ſpatia interiecta adhuc cartilaginoſa exiſtant cumque alia lamina noua ſeu cum perioſteo connexionem alant, ideoque cauſam, cur fortius verſus extremitates perioſteum adhaereat, ex his patere, putat. p. 64.

Cartilago illa intermedia, quae inter corpus oſſis et epiphyſin reperitur, a Cl. BORDENAVE pro vera cartilagine non habetur, ſiquidem maceratione et aqua ebulliente eam ſolui mollemque formam induere, contrarium vero in veris cartilaginibus obſeruari, tradit, eamque ideo productionem membranoſam potius et tendinoſam, quae oſſis duritiem ſenſim acquirat, vocandam eſſe, autumet. Concedit Noſter, diſcrimen ibi deprehendi, id vero eſſentiale non eſſe, et cartilaginem inſuper a cartilagine differre, aliamque denſiorem, firmiorem aliam reperiri. Miratur caeterum, cur Cl. BORDENAVE membranae nomine eam inſigniat, cum p. 67.

tamen ipſa natura rei id vetet et Cl. DUHAMEL non ſolum, ſed et omnes anatomici cartilaginem vocent.

p. 69. Cum vero epiphyſis anno decimo octauo ſeu vigeſimo et vltra ſeparari adhuc poſſit a corpore oſsis, quaeſtio proinde a Cl. BORDENAVE mouetur, qui nimirum fieri posſit, vt ſeparatio locum inueniat, ſi partes hae vera cartilagine intermedia coniungantur, ſiquidem omnes cartilagines macerationi reſiſtant et membranae tantum putreſcant, id vero cartilagini ſic dictae intermediae contingat. Non negat Noſter, cartilaginem illam maceratione emolliri, ſed docet etiam, cartilaginem quamcunque, recens formatam et valde mollem adhuc, maceratione deſtrui, neque mirandum, cur id vigeſimo adhuc anno obſeruetur, cum partes epiphyſeos ipſiusque oſsis in medio adhoc tempus vsque molles exiſtant atque extenſio eo in loco continuet.

p. 70. Quodſi vero, obiicit Cl. BORDENAVE, perioſteum in os mutetur, ſequitur, vt osſificatio epiphyſium in ſuperficie exteriori et ea quidem facie, quae cartilaginem intermediam reſpicit, ordiatur, ſed obſeruari contrarium et osſificationem in epiphyſeos centro incipere, monet. Id ex ſententia Cl. DUHAMEL non ſequi, Noſter putat, omniaque oſſa primo cartilaginea eſſe, cartilaginem vero materie terreſtri, ei duritiem osſis conciliante repleri inque diuerſis eius locis accumulari, ita, vt medio in loco epiphyſeos osſificationis etiam puncta appareant.

p. 72. Quaeritur poſthac, vnde fiat, vt cartilago illa intermedia, cum tamen ea productio membranoſa, minime vero cartilago eſſe dicatur, ex membrana in os mutetur? Iſtam enim lineam albicantem, in ſenum osſibus inter epiphyſin et corpus osſis reperiundam, epiphyſi denſiorem magisque compactam eſſe adeoque minus organiſatam, Cl. BORDE-

NAVE

NAVE oſtendit. Reſpondet Noſter, lineam iſtam verum os organiſatum eſſe idque experimentis confirmari. Affudit nimirum ſpiritum nitri debilem, ſtatimque portionem terreſtrem ſolui, cartilagineam vero aeque ac in aliis osſibus remanere, vidit.

Tandem ad praeternaturalem et morboſum ſtatum prouocat Cl. BORDENAVE dicitque, accidere interdum, vt in eo fracturae loco, vbi callus alias formetur, vtraeque osſis extremitates, ſe inuicem atterentes, nouam ſpeciem articuli conſtituant, laeues euadant cruſtamque a ſuccis oſſeis exſudantibus obtineant, quae cartilagini quidem ſimilis ſed nunquam vera eſſe videatur. Monet porro, diſtinguendam etiam eſſe texturam partium et mutationem, quae morboſum ſtatum ſequitur: ita perioſteum eo in loco, vbi presſionem contra naturam patitur, euaneſcere, et cartilaginoſum apparere, neque tamen in cartilaginem vere mutari; tendines interdum rigiditatem oſſeam acquirere, neque tamen verum os exhibere; in anchyloſi ligamenta osſium duritiem obtinere, ſed organiſatione deſtitui, nihilque niſi collectionem ſucci fere oſſei ſiſtere atque ex his adductis exemplis, quae analogiam inter oſſa, perioſteum, cartilaginem, ligamenta et tendines admittere videantur, nullam prorſus ſimilitudinem eluceſcere et texturam harum partium diuerſam omnino eſſe, ſique mutationes, in iis interdum obuenientes, iis quodammodo ſimiles appareant, nunquam tamen ſimilitudinem ſtructurae inde patere, concludit. Ad haec reſpondet Noſter, Cl. DUHAMEL ſpeciem iſtam articuli, in fracturis oborti, non negare, et concedere, cartilaginem illam cartilagini, quae osſium extremitates inueſtit, omni ex parte ſimilem non eſſe, dari tamen ſpeciem in eiusmodi caſu, quae a perioſteo prouematiat. Quod ad rigiditatem tendinum attinet, Noſter vna cum Cl. DUHAMEL, in iis, materie cretacea p. 74.

depoſita, verum os generari, inque certis anchyloſeos ſpeciebus materiem tantum cretaceam colligi, in aliis autem partes ita indurari, vt verum inde os exoriatur, arbitratur; inſimul Cl. BORDENAVE omne id, quod omnes anatomici vocarent cartilaginem, omnino negaſſe, ex his patere, Noſter putat.

p. 79. His expoſitis ad ſententiam quoque, quam de oſteogenia fouit ſuoque commentario ſubnexuit Cl. BORDENAVE, reſpondet Noſter, rationesque illi contrarias apponit. Verſatur autem omnis rei cardo in eo, vt Cl. BORDENAVE oſtendere annitatur, quomodo ſanguinea et, quae inde dependent, minoris generis vaſa primarium oſſificationis organon ſiſtant, ſuccumque aduehant, qui duram oſſeamque naturam aſſumat. Prouocat ea propter ad anatomen variaque experimenta, quibus aſſerti

p. 85. veritatem confirmari putat. Non negat quidem, membranas in principio oſſis inueniri, eas vero ita conſiderandas eſſe, cupit, vt ceu vaginae figuram atque formam oſſis limitent vaſaque accipiant et diſtribuant, per quae oſſeus ſuccus aduehi appo-

p. 90. nique demum poſſit. Si enim, ſecundum Cl. BORDENAVE, iuniorum oſſa poſt iniectionem examinantur, perioſteum pluribus vaſis, quam in adultis, donatum oſſaque ipſa fere rubra atque innumera orificia, per quae vaſcula intrant inque oſſium ſubſtantia diſtributa euaneſcunt, reperiuntur, quaeque pariter ac vaſa, ſi ad definitum incrementi gradum oſſa peruenerint, ex parte obliterantur. Et cartilaginis ſtructura, eodem ſentiente, vario tempore disquiſita, hanc vaſorum functionem probare videtur. Vix enim in principio vlla cauitas, cellula, ſeu poroſitas, paucis ductibus exceptis, in cartilagine reperiuntur, quae tamen, oſſificationis opere incepto, ductus vaſculares maiores magisque conſpicua vaſa, quae in centrum vsque penetrant, exhibet.

exhibet. Sed tunc demum vaſa haec oſſeum ſuccum ibi deponunt, qui craſſior euadit vnaque cum vaſculis, ipſum vehentibus indureſcit, ſicque prima oſſificationis fundamenta iacit, ita, vt cartilago, quae iam in os mutatur, eo magis poroſa pluribusque vaſis ſanguineis perfoſſa appareat, quo proprior oſſificationi eſſe ſolet.

Progreditur Cl. BORDENAVE ſuamque de oſſificatione ſententiam exemplo aliquo cartilaginis in os mutatae confirmat. Reperit nimirum in ſene cartilaginem thyroideam, in os mutatam, ita, vt textus ille cellularis qualis in osſibus organiſatis deprehenditur, ibi etiam vere in conſpectum veniret ſicque verum os organiſatum ſiſteret. Imperium iſtud, pergit Cl. BORDENAVE, in oſſa etiam exercent vaſa, licet ex parte iam obliterentur cumque osſis ſubſtantia commiſceantur. Remanent enim nonnulla, quae nutritionem oſſi adferunt, nihiloque minus in omnes iſtas partes agere pergunt, vt effectus rubiae tinctorum ſuccique deprauati, oſſa mire mutantes, ſatis ſuperque docent. Cum autem oſſificatio ab interioribus verſus exteriora progrediatur, fit inde, vt interior oſſis ſubſtantia firmior appareat. Ex his itaque facile nunc declarari putat Cl. BORDENAVE, cur, iniectionibus in foetu ſuſceptis, exteriores oſſis laminae materiem iniectam ſuſcipiant, quomodo partes tendinoſae et ligamentoſae in os mutentur, quomodo humor articulorum certas quasdam anchyloſes formet, quoue tandem modo quaedam exoſtoſes et formari et reſolui poſſint. p. 93. p. 94. p. 98.

Ad haec reſpondet Noſter aſſertumque a Cl. BORDENAVE prolatum ſub accuratius examen prouocare videtur. Plura quidem concedit, nempe in pluribus Cl. DUHAMEL cum eo conuenire, ita tamen, vt hicce vaſa ceu canales, materiem terreſtrem in partem organiſatam deuehentes, conſi- p. 79. p. 83.

 deret,

deret, oſſa vero, in primo ortu conſtituta ceu mollem membranoſam ſeu cartilaginoſam ſubſtantiam, quae, lympha iſta, cartilaginem humectante, indurata et materia tartarea oſſea depoſita in os mute-
p. 93 tur, oſtendat. Quod ad mutationem cartilaginis thyroideae in os attinet, Noſter concedit, eam pari ratione ac alias cartilagines mutationem interdum pati, ita tamen, vt ea, cum nullum augmentum accipiat, perioſteo nequaquam opus habeat.
p. 94 At vero imperium vaſorum in oſſa iam formata, quod Cl. BORDENAVE effectu radicis rubiae et deprauatorum ſuccorum actione probare ſtudet, Noſter non concedit, idque etiam experientia
p. 95 nunquam confirmari, docet. Exhibuit enim gallinae aetate prouectiori et concretionibus tartareis laboranti cum victu rubiam, et, quo de effectu rubiae in iuniora oſſa certior fieret, os alae dextrae, diebusque quatuordecim praeterlapſis, idem os ſiniſtrae alae diffregit, ſeptemque iterum diebus praeteritis gallinam tandem necauit. Oſſeis poſthac partibus examinatis, callum trium hebdomadum optime formatum et pulchre rubrum, alterum vero ſeptem dierum, ex parte cartilagineum, non niſi eo in loco, vbi induratio aliqua viſa fuit, colore tinctum fuiſſe, reperit. Oſſa praeterea naſi eaque, quae orbitam conſtituunt, atque primam decimamque colli vertebram pallido colore, reliqua vero, inprimis cylindracea oſſa, nullo colore tincta, concretiones contra terreſtres, quibus laborauit galli-
p. 97 na, valde rubras deprehendit. Quod ad ſuccos deprauatos ſpectat, quibus oſſa mutari docet Cl. BORDENAVE, Noſter quidem mutationem non negat, rem vero ita explicat, vt acida acrimonia in humoribus abundante et ad oſſa delata terreſtres particulas conſumantur ſicque oſſa in cartilaginem vertantur ideoque flexibilia euadant et primum organiſationis ſtatum rurſus aſſumant.

Ex

Ex his itaque vaſorum officium in deuehendis ſuccis nutritiis manifeſtum, minime vero oſſium inde originem deducendam eſſe, Noſter arbitratur.

Progreditur Cl. Auctor ad alterum commentarium, vbi de formatione calli agitur. Primo itaque ſummam eorum, quae de formatione calli ſtatuit Cl. DUHAMEL, exhibet, qua adducta experimenta, a Cl. DETHLEEF hanc ob cauſam inſtituta breuibus recenſet atque oſtendit, ea in pluribus cum his, quae ſuſcepit Cl. DUHAMEL, conuenire, hinc etiam vtrumque maximam partem congruere, quoad ortum cartilaginis vero a ſe inuicem diſcedere, ita, vt Cl. DETHLEEF primam calli originem ſucco extrauaſato attribuat, qui ſpiſſior factus et per gradus conſiſtentiam gelatinae et glutinis acquirens poſtea organiſetur, cartilaginem formet inque os demum mutetur; Cl. DUHAMEL vero, metamorphoſin hanc neutiquam admittens, tumorem iſtum mollem, in fracturis deprehendendum, ex humore, de perioſteo promanante, ortum eſſe putet. Licet autem, vt Noſter tradit, plura experimenta ſententiae Cl DUHAMEL non aduerſentur, quaedam tamen eorum ſunt, quae primo intuitu contraria humorem effuſum, ſenſim ſpiſſum factum, tandem in cartilaginem mutatum probare videntur. Vt itaque in dubia hac re certior fieret Noſter, pari ratione experimenta inſtituit, tumoremque nouiter formatum accurate examinauit, quo facto, laminas vicinas oſſis molles quidem et mucilagini ſimiles, poſtea autem, mucilagine illa ſolida facta, in veram cartilaginem mutatas eſſe reperit.

p. 102. p. 114. p. 119.

Quod autem perioſteum, vt Cl. DETHLEEF per experimenta euincere ſtudet, inter cartilaginem et os repertum ſit, Noſter negat, idque nec a Cl. DUHAMEL nec a ſe ipſo viſum vnquam, contra vero tumorem iſtum a perioſteo tectum ſemper p. 121.

 fuiſſe,

p. 124. fuiſſe, refert. Adducitur demum aliud argumentum, quo, perioſteum nihil ad formationem calli conferre probent: dicit nimirum Ill. HALLERVS, perioſteum non niſi poſt formationem calli in conſpectum vnquam veniſſe. Sed prouocat Noſter ad experientiam, qua probetur, perioſteum ſemper, oſſibus fractis intumeſcere, callumque inter hoc et oſſa formari, ita, vt granis oſſeis, in ſubſtantiam cartilagineam depoſitis, adhaeſio illa inter hanc et perioſteum animaduerti liceat. Cum autem Ill. HALLERVS tumorem iſtum non a tumefacto perioſteo ſed ab inſpiſſatione lymphae effuſae ortum duxiſſe, patet, factum inde eſſe, Noſter autumat, vt Ill. HALLERVS exiſtentiam perioſtei eo tempore admittere recuſaret.

p. 126. Tandem etiam ad obiectiones, quas de formatione calli contra Cl. DUHAMEL ſententiam profert Cl. BORDENAVE, reſpondet Noſter, cuius rei ſumma ſequens eſt. Non negat Cl. BORDENAVE, perioſteum eo in loco, vbi os fractum eſt, intumeſcere, iſtumque tumorem, prout callus in os mutetur, ſenſim minui; minime autem concedit, tumore iſto formationem calli a perioſteo factam probari, aſſerit potius, perioſteum partem eſſe, quae, vt omnes partes vulneratae, intumeſcat, poſthac ſubſideat et priſtinum ſtatum recuperet. Ad haec reſpondet Noſter, callum perioſteo ortum debere idque per experimenta confirmari omnino. Reperit namque Noſter, productiones illas, quas in animali iuniori ſano extremitates oſſis fracti exhibuerunt, minime maſſam calli conſtituiſſe, ſed cartilagineam ſubſtantiam, de perioſteo promanantem, hanc ipſam feciſſe, quae addita ſubſtantia terreſtri in os induraret. Deprehendit etiam, in animali, aetate prouectiori, cuius oſſa perfecte dura fuerunt, extremitates oſſis fracti, nullam productionem exhibere ſed ope concretionum oſſearum, quae

inter-

interſtitia replent et prolongatae ad annulum oſſeum tendunt eumque adnectant, coniunctas iterum eſſe. Adducit tandem aliud experimentum, quo aſſertum Cl. DUHAMEL firmiſſime confirmari, p. 134. putat. Fregit nimirum pluribus auibus os cruris, quatuorue diebus praeterlapſis per tumorem filum duxit, reperitque demum animali enecto, filum hoc tumorem, parum ab oſſe diſtantem, penetraſſe, tumoreque perioſtei imminuto idem filum, in callo ex parte cartilaginoſa haeſiſſe; inde Noſter, perioſteum callo ortum praebere, concludit. Si enim, inquit, humor perioſtei diſſipatur absque eo, vt oſſificationem conſtituet, filum in perioſteo reperiatur, neceſſe eſt, ſin vero contrarium locum inuenit, ſequitur, vt filum in callo reperiatur; quo autem vere ibi reperto rei veritatem nunc patere putat.

Sed obiicit Cl. BORDENAVE, oſſa fracta in iis, p. 136. vbi virus ſcorbuticum, venereum aut cancroſum furit, non vniri, idque non a perioſteo ſeparato, vt perſaepe in eiusmodi caſu fieri ſolet, ſed ab affecta ſubſtantia oſſea, deducendum eſſe, putat. Verum haſce obſeruationes deſtructionem quidem oſſis, minime vero formationem eiusdem declarare, ideoque nihil in hac re probare, Noſter autumat.

Quodſi vero, inquit Cl. BORDENAVE, a perioſteo callus formetur, iſte organiſatus reperiatur, p. 138. neceſſe eſt; ſed contrarium deprehendi, aſſerit. Reſpondet Noſter, callum, ſi accuratius examinetur, organiſatum omnino apparere et modo naturali formari, ita, vt primo cartilagineus, poſteaque ſenſim durior factus appareat.

Obiicit porro Cl. BORDENAVE, callos rubia p. 140. tingi idque oſſibus quidem, non autem mollibus partibus proprium eſſe. Concedit Noſter, callum quidem tingi, ſed nunquam colorem ab iſta radice accipere, quamdiu cartilagineus exiſtat, tingi vero

quam-

quamprimum pori eiusdem materie terreſtri repleti reperiantur.

p. 142. Ad aliud experimentum prouocat Cl. BORDENAVE, quod, perioſteum reparationis cauſam non eſſe, oſtendere putat. Separauit nimirum in columba partem oſſis, qua reſtituta fundum oſſis rubrum, perioſteum vero album nec tumidum reperit. Reſpondet Noſter, fracturas, ſi recentes examinentur, non rubras deprehendi, particulis vero terreſtribus ſenſim collectis, ideoque induratione facta, oſſa demum ex parte rubra reperiri, eaque eo magis rubra eſſe, quo plus materiae terreſtris ibi deponatur.

p. 143. Perhibet tandem Cl. BORDENAVE, epiphyſin cruris canini fracti iterumque vniti et aqua macerati, ab oſſe ſeparatam eſſe, callum vero in eo ſtatu manſiſſe, neque etiam vtrasque extremitates oſſeas a ſe inuicem ſeparatas eſſe. Ex quo colligit, vnionem perioſtei cum oſſe facere, vt epiphyſis adhaereat, callum vero adhaeſionem ſuam oſſeo ſucco ſeu ſubſtantiae, oſſi analogae, debere. Concedit Noſter, in animali iuniori, quale Cl. BORDENAVE disquiſiuit, noua ſtrata oſſea formari poſſe, hisque callum tegi et ſeparationem extremitatum ab oſſe fracto impediri, interdum etiam productiones ab extremitatibus oſſis formari, hasque ita ſaepe coniungi, vt fracturae locus indicari nequeat, id vero, quod ſuccum oſſeum vocat Cl. BORDENAVE, ſubſtantiam terreſtrem, in ſtatu diſſolutionis conſtitutam, eſſe, innuit.

p. 145. Tandem etiam aliud exemplum conſiderandum offert Cl. BORDENAVE, quod ipſe obſeruauit: callum nimirum tibiae humanae, diu iam antea fractae iterumque vnitae disquiſiuit, variisque experimentis inſtitutis, extremitates oſſis, mediante annulo oſſificato neutiquam vnitas ſed mediante ſucco oſſeo, extremitates ferruminante, coniunctas

eſſe,

eſſe, reperit. Reſpondet Noſter, negatiuam de annulo oſſeo Cl. BORDENAVE ſententiam affirmatiuam, pluries probatam, non infirmare et exemplum iſtud, a Cl. BORDENAVE adductum, cum caſu in manus eius venerit, nihil probare, cum aetas hominis iſtius varias mutationes inducere potuerit. Caeterum ſententiam Cl. BORDENAVE de organiſatione calli et oſſificatione laminarum perioſtei, vaſis iam inſtructi, cum ea, quam fouet Cl. DUHAMEL conuenire et exacte congruere, Noſter arbitratur.

VII.

Diſſertio inauguralis ſiſtens disquiſitionem phyſico chemicam Granatorum Sileſiae atque Bohemiae Auctore CAROLO ABRAHAMO GERHARD. Francf. ad Viadr. 1760. 4. pl. 5½.

Granatus, ſeu Granatum a ſcriptoribus mineralogicis inter gemmas relatus, a veteribus, THEOPHRASTO et PLINIO, *Carbunculi* ſiue et *Carchedonii* ſub nomine deſcriptus videtur. Figura externa ſeu forma mire variat; recenſet WALLERIVS rhomboideos, octaedros, dodecaedros, decateſſaoedros, icoſaedros et incertae figurae. Qui matricibus ſuis inhaerent vnam eandemque vtplurimum habent figuram, cubicam nimirum aut rhomboidali proximam: ii vero qui extra matricem ſoluti occurrunt polymorpha varia gaudent. Et colorum varietas multa in iis deprehenditur, vt, quanquam ſemper ruber ſit, in profundiore ac dilutiore indole mire differat, quin ad flauedinem vergant. Placet Noſtro ea, quae a patria ſiue natali eorum loco deſumitur diſtinctio, qua alii occidentales, alii orientales nominantur. Vltimi generis magna

ſatis

ſatis copia ex India, Aethiopia aliisque regionibus adportantur, duritie, nitore, coloris amoenitate hinc et pretio multum inferiores iis, qui in Gallia, Luſitania multisque Germaniae prouinciis, potiſſimum in Sileſia ac Bohemia colliguntur. Duplici modo in dictis hiſce locis occurrunt, vel enim matrici variae materiei talcoſae, ſiliceae, martiali, et haud raro ophitae Zoeblicenſi inſperſi haerent; vel e fluuiorum arenoſis ripis ſolitarii leguntur ac puri. Structura ſiue textura eorum lamelloſa interdum nudis oculis in glebis maioribus conſpicitur, vel et encheireſi chemica, calcinando eos, detegitur.
p. 12. Magnitudo ipſis eſt varia, interdum ſemina cannabina vel lentes aequant, ſunt tamen et multo maiores, qui nuces iuglandes volumine ſuperant. Igni violentiſſimo absque coloris detrimento reſiſtunt, et vitro amauſo pingi ſe ac obduci patiuntur. Inueniuntur mineralia, quae ob aliqualem, quae ipſis eſt cum granatis conuenientiam falſo hoc nomine inſigniuntur: cuius generis eſt minera ferri in granis polyedris irregularibus, quae a magnete trahitur, quod granatis nunquam ſolemne; dicitur hoc corpus foſſile germanice *Lux - Saphir:* eadem quoque iniuria quartzum granaticum WALLERII eiusque granati ſtanni compotes, vel ſpuma lupi granati nomine quibusdam venit aut cum veris granatis confunditur; licet enim negari non poſſit, ſpumam lupi eisdem ac granatos eſſe conflatam principiis, terra nimirum ſilicea atque ferro, differunt tamen in eo a ſe inuicem, quod ſpuma lupi ferrum vere mineraliſatum contineat, granatus vero marte tantummodo tinctus ſit.

p. 14. Altera Sectio, expoſita dicto modo granatorum hiſtoria, examen eorum chemicum continet, ad quod tamen eos tantummodo adhibuit, qui in Bohemia ac Sileſia inueniuntur ac venditantur, quippe qui, vt puriſſimi ac omnium praeſtantiſſimi

opera-

operationibus chemicis aptiſſimi Noſtro viſi fuerunt. Aptiores eos ad ſuſtentandam disquiſitionem et terendo et calcinando reddidit. In ipſa calcinatione nec ſulphuris nec arſenici quidpiam dimittebant; color autem dilutior quodammodo ipſis conciliabatur, quod a lamellis in igne a ſe inuicem ſecedentibus prouenire Auctori vero ſimile videtur. Inſtituta hac praeparatione vario modo eos perſcrutatus eſt atque allaborauit vt ſoluendo, praecipitando, deſtillando, ſublimando, reducendo atque vitrificando eorum principia detegere queat. Nec acida, nec alcalia fixa vel volatilia tam calcinatis quam tritura ſola mechanica comminutis adfuſa, digeſtione licet in octiduum protracta, factam quandam coloris mutationem oſtendebant, excepto acido vitriolico, quod florum perſicorum colore tingebatur. Hoc tamen non obſtante ad praecipitationes horum liquorum confugit Noſter, probe perſuaſus, fieri ſaepenumero, vt menſtrua, etſi nullam paſſa fuerint coloris mutationem, multas tamen ſibi iunxerint corporis ſoluendi particulas. Ad ſolutiones, acidorum ope obtentas, praecipitandas adhibuit duplex alcali, lixiuium nempe cum ſanguine bouillo calcinato confectum, et oleum tartari per deliquium; alcalinas vero adfuſo vel ſpiritu nitri, vel aceto deſtillato turbare ac praecipitare tentauit. Varia ex acidis ſolutionibus obti- p. 17.
nuit magiſteria, quae in eo cuncta conueniebant, vt ea, quae lixiuium modo deſcriptum deiecerat coeruleo colore, quae vero oleo tartari per deliquium adfuſo ſeceſſerant, flauo colore tincta eſſent, quanquam et pro dilutiori ac profundiori coloris indole differrent quodammodo ac diſcreparent. Ex alcalinis vero ſuperfuſis menſtruis nihil ad fundum ſecedebat acidorum admiſtione. Ex his phaenomenis collectis ac inter ſe comparatis martialis principii praeſentia abunde ſatis ac luculenter commonſtratur.

ſtratur. Deſtillationi ſubiectae glebae nec per ſe quicquam exhibebant, nec cum nitro ſaleue communi mixtae horum ſalium acidum liberare ab alca-
p. 21. lina terra potis erant. Sublimando eas cum ſale ammoniaco vel ſale compoſito alembrot dicto, veros Auctor obtinuit flores ſalis ammoniaci martiales, reſiduumque parte ſua tingente hac ratione orbatum albi coloris deprehendebatur. Sub hac operatione vrinoſa ſalis ammoniaci pars tam ſub tritura quam ſub ipſa ſublimatione reddebatur libera, manifeſto indicio in granatorum puluere latere alcali quoddam fixum; cuius praeſentiam alio adhuc experimento euincit Noſter, cum ex adiecta granatis cinnabare mercurium reuiuificare, fruſtra quidem, tentaſſet, in reſiduo tamen fortem ſatis odorem hepatis ſulphuris perceperit. Fixis igitur quibusdam principiis ſublimationis miniſterio detectis, et ea cognoſcere optauit eodem adhibito opificio, quae volatilia forſitan granatis inhaerere ſuſpicabatur. Crudos hinc granatos arſenicum latitans detegendi cauſa cum tribus partibus mercurii ſublimati, et in alio experimento cum duabus partibus ſulphuris ſublimatorio igne ſubiecit, nec tamen vnum, nec alterum mutatum fuit: hinc nihil ipſis arſenici ineſſe affirmat. Nec etiam ſulphur verum ſeu culinare ipſorum mixtionem ingredi, arſenicum cum ipſis ſublimatum albis cryſtallis conſpicuum probat.
p. 26. Nitro addito calcinati nullam mutationem ſubeunt. Cum ſalis autem tartari partibus variis, ab vna ad viginti vsque, mixti et calcinati ex parte ſoluuntur. Maſſa enim hoc modo obtenta in aqua ſoluta et filtrata relinquit in filtro nigrum puluerem, veras qui granatorum comminutorum non ſolutas particulas ſiſtit; adfuſo vero liquori, per filtrum transmiſſo, nitri ſpiritu ſecedit puluerulentum albisſimi coloris magiſterium, quod variis additamentis explo-

exploratum veram terram ſiliceam exigua martis portione inquinatam eſſe perſpexit Cl. Auctor. Aurum, argentum, ſtannum aliaque metalla extrahere fluxibus variis admiſtis allaborauit, ſed fruſtra quaeuis hanc ob cauſam facta fuerunt pericula. Ne ferrum quidem, quod certo in iis latitare abunde demonſtrant ſupra adducta phaenomena, in regulina forma inde ſiſtere per fluxus chemicos potuit, quod tamen non mirum eſſe monet, cum tantillum ſolummodo ſit metalli quod lapidi tincturam conciliat, atque adeo fluxu nullo chemico colligi poſſit. Cum phlogiſto autem, cera p. 33.
nimirum alba, calcinatorum lapillulorum drachma vna ſub tegula docimaſtica vſta, magnam ſuppeditabat ferri nudi copiam, magnetis auxilio inde extrahendam. Vitrificationes granatorum eadem methodo, qua Cel. POTTIVS vſus fuit in diſquirendo topazio, inſtituit tam in anemio Becheriano furno, quam igne, follium auxilio intenſiore facto. Longum refert experimentorum catalogum, quorum ſumma eo redit, quod granati variis aliis vel ſalinis vel lapideis corporibus mixti in vitrum, ſiliceae terrae in iis haerentis teſtem, conuerſi fuerint, et maſſae hae vitreae omnes eiusmodi coloribus praeditae conſpiciantur, quibus ferrum vitra imbuere ſolet, videſcente nimirum vel bruno. Ex cunctis hiſce fuſe enarratis tandem concludit; granatum iure eſſe appellandum lapidem vitreſcibilem, cum conſtet ex terra vitreſcente ſeu ſilicea, ſubſtantia quadam alcalina, et paucis particulis martialibus, quibus colorem rubrum in acceptis fert

Tertia ſectio breuiter exponit de vſu grana- p. 41.
torum, qui maxime oeconomicus eſſe videtur, cum puriſſimae eorum glebae a feminis ad ornamenta adhibeantur, vel et vitro encauſtico pingantur, vel ſigillorum moduli iis inſculpantur. Medicus vero

 vſus

vſus iure meritoque optimo reiicitur. Nec enim terra ſilicea in noſtris humoribus ſolubilis; nec alcali ipſis immixtum acido in primis viis abſorbendo par, cum intime cum ipſis coniunctum ſit; nec paucae martis particulae, quibus tincti ſunt, quanquam a leniſſimo acido, vegetabili nimirum, ſoluantur, a noſtris tamen humoribus blandis atque ſaponaceis nullo modo ſubigi poſſunt. Ceterum promittit Cl Auctor, ſe plura quondam velle edere experimenta cum ſale tartari inſtituta, quae nunc, temporis praecluſus anguſtia, non vlterius perficere potuit, quae tamen multa memoratu digna phaenomena oſtendere poſſe, coniicit.

VIII.

Diſſertatio inauguralis anatomica: de neruo ſpinali ad par vagum acceſſorio Auctore IOHANNE FRIDERICO LOBSTEIN, Argentinenſi. Argentorati, 1760. plag. 6. tab. aen. 2.

Clariſſimus huius diſſertationis Auctor eorum Cel. Virorum exempla ſecutus, qui peculiaribus libellis de ſpeciali aliquo neruo diſſeruerunt, neruum acceſſorium octaui paris accuratiori examini ſubiecit, et non tantum antiquitates eius eruere, ſed et progreſſum deſcribere vſumque phyſiologicum explicare, ſuſtinuit.

p. 4. Neruus ſpinalis, qui vulgo recurrens WILLISII dicitur, GALENO iam, huiusque ex ſcriptis AVICENNAE et ALEXANDRO BENEDICTO cognitus fuit, qui tamen omnes, vt ipſe quoque VESALIVS, truncum tantum, trapezium muſculum adeuntem nouerant, eumque ad par vagum, quod tunc temporis ſexta coniugatio dicebatur, referebant.

Prima

Prima vero, ſed leuia tantum, veſtigia de adſcenſu huius nerui in cranium, multis et fallacibus tenebris obuoluta, apud CAROLVM STEPHANVM, COLVMBVM et FALLOPIVM occurrunt. Verbis quidem EVSTACHIVS obſcuris eius mentionem fecit, dum eum nomine trium propaginum, ſextum par a medulla ſpinali ſubeuntium, deſcripſit, ſed in tabulis anatomicis (tab. XVIII.) originem, decurſum et coniunctionem cum tertio pari ceruicalium, egregie depinxit. Ante autem quam LANCISII opera tabulae illae editae erant, aut inſpici poterant, VIDVS VIDIVS et COITER, non ſolum diſtributionem eius, poſtquam e capite egreſſus eſt, ſed ipſius etiam a medulla ſpinali radices viderunt, ita tamen vt originem pariter ac diſtributionem eius, tanquam radicem et ramos paris vagi deſcriberent. Sic gloria diſciſſas quaſi hucusque huius nerui partes coniungendi WILLISIO reſeruata fuit; qua ex re quoque factum eſt, vt qui eum ſecuti ſunt diſſectores, parum in veterum anatomicorum ſcriptis exercitati, hunc ipſum neruum primum ab eo inuentum eſſe, minus recte opinarentur. Parum quoque noui addiderunt, qui ſtatim poſt WILLISIVM floruerunt diſſectores, ſolo VIEVSSENIO, qui nouam eius iconem edidit, et RIDLEIO exceptis, qui ſeruatam ad hunc diem a WILLISIO inuentionis laudem, ei eripere et VIDO VIDIO tribuere, tentauit. VALSALVA paulo poſt nouam de origine eius ſententiam propoſuit, cum eum, non vt ramum a medulla ſpinali ad par vagum acceſſorium, ſed vt ramum a pari vago ad medullam ſpinalem recurrentem, conſideraret. Hanc tamen opinionem MORGAGNIVS idoneis argumentis euertit, qui quoque, antiquitates eius in nouam lucem poſuit. Recentiori tandem tempore Cl. WINSLOVIVS egregiam nerui eiusdem deſcriptionem dedit, quam dum recenſet

p. 6. p. 10 p. 16. p. 22.

Cl. Autor, varia contra Cl. HVBERVM monet, qui deſcriptionem Winslouianam haud recte intelligens, iniuſtus ipſi erga WINSLOVIVM eſſe videtur. Poſt WINSLOVIVM ille ipſe Cl. HVBERVS et ASCHIVS, optimas originis eius icones, publici iuris fecerunt.

Deducta ſic eius nerui a GALENO ad noſtra vsque tempora hiſtoria, ad ipſam nerui eius originem et decurſum deſcribendum, ſe Cl. Auctor accingit. In tres autem partes tractationem hancce diſtribuit, ſecundum tres figuras, in quibus adſcenſum huius nerui e medulla ſpinali, progreſſum ex capite ad muſculum maſtoideum, et diſtributionem finemque eius in muſculo trapezio delineat.

p. 26. Praemittit primo methodum ſecandi, qua tenerrima huius nerui a medulla oblongata et ſpinali orta ſtamina, in conſpectum prodeunt. Oritur neruus primo ſuo filamento, ſub ſexto pare neruorum ceruicalium, atque inter radices eorum poſteriores et ligamentum denticulatum adſcendit, ita, vt a ſingulo faſciculo qui haſce radiculas conſtituunt, aliquod filum ad ipſum neruum augendum accedat. Varie tamen ludit, vbi ad par primum peruenit; varianteque ratione cum poſteriore eius radice cohaeret. Rami ibidem ſimul in hunc neruum confluentes, eius craſſitiem ita augent, vt gangliolum aliquod his locis Cl. HVBERVS reperiſſe ſibi viſus ſit: quod autem cum ruber color, aliaeque ganglii qualitates deſint, nullo modo pro vero ganglio haberi poteſt. Sic auctus neruus cranium per foramen magnum oſſis occipitis intrat, illudque iterum cum pari vago, cui ſe adſociat, per foramen lacerum relinquit. Nonnunquam ſeparatim duram matrem perforat, ſed mox ſe iterum pari vago tradit. In tranſitu per cranium, quatuor vt plurimum radiculas e lateribus medullae oblongatae colligit, quarum tamen in locum ſaepe duae tantum

tantum craſſiores conſpiciuntur. Vnaquaeque earum hoc prae caeteris ſingulare habet, quod ab initio fiſſa ex duabus quaſi radicibus compoſita eſſe videatur. Totam hactenus dictam huius nerui viam prima figura Cl. Auctor depingit.

In altera figura ſequentem eius progreſſum tradit, ratione, qua his locis hic neruus inueſtigandus eſt, antea deſcripta. Dum neruus acceſſorius cum pari vago cranium relinquit, in fine tranſitus per foramen iugulare, cum dicto pari cohaeret, ad pharyngaeum neruum formandum varios ramos largitur, et varie cum paris vagi portione magna, cum qua communi durae matris inuolucro ambitur, connexus deprehenditur. Has coniunctiones fuſius Cl. Autor explicat, obſcuriores tamen eſſemus, ſi, deficiente figura, ea, quae in diſſertatione propoſita ſunt, repetere vellemus. Truncus ex capite progreſſus retro venam iugularem internam, nullo ramo emiſſo, ad muſculum ſterno cleidomaſtoideum deſcendit. Huius aliquam partem perforans, vt trapezium adire poſſet, multa huic ipſo muſculo filamenta dat, quae cum tertio ceruicis neruo varie communicant. p. 30.

Finem tandem nerui acceſſorii tertia Autoris figura proponit. Anſis enim illis cum tertio ceruicalium in ſternocleidomaſtoideo factis, ſub eo iterum emergit, ſplenium tranſcendit, et cucullarem muſculum in interna ſua facie adit. Communicat filo aliquo cum ſecundi ceruicalium ramo adſcendente, nec non ipſe eius truncus cum ſecundo iterum et tertio cohaeret, tandemque multis ramis in dictum muſculum finitur, ſic huius nerui deſcriptione ad finem perducta varia de vſu eius adnectit. A neruo iſto male adfecto, caput obſtipum, ſcapulam mouendi difficultatem, pharyngis laryngisque paralyſin et anginam paralyticam oriri poſſe p. 31.

 probat,

probat. Quaenam autem cauſſa ſit, mirandi huius nerui in cranium adſcenſus connexionisque cum vago disquirens, WILLISIVM inprimis refutat, qui ideo paris vagi fibris iunctum eſſe putat, vt inuoluntariae functionis teſſeram veluti accipiat, quam pari vago adſcripſit. ſicque brachia quibusuis cerebri conceptibus obſequi debeant. Noſtri
p. 37. Autoris hac de re ſententia haec eſt: non videtur ei medulla ſpinalis eſſe mera continuatio medullae oblongatae, ſed et in ea ipſa aliquas a corticali, qua ambitur, ſubſtantia medullares fibras oriri. Neruus itaque acceſſorius efficit, vt conſenſus inter medullam ſpinalem tanquam propriam aliquam ſpirituum officinam, et par vagum euadat. Eandem eſſe cauſſam coniunctionis intercoſtalis cum quinto et ſexto neruorum cerebri putat.

p. 39. Ad calcem diſſertationis varias obſeruationes anatomicas quas in theatro Argentoratenſi collegit, adiecit Autor, et venam cauam inferiorem duplicem, varietatesque vaſorum inde prouenientium in fig. IV. delineari curauit.

IX.

Cadmiologia *oder Geſchichte des Farben-Kobolds nach ſeinen Nahmen, Arten, Lagerſtädten, darbey brechenden Metallen, Mineralien, Erzten und Steinen, wie auch deßen Verhältniß nach der Probierkunſt, deßen Gebrauch und andern dabey vorfallenden Umſtänden; nebſt Beſchreibung derer darzu gehörigen Oefen, Maſchinen und Arbeiten, theils aus andern Schriften, gröſtentheils aber aus eigener Erfahrung und ſorgfältig angeſtellten Verſuchen und Wahrnehmungen zuſammengetragen und mit Kupfern erläutert, von* D. IOHANN GOTTLOB LEHMANN, *Königl. Preuß. Berg-Rath, Mitglied der Königl. Akademie der Wiſſenſchaften, der Churmaynziſchen nützlicher Wiſſenſchaften und der Engliſchen Societät zur Aufnahme der Künſte, Manufacturen und der Handlung. Erſter Theil. Königsberg, verlegts ſel. Gebh. Ludwig Woltersdorfs Wittwe,* 1761. 4. plag. 17. tab. aen. 9.

h. e.

Cadmiologia ſeu Hiſtoria Cadmiae foſſilis metallicae, quoad eius nomina, ſpecies, ſtrata ſubterranea, iuxtim effodienda metalla, foſſilia, mineras et lapides, eiusdemque partes conſtituentes, arte docimaſtica erutas, nec non vſum aliasque obuenientes res, vna

cum deſcriptione furnorum, machinarum et operationum eo ſpectantium, quam partim ex aliis ſcriptis, maximam vero partem propria experientia et accurate inſtitutis experimentis ac obſeruationibus collegit iconibusque illuſtrauit D. IOANNES GOTTLOB LEHMANN etc. Tomus prior etc.

Opuſculum hoc, quod accuratam multoque ſtudio elaboratam cadmiae metallicae hiſtoriam ſiſtit, in duas partes diſpeſcitur, quarum prior cadmiae duntaxat hiſtoriam eiusque vſum mechanicum tradit, poſterior autem chemicas eiusdem disquiſitiones exhibebit, quibus tandem ſpecificum cadmiae characterem definiri, Noſter putat. Nunquam enim in definiendis regni mineralis corporibus habitum eorum externum ſufficere,neque etiam, absque disquiſitione chemica, ſpecificum foſſilium characterem in condendis regni mineralis ſyſtematibus petendum inde eſſe Cl. Auctor contendit. Cum autem chemicum iſtorum corporum examen nihilominus multis difficultatibus implicitum, ideoque ſumma attentione et exacta pariter cautione opus ſit, Noſter eapropter varias nec contemnendas in praefatione exhibet regulas, quas ipſe in disquirendo hoc corpore minerali obſeruauit, quibusue optimo cum fructu in aliis etiam huius regni corporibus perueſtigandis incedendum eſſe, arbitratur. Quod ad cadmiam attinet, eam multo ſtudio examinauit, vltra trecentas huius corporis mineras disquiſiuit, numeroſaque cum iisdem tentamina inſtituit atque eo lubentius omnem, quam potuit, operam impendit, quo minus corpus hoc accurate disquiſitum adhuc eſſe, deprehendit.

Germa-

Germanicum huius mineralis nomen *Kobold* p. 2.
ſeu *Kobald* dictum, inde abſque dubio ortum eſſe videtur, quod veteres minus cognitum habuere et ceu noxium ac periculoſum corpus conſiderarunt, hocque nomine omne corpus minerale, quod malae notae fuit, inſigniuerunt. Latinum nomen Cadmia metallica dictum, dubiae originis eſſe videtur, vixque definiendum, qua ratione foſſile hoc corpus ita appelletur. Quamuis autem cadmiae nomen in veterum ſcriptis hinc inde occurrat, iſtud tamen corpus, de quo hic agitur, iisdem minus cognitum aliaque corpora foſſilia nomine hoc, improprie tamen, donata fuiſſe, Noſter putat. Ita PLINIVS cadmiae foſſilis meminit, ſub quo nomine autem flores zinci ſeu nihil album vel illud corpus, quod cadmia fornacum hodie vocatur, intellexit: imo idem iſte nomen iſtud ei corpori tribuit, quod calaminarem lapidem hodie vocare ſolent metallurgi. AGRICOLA, PLINIVM hac in re ſecutus, ſub eodem nomine lapidem calaminarem quidem intelligit, alio tamen loco de cadmia quadam ſublimata in vaſe clauſo loquitur, quae vero nihil niſi calx arſenici, ex cadmia metallica vel alia minera arſenicali ſublimata, eſſe videtur. Alia, quae foſſili huic imponuntur nomina, multo magis impropria ſunt. Ita iſtud zafferam vocarunt, quae vero corpus arte ex cadmia factum eſt; vocatur etiam marcaſitha, ſed anceps pariter hoc nomen eſt, ſiquidem eo mox bismuthum, mox mineram bismuthi, mox mineras ſulphureas indigitarunt.

Priſcis temporibus cobaltum vix cognitum fuit, p. 9.
idque ſub initium tantum ſaeculi praecedentis innotuit eiusque vſus inualuit. Licet autem eo tempore et noſtro inprimis ſaeculo nonnulli corporis huius mineralis mentionem fecerint, hosque inter ſcriptores Viri Cl. GESNER, POTT, HENKEL KRAMER, GELLERT et IVSTI inprimis emi-

 nent,

nent, nullus tamen eorum exaſtam huius mineralis hiſtoriam exhibuit nec in ſpecie de eo egit.

p. 13. Quod ad regiones attinet, vbi cadmia effoditur, multae quidem hinc inde corpus iſtud ſed in parua quantitate et impure tantum largiuntur, inter eas tamen, vbi cadmia copioſe et bonae notae effoditur, eminent inprimis Saxonia, Thuringia, Haſſia et Bohemia interque haſce prouincias Saxonia praecipue cadmiam primo loco in mechanicum vſum conuertit et peculiares officinas exſtruxit, quas *Blau-Farbenwercke* appellant; inque quibus cadmiam varie et exaſte praeparare norunt.

p. 16. Seſtio ſecunda de diuerſis cobalti ſpeciebus agit. Falſe quidem variis mineralibus nomen iſtud imponitur, quorum autem alia parum admodum, alia nihil prorſus cum cobalto commune habent. Ita ad ſpecies huius mineralis referuntur Pyrites aqueus, *Waßerkieß*, Pyrites arſenicalis, *Giftkieß*, et Pyrites albus, *Weiſſenkieß* ſeu *Mißpickel*, Anglis *Mondick* diſtum, Pyrites ſulphuris, Bismuthum nudum natiuum, nonnullae minerae argenti et Cobaltum teſtaceum, *Scherben - Kobold*; ex quibus vero patet, verum cadmiae charaſterem nondum determinatum eſſe et requiri ideo, vt accuratius

p. 18. iſtud corpus minerale definiatur. *Cobaltum* itaque ſeu Cadmia foſſilis metallica Noſtro dicitur *corpus minerale foſſile, quod, ſi purum eſt, ex parua quantitate cupri, minori copia ferri et peculiari terra conſtat, partim integrum, partim aliquatenus in menſtruis acidis ſoluitur, nec per ſe; ſi purum exiſtit, nec etiam additis alcalibus regulum metallicum largitur, cum acido ſalis mixtum ſemper notum illud atramentum ſympatheticum viride exhibet, cum alcali vero et terra vitreſcibili fuſum ſemper vitrum coeruleum ſuppeditat.* Ex his itaque videre licet Cl. Auſtorem de pura tantum cadmia verba facere, reliquas vero eius ſpecies omnes excludere. Licet autem varias in

ſpecies

ſpecies diuidatur cobaltum, nulla tamen earum diuiſionum Noſtro arridet, ideoque aliam diuiſionem exhibet, quam ſequens tabula oſtendit.

Cobaltum eſt vel
- purum
  - nigrum, fuligineum,
  - album,
  - ſcoriae ſimile.
  - regulinum.
- mixtum
  - cum metallis et ſemimetallis, cum
    - argento, variae ſpecies
    - cupro, variae regulinae et aeris modo rubentes ſpecies, Cobaltum viride.
    - ferro, omnes fere regulinae ſpecies, Cobaltum luteum.
    - arſenici regulo, Cobaltum dentriticum nonnullae ſpecies Cobalti teſtacei.
  - cum ſulphure } in pyrite
  - cum ſalibus } in pyrite
  - cum terris et lapidibus.
    - cum lapidibus vitreſcentibus.
    - cum lapide calcario variae ſpecies.
    - cum argilla, ſpecies multifariae.

Tabulam hanc ita explicat Noſter: Cobaltum ſolidum et purum dicitur, quod vel nullum arſenicum continet, in fuſione nullum regulum exhibet, caeterum vel nullum vel vix ſenſibile alius metalli veſtigium oſtendit et cum ſale alcalino puro et arena fuſum pulchrum vitrum coeruleum largitur. Alteram ſpeciem ſiſtunt ea, quae in puris mineris repeuntur, in calcinatione arſenicum exhibent, fuſione cum variis fluxibus chemicis verum regulum cobalti ſiſtunt, cumque maſſa vitrariorum pulchrum vitrum producunt. Mixtae vero cobalti ſpecies dicuntur, quae quidem omnes illas vix memoratas cobalti compacti proprietates habent, ſed praeter iſta adducta producta, arſenicum nimirum,

regu-

regulum et vitrum coeruleum, alia etiam mineralia. e. g. metalla, ſulphur, terras, lapides etc. continent. Quod ad ſpecies attinet, quarum Noſter in memorata tabula meminit, et quae primam claſſem conſtituunt, primum locum inter eas obtinet cobaltum nigrum fuligineum, *ſchwarzer, mulmiger Kobald.* Hoc externa quidem facie minerae plumoſae, argento diuiti, ſimile apparet, ſed facile ab ea diſtinguitur; 1) namque dicta minera ex puris tantum teneris ſpiculis componitur, quae nigrae et, reſpectu figurae, ſibi inuicem prorſus ſimiles ſunt; 2) minera illa verum argentum continet; 3) eadem, igne disquiſita, verum arſenicum, ſulphur ſaepiusque copioſas partes antimoniales exhibet; 4) minera iſta in acidis plenarie non ſoluitur; 5) cum arena et ſale alcalino fuſa vitrum nullum largitur; 6) tandem minera iſta plumoſa ſub fornice docimaſtico toſta ob adiunctas partes volatiles multum ponderis amittit. Cum autem nulla harum proprietatum in cobalto deprehendatur, ſed contrarium potius reperiri in eo liceat, patet inde, vtraque haec corpora maxime a ſe inuicem diuerſa eſſe.

p. 24. Cobaltum album rariſſimum eſt ſeque ab arſenico albo, natiuo, cryſtallino, cum qua confundi poſſet, ſequenti modo diſtinguit: 1) Cobaltum iſtud nec cryſtallinum, nec album, nec pellucidum eſt, ſed velut terra alba virideſcens, et amorpha in conſpectum venit. 2) Cum arena et ſale alcalino fuſum vitrum coeruleum largitur. 3) Retortae vitreae commiſſum et forti, quantum vas ferre poteſt, igne tractatum, nullum ſublimatum vel parum admodum oſtendit. 4) Nunquam iſtud in aqua ebulliente ſoluitur nec etiam, ea refrigerata, in cryſtallos abit. 5) Cum ſulphure mixtum, nullum auripigmentum dat. 6) Tandem ex eo, debile licet, verum tamen atramentum ſympatheticum obtine-

obtinetur ſicque ab arſenico, aliter ſe habente, facile diſtinguitur.

Tertiam ſpeciem cobaltum ſcoriae ſimile, *Schlacken - Kobold*, conſtituit. Hic eadem notio, quae de ſcoria, corpore arte facto, habetur, formanda eſt; intelligitur nimirum ſub hac voce cobaltum, quod facie metallica nequaquam apparet, magis minusque ſolidum eſt, ſuperficiem laeuem habet, et, ſi frangitur, laeue pariter reperitur diuerſoque colore eſt. Huius tres tantum ſpecies ſunt; prima cobaltum ſiſtit, quod nigrum, mediocriter ponderoſum, ſuperficie itidemque fracturis laeue et ſplendens et poroſum eſt. Soluitur hoc in acido nitri et ſalis, nullum arſenicum, et, fuſum, nec regulum nec bismuthum, ſed cum arena et ſale alcali fixo vitrum pulchre coeruleum exhibet. Alteram ſpeciem Cobaltum conſtituit, quod in fruſtis ſat duris et interdum etiam ceu ſcoria poroſa in conſpectum venit, nigro - gryſeum, praecedente ponderoſius, interdum Cobalto nigro, fuligineo, eodemque luteo et pauxillo arenae, ſpato ſelenitico etc. intermixtis praeditum eſt. Tertia ſpecies ſiſtit Cobaltum, cui nomen Cobaltum ſcoriae ſimile purum, *reiner Schlacken - Kobold*, imponit Noſter, eſtque nigro - fuſcum et mediocriter ponderoſum, nec arſenicum nec regulum exhibet, fracturis et ſuperficie laeue apparet, vitrumque exhibet, cuius color minus pulcher, quam priorum, eſſe ſolet. p. 25.

Alterum genus claſſis primae cobaltum purum et compactum ſiſtit, quod praeter regulum, arſenicum et vitrum coeruleum nullum aliud metallum, ſemimetallum etc. oſtendit. Pertinet itaque huc cobaltum purum, compactum, regulinum, *vollkommen reiner Stahlderber*, *ſpeiſiger Kobold*, quod plerumque ponderoſum ſatque compactum eſt, interdum album magis, quam minera argenti alba, interdum ceu compactus pyrites albus, interdum ceu p. 26.

corpus

corpus gryſeum apparet, quo inprimis colore mox minerae lunae gryſeae, mox minerae cupri gryſeae ſimile, praeterea amorphum vel druſiforme eſt. Poſito itaque hoc charactere omnes ſpecies cobalti, coeruleum vitrum exhibentes, huc refert Noſter, ſiue longiori, breuiori, rotundiori ſeu cubica forma ſiue gryſeae iſtae appareant. Quae enim ſpecies praeter arſenicum, regulum et vitrum coeruleum nullum aliud metallum, ſemimetallum et minerale exhibent, eas huc collocandas verumque characterem non ex habitu externo, ſed chemico examine depromendum eſſe, putat.

p. 30. Quod ad alteram claſſem attinet, quae mixti cobalti ſpecies continet. eas hic intelligendas eſſe Noſter cupit, ex quibus praeter arſenicum, regulum et ſubſtantiam coeruleo colore tingentem, copia ſat magna metallorum, ſemimetallorum, ſulphuris, variarumque terrarum et lapidum obtineri poteſt. Notandum vero eſt, Noſtrum non de iis cobalti ſpeciebus loqui, quae inter metalla et mineralia atque cum iisdem effodiuntur, ſed de iis ſermonem tantum inſtituere, quae cum eiusmodi corporibus ita mixtae ſunt, vt ne oculo quidem armato a ſe inuicem diſtingui poſſint Mixtas igitur haſce cobalti ſpecies Cl. Auctor diuidit in eas, quae 1) cum metallis, 2) ſemimetallis, 3) mineralibus inflammabilibus, 4) ſalibus, 5) denique cum terris et lapidibus mixtae reperiuntur.

p. 31. Aurum cum cobalto mixtum non reperitur; cum argento vero coniunctum in conſpectum venit. Cuprum intimam cum cobalto mixtionem amat, quid? quod metallum iſtud in pluribus cobalti ſpeciebus ad producendum colorem coeruleum quidquam confert, inque nonnullis partem quandam conſtituit. Cum ferro mixtum reperitur cobaltum et fuſcum eſt; huc quoque pertinet cobaltum luteum, leui pallidaeque ochrae ſimile verumque

vitrum

vitrum coeruleum exhibens. Cum minera ſtanni vulgari cobaltum mixtum non eſt, licet cum eadem hinc illinc effodiatur, quod pariter etiam de minera plumbi valet, quippe quae cum cobalto quidem coniuncta, ſed non mixta, reperitur.

Cum ſemimetallis intimam mixtionem cobal- p. 35.
tum ingredi non videtur, licet iſtud cum bismutho coniunctum mineraque zinci veſtitum reperiatur; cum antimonio autem et minera cinnabaris nunquam effoditur. Cum arſenico ea inprimis cobalti p. 38.
ſpecies mixta reperitur, quae cobaltum dentriticum, *geſtrickter Kobold* dicitur et in adiecta tabula prima a Noſtro delineatur. Pertinet ea ad ſpecies rariores et a metalli foſſoribus noſtratibus *Blumen* vel *Figuren-Kobold* nominatur. In Saxonia tantum et Alſatia cobaltum iſtud hactenus repertum eſt, color eius atro gryſeus eſt et a partibus arſenici regulinis admixtis dependet. Non confundendum iſtud eſt cum ea ſpecie, quae cobaltum teſtaceum vocatur et minera lunae rubra veſtitum eique adſperſum eſt. Cum arſenici regulo etiam mixtum reperitur cobaltum teſtaceum vulgare; licet autem iſtud nihil niſi regulus arſenici natiuus ſit, minerae tamen reperiuntur, quae igne forti tractatae regulum iſtum ſublimatum inque fundo maſſam exhibuerunt, quae cum arena et ſale alcali fuſa vitrum coeruleum oſtendit.

Nunquam cobaltum cum materiis inflamma- p. 39.
bilibus, vt lithantracibus, ſuccino etc. mixtum eſt, licet cum minera ſulphurea coniunctum reperiatur. Cum vitriolo etiam ſed in pyritis tantum mixtum eſt. Ad cobalti etiam ſpecies, cum ſalibus iunctas, omnes illae referendae ſunt, quae toſtione calcem arſenici largiuntur, eaeque ſpecies cobalti vſitatiſſimae ſunt, licet ad ſubſtantiam tingentem arſenicum nihil quidquam conferre videatur.

Ad

p.40. Ad ſpecies cobalti lapidibus terrisque mixti referuntur, 1) cobaltum corneis lapidibus mixtum, quod nimirum iis veſtitum eſt, et ex eo cognoſcitur, ſi color eiusmodi lapidum in gryſeum vergit. Species iſtae nihili aeſtimandae ſunt nec vllum vſum praeſtant, ſiquidem ſubſtantia iſta tingens exigua in illis eſt, ita, vt absque inſigni labore et ſumtu vix extrahi poſſit. 2) Cobaltum cum lapidibus calcariis et ſpato gypſeo mixtum reperitur; illud cognoſcitur, ſi aeri libero aliquantiſper expoſitum rubellum colorem nanciſcitur, hoc vero ſub forma ſpati ſelenitici ſplendentis, colore nigro in conſpectum venit. Vtraque ſpecies ob inſignes ſumtus et labores nulli vſui mechanico inſeruire poteſt. 3) Cum marga etiam et argilla mixtum reperitur cobaltum, ſed nullum vſum habet, ſiquidem vitrum vilioris coloris eo obtinetur. Atque hae ſunt ſpecies cobalti primariae, ad quas reliquae omnes commode reduci poterunt. Ex his autem facile quiuis cognoſcet, nunquam ex habitu externo characterem ſpecificum deſumendum atque cobaltum, quod cum aliis mineralibus mixtum ſaepe occultatum eſt, chemicis tantum experimentis cognoſcendum eſſe, de quibus autem Noſter in poſteriori huius tractatus parte vberiorem mentionem facere, promittit.

p.46. Tertia ſectio de ſubterraneis cobalti ſtratis et metallis, ſemimetallis et mineralibus, quibuscum reperitur, agit. Reſpectu loci natalis cobaltum peculiare nihil habet, ſed eodem modo, vt aliae minerae, reperitur. Quod ad matrices attinet, quibuscum iſtud effoditur, ſequentia notanda ſunt. Cum argento natiuo rariſſime, ſaepius vero cum eiusdem mineris, vt minera argenti vitrea, rubra, alba et gryſea in conſpectum venit, cum cornea autem argenti minera, quae alioquin rariſſima eſt, Noſter exemplum nullum vidit. Cum minera

cupri,

cupri, gryſea inprimis ſaepius, rarius autem cum minera ſtanni vulgari mineraque martis, contra vero cum galena copioſius effoditur. Cum bismutho ſaepius apparet, imo hocce rariſſime, quid? quod fere nunquam absque cobalto reperitur. Cum minera mercurii, antimonii et zinci, quae difficulter cum eo miſcentur, vix vnquam plerumque autem cum lapide calcario, fluore ſiue ſpato vitreſcente, quarzo, corneo lapide et Gneuſo, *Gneuß*, interdum etiam cum lapide arenario vulgari effoditur. Praeterea corpora haec metallica et mineralia non ſolum cobalto matricem praebent, ſed iuxta iſtud quoque reperiuntur absque eo, vt cum hoc ipſo mixta eſſe videantur. De petrefactis et figuris vegetabilium animaliumque corporum nulla hactenus exempla oſtendi potuerunt; ex quo hancce fodinarum ſpeciem mutationem vix ſenſibilem paſſam eſſe, Noſter coniicit.

Sectione quarta de vſu cobalti mechanico eiusque praeparatione agitur. Deſcribuntur igitur operationes, quarum tres inprimis claſſes conſtituuntur. Prima cum cobalto crudo ſuſcipitur, altera ad fuſionem, tertia demum ad praeparandum colorem coeruleum pertinet. Poſtquam cobaltum effoſſum eſt, omne corpus peregrinum et inprimis cobaltum, bismutho diues, accurate ſeparatur, deinde iſtud contunditur et cribro committitur. Cobaltum autem, bismutho diues ſeorſim in ſingulares aceruos collectum candefactione a bismutho, quod inde facile liqueſcit et in foueis colligitur, ſeparatur, idque, quod reliquum eſt, noſtrates *Wismuth-Graupen* appellant. Laboribus his praemiſſis parua cuiusuis ſpeciei portio ſub fornice docimaſtico disquiritur, quo inde pateſcat, quantum ſubſtantiae tingentis quaeuis contineat. Poſtea cobaltum in furnum reuerberatorium immittitur, qui aptis longisque canalibus inſtructus p. 53.

arſenicum, ignis ope inde ſeparatum, recipit. His peractis cobaltum ſat calcinatum et frigefactum cribratur, partes maiores contunduntur iterumque per cribrum traiiciuntur. Tunc autem cobaltum ita praeparatum et comminutum cum cineribus clauellatis puriſſimis et arena pura miſcetur et ad fuſionem aptum redditur.

p. 59. Quod ad fuſionem pertinet, tres a Noſtro deſcribuntur furni inque adiectis tabulis delineantur; his autem deſcriptis oſtenditur, quomodo teſtae vitrificatoriae praeparari, ipſaque fuſio inſtitui debeat. Furno vitrificatorio et teſtis in eo contentis per aliquot dies calefactis, miſcela ad producendum vitrum apta in teſtas ingeritur igneque aucto funditur, vitrum inde fuſum cochleis ferreis eximitur, inque ahena ferrea infunditur, paululumque ibi frigefactum in aquam frigidam immittitur. Vitrum inde refrigeratum contunditur, molendini ope conteritur, lauatur, exſiccatur et in dolia ad vendendum reconditur.

p. 72. Sectione quinta de proba cobalti, quatenus color coeruleus exinde cognoſcatur, agitur. Sub proba intelligitur disquiſitio mineralium crudorum, qua mediante cognoſcitur, num ea ita ſe habeant, qualia externus eorum habitus indicat, et quomodo vſui mechanico ea inſeruire poſſint. De hac in praeſenti Noſter agit, de chemica autem, quae in analyſi conſiſtit, quaeque praeter vſum mechanicum in cognoſcendis partibus conſtitutiuis verſatur, in poſteriori parte agitur. Quod ad priorem ſpectat, ea vel in ſeparatione vel compoſitione conſiſtit Soluitur nimirum cobaltum menſtruis acidis, ſale communi praecipitatur, nitrumque cubicum exhibet; quod aqua communi ſolutum atramentum illud ſympatheticum conſtituit. Fundamentum huius producti non in alcalica ſalis communis parte ſed in acida eiusdem poſitum eſt.

Si

Si enim cobaltum in acido ſalis ſoluitur, ſolutio filtratur et euaporatur et ſal inde ortus in aqua deſtillata ſoluitur, atramentum illud pari ratione obtinetur. Sed obiiciunt nonnulli aſſeruntque, requiri, vt atramentum illud rubro colore praeditum ſit. Aſt, errorem ibi commiſſum eſſe, et atramentum illud viridi colore donatum fuiſſe, Noſter perhibet. Licet autem negandum non ſit, cobaltum, nitri acido ſolutum et lixiuio ſalis alcalini praecipitatum, puluerem rubellum exhibere, exceptionem tamen ibi admittendam eſſe, Noſter putat. Vt autem res iſta clarior euadat, varia ea propter communicat experimenta, quae cum variis cobalti ſpeciebus inſtituit. Quantum ex his videre licet, omnia demum eo redeunt, vt probetur, cobaltum variis acidis ſolutum cumque acido ſalis communis coniunctum, nitrum cubicum, vel in ſolo acido ſalis ſolutum poſteaque euaporatum talem ſalem exhibere, qui aqua ſolutus atramentum ſympatheticum conſtituat. Nunquam itaque ad colorem cryſtallorum vel earundem atramenti ſympathetici reſpiciendum eſt, dummodo atramentum, chartae illitum, calore admoto viridem colorem exhibeat. Quo magis ſaturatus color iſte apparet, eo magis diues cobaltum aeſtimandum, idque cum acidis et cobalto inſtitutum experimentum inter primaria, quae tingentem illam ſubſtantiam probent, referendum eſt. Quo magis vero cobaltum arſenico mixtum eſt, eo minus color iſte viridis atramenti ſympathetici apparet, imo adeo luteus tantum producitur color, ſi cum pyritis arſenici inſtituantur tentamina.

Altera diſquirendi methodus in compoſitione conſiſtit. Antequam autem cobaltum cum aliis materiis mixtum fundatur, toſtio prius in furno docimaſtico ſuſcipienda eſt, quo nimirum iſtud a partibus peregrinis, arſenico et bismutho, rite libere- p. 91.

liberetur. Depurati poſtea cobalti definita portio cum determinata pariter portione arenae purae ſalisque alcalini miſcetur, aptisque vaſis indita furno ad fundendum committitur poſteaque aptis inſtrumentis disquiritur, num vitrum inde ortum coeruleo colore tinctum ſit, quo viſo crucibulum eximitur, frigefactum diffringitur vitreaque maſſa abraditur. Vitrum poſtea a peregrinis partibus liberatum in ſubtiliſſimum puluerem teritur tepidaque aqua aliquoties abluitur, donec tandem reſpectu coloris et ſubtilitatis finis obtineatur, ex quo poſtea coniicere licet, qua ratione fuſio cum magna quantitate inſtitui debeat. Haec itaque ſunt, quae ex vtiliſſimo hoc et diligenter elaborato libello excerpere licuit; reliqua, quae reſpectu huius mineralis ad chemiam ſpectant, cuiusque euulgationem exoptamus, ſuo tempore indicabimus.

X.

ANTONII DE HAEN, Conſiliarii Aul. et Med. Pract. in hac alma et antiquiſſima Vniuerſitate Profeſſoris Primarii, Pars Tertia Rationis Medendi in Noſocomio Practico; quod in gratiam et emolumentum Medicinae Studioſorum condidit MARIA THERESIA, Auguſtiſſima Romanorum Imperatrix etc. Editio altera. Vindobonae, typis Ioannis Thomae Trattner, MDCCLX. 8. mai. pl. 15. Pars Quarta. Editio altera. ib. eod. pl. $17\frac{1}{2}$.

Quae in noſocomio, cui praeeſt, per experientiam magis magisque habuerit confirmata, tradere nunc pergit Ill. Auctor eadem methodo, quam priores huius operis partes nuper * expo-
nentes,

* vid. Comment. noſtr. Vol. IX. P. I. p. 84.

nentes, iam laudauimus. Longiores tum temporis fuimus, vt conſtaret, quam vtilia ab ipſius ſtudio atque induſtria expectare poſſet medicorum orbis litterarius. Ita ſe quoque habent, quae in iam indicatis partibus proponuntur, vt illas ipſas perlegiſſe neminem poenitere poſſe arbitremur.

Tertia huius operis *pars ſex* abſoluitur *capitibus*, quorum *primum de morbis malignis* inſcribitur. Iſtos p. 4. malignitatis nomine tantum inſigniendos eſſe *Noſter* cum HIPPOCRATE, SYDENHAMO aliisque iudicat, *quos ſymptomata inſueta aut longe ſolito grauiora numeroſioraque comitentur*, ideoque variolarum, morbillorum, ſcarlatinarum, miliarium atque petechiarum exanthemata ad morbos per ſe malignos referri non poſſe, dummodo vel acutorum criſin faciant, vel benignioris certe naturae conſuetum ordinem ſequantur. Emeticorum porro vſum, vti p. 23. in reliquis morbis acutis, ſic etiam in malignis, rariſſimum eſſe, et a ſe numquam huc vsque adhibitum: itidem venaeſectionem in apparente tantum debilitate, a plethora nimirum vel rarefactione humorum orta, concedendam eſſe dicit. Multus deinde eſt, vt per experientiam, allatis ideo quibusdam aegrorum hiſtoriis doctrinae plenis, confirmet, quam vtilis, quin et vere vnicus atque neceſſarius ſit corticis peruuiani vſus contra quaeuis morborum ſymptomata maligna, ſi modo copioſe diuque detur aegris. Intra vnius enim diei ſpatium extracti illius corticis vnciam exhibere in eiusque vſu quouis morbi tempore tamdiu pergere ſolet, donec malignitatis ſigna euanuerint.

In *ſecundo* capite ſua, quae *de colica pictonum* p. 73. habet obſeruata, communicat. Anno quidem 1745 ſingularem de hoc morbo ediderat diſſertationem: tamen circa ſuam ipſe dubius haerens ſententiam, non ſolum aliorum, qui de eodem morbo expoſue-

 runt,

runt, ſcripta et obſeruationes ſedulo peruoluit, ſed et cum ſuis omni ſtudio contulit, vt certe tutiorem felicioremque iſti medendi viam inueniret, ſi quoque cuncta phaenomena prorſus explicari necdum poſſent. Itaque de curandi ratione, quam experientia huc vsque prae reliquis confirmauit ceu optimam, huius nunc commentarii facit
p. 76. initium. Ad tres claſſes diuerſae medendi methodi, a medicis huc vsque receptae, referendae ſunt. Alii emeticis ab initio datis, paulo poſt ſubiunctis purgantibus et enematibus fortiſſimis, morbum vno quaſi ictu tollere cupiunt: alii ſolis tantum purgantibus et emollientibus; alii tandem, paucioribus et per vices datis euacuantibus, emollientibus vero potiſſimum, tum internis, tum externis, copioſe applicatis prudentique opii vſu, morbum curare annituntur. Vt igitur has curandi methodos diiudicet Cl. Auctor, ipſius morbi imaginem
p. 80. ſequentibus adumbrat. *Didici* nimirum inquit, *ab inimica cauſa inteſtina vehementer conſtringi, foeces in iisdem contentas exſuccas duraſque reddi, dum etiam a cellulis vehementer contractis, colo potiſſimum in inteſtino, in paruos, eosdemque oblongos, globos formari: demum vero, tum colon maxime, tum et pro parte ileum, (nam et ibidem veras foeces aluinas haerere priore anno demonſtraui,) cum ſuis exſuccis duriſſimisque contentis, in ſolidam veluti maſſam coire, omniaque vaſa et neruos comprimendo, ferocia illa tormenta producere.* Ex his patere nunc demonſtrat, primam methodum per vomitoria praeſtitam, propter conuulſiones magis inde metuendas, nec tutam eſſe, neque, ſi modo ſuccedat euacuatio, ſufficere vel a relapſu praeſeruare, quum cellulae inteſtinorum contractae cum foecum mole compactae firmiter vnitae manere poſſint; licet concedi queat, in hominibus robuſtis nonnunquam exoptatum euentum
p. 84. ſequi poſſe. Secunda igitur methodus per emol-

lientia

lientia nimirum et purgantia tutior iſta omnino cenſenda erit; et huic tamen praeferri debet tertia, ex qua ſcilicet eodem modo, vti in iſto caſu, vbi venenum aliquod ingeſtum fuit, tractatur morbus, aqua nimirum calida, lacte, aqua mellita, oleo, copioſiſſimis, interne et externe, omni modo applicatis, vt inuoluatur et obtundatur acre iſtud laedens, obſtruens et compactum leniatur, emolliatur et ad leniorem euacuationem aptius reddatur. Interim tamen, quum oleoſa et inuoluentia neruos p. 93.
quidem leniant et ab vlteriore irritatione defendant, miram tamen iſtam neruorum affectionem in eo morbo obuiam haud demant, opium omnino ſimul in vſum vocari debet, quippe quod ſolum iſtam morboſam neruorum conditionem mutare atque tollere valet. Hinc contra BAGLIVII ſententiam, ad praecauendam potius paralyſin, quippe quam opii vſu accerſeri putauerat vir ille praeſtantiſſimus, opio cum copioſo oleo nihil praeſtantius exhiberi poſſe Noſter affirmat; quid? quod aliorum excellentium medicorum exemplo, opium cum purgantibus miſcendum in ſimilibus morbis, v. c. ileo, quam maxime commendat, et allatis quibusdam morborum hiſtoriis per experientiam comprobat. Quibus nunc expoſitis, extremitatum p. 104.
reſolutionem aliaque in diro iſto morbo obuia ſymptomata per anatomicas PETITI atque WINSLOVII obſeruationes explicare annititur, ex quibus nimirum neruum intercoſtalem, cuius quippe ramuli in hoc morbo affici creduntur, a communi neruorum principio in encephalo haud naſci, ſed a gangliis potius illis numeroſis, a ſumma ſpina ad oſſis ſacri vsque infimam partem totidem veluti cerebra componentibus, ſuam capere originem, conſtat.

p. 117. In prima iam atque ſecunda operis huius parte *de ſanguine humano eiusque calore* capta experimenta *Noſter* communicauerat; nunc eadem a ſe repetita, eundemque, ac olim, deprehenſum fuiſſe monet effectum. Porro alia eo pertinentia *tertio* iam huius tomi *capite* recenſet. Cruſtam inflammatoriam in ſanguine e vena miſſo variare obſeruauit pro diametro vaſis excipientis; id, quod a nobis quoque ſaepius annotatum fuit. Quo altius enim atque anguſtius vas, eo quoque denſior ſolidiorque cruſta. Sanguis porro in morbis valde acutis octauo iam morbi die detractus, cruſtam tamen inflammatoriam habuit inſignem, morte paucis horis poſt nihilominus inſequente. Cruſtam quoque hanc denſam, quamdiu praeſens ſit, inflammatorii ſtatus praeſentiam denotare, *Noſter* aſſerit. Quam fallaces ſint omnes iſtae hypotheſes, quibus caloris in corpore humano generationem explicare velint, phyſiologi, ſupra iam dixerat; nunc idem vrget atque confirmat pluribus ideo allatis obſeruationibus, ex quibus apparet omnino, multa ſupereſſe adhuc nondum ſatis explicata hominumque forte intelligentiam prorſus exſuperantia, ad quorum claſſem attinere quoque exiſtimat corticis peruuiani aliorumque remediorum vim atque modum, quo in corpore humano agant; id, quod de vua vrſina, in ſecunda operis parte iam valde laudata, quoque pateat.

p. 141. In *capite* enim *quarto* iam denuo exhibet *experimenta in calculoſis et de calculo varia.* Ab illo enim tempore illius modo nominatae herbae puluerem calculoſis porrigendi frequentiorem habuit occaſionem eiusque efficaciam ſemper inuenit praeſtantiſſimam. Calculum quidem ipſum haud ſuſtulit illud remedium, ſed ſymptomata, dolores in primis, admodum mitigauit vel quoque prorſus, vel certe in quibusdam aegris, ad tempus aliquod,

ſopiuit.

ſopiuit, bis vel ter quoque per diem huius pulueris drachmam ſemis, verſus noctem autem vel, doloribus nimium ſaeuientibus, alio quoque tempore, paregoricum, aegris propinare, *Noſter* ſolet. Indolentiam hanc per illud remedium allatam ſe quidem explicare non poſſe candide fatetur, eius tamen vſum et certum et tutum fuſius nunc hic loci comprobat atque commendat.

Quintum caput de virtute ſingulari quorundam medicamentorum exponit. Quemadmodum ſupra Cl. Auctor laudauerat largiorem corticis peruuiani vſum in morbis malignis quam maxime conſpicuum; ſic et hic loci egregias ipſius vires praedicat in non nullis morbis chronicis, phthiſi potiſſimum ſanguinisque purulenta diatheſi ab vlceribus orta, in ſpina ventoſa et vlceribus cancroſis, praeſertim ſi diaeta lactea ſimul obſeruetur. Lyſimachiam deinde vulgarem flore purpureo, TOVRNEFORTIO Salicariam, LINNAEO autem in *Gen. Plant.* No. 463. Lythrum dictam, tamquam excellens remedium extollit in diarrhoeis ac dyſenteriis a laxitate oriundis, quin et annoſis et rebellibus factis. Remedio antea aluum purgante dato, illius plantae in puluerem redactae drachma vna vel quatuor ſcrupuli mane ac veſperi tam bono cum ſucceſſu dantur, vt malum, ſi recens fuerit, intra trium quatuorue dierum ſpatium perfecte tollatur. Animaduerti tamen debet, tum temporis modo eius vſum tutum eſſe, quando a laxitate magis, quam a ſordibus, nec ab aliqua collectione humorum putrida, aut inteſtinorum aliusue viſceris vlcere, ſuam morbus ceperit originem. Laudes denique mercurii ſublimati in frumenti ſpiritu ſoluti ſaepius iam decantatas, denuo repetit. Vnius tantum anni ſpatio remedii illius vncias duas cum 139 libris frumenti ſpiritus, in quam plurimis morbis chronicis et admodum alias rebellibus optimo cum ſucceſſu ſe

p. 179. p. 195. p. 198.

exhibuiſſe teſtatur. Bis modo inde obſeruatus fuit ptyalismus isque leuis moxque ſuppreſſus. In gutta tamen ſerena bis eodem anno tentatae illius vires fruſtra expectatae fuerunt.

p. 200. In *ſexto* tandem *capite* agit *Noſter de machina electrea* et ex ſuis, quas per hunc annum habuit, obſeruationibus viginti ſex iam paulo fuſius recenſet. Monet antea, per tres horae quadrantes ſingula vice factum fuiſſe tentamen, ita vt trecentos et quinquaginta ictus eo temporis ſpatio aegri ſuſtinuerint: porro aegrorum plurimos antea vſos fuiſſe thermis ſulphureis Badenſibus, ſed vix non omnes absque exoptato ſucceſſu: tandem in iis nihil profeciſſe machinam electricam, quibus muſculi femur flectentes a longo iam tempore rigidi facti et ita accurtati fuerint, vt in poſticam partem contractum eſſet crus: in his enim rigorem antea ſoluendum eſſe adhibitis emollientibus et maxime vaporis balneo. Tremorem artuum atque paralyſin principes morbos eſſe legimus, contra quos electricitatis vim bono cum euentu tentauit *Noſter*. Priori potiſſimum morbo obnoxios eſſe percipimus tales homines, qui variis inaurandis rebus quaeſtum quaerunt: ad vnam enim auri partem, vt amalgama huic operi aptum praeparent, quinque partibus indigent mercurii, cuius vapores quam maxime nociui hunc morbum efficere obſeruantur. In his experimenti electrici euentus vix non ſemper fuit exoptatus, minus autem in oculorum vitiis.

Nunc adhuc quaedam de *quarta* operis *parte* addere liceat. *Octo* illa *capita* continet, quorum *primum de febribus malignis dictis* iterum agit. Suam de malignitate morborum ſententiam, ſupra iam prolatam, magis magisque confirmatam eſſe per experientiam, *Noſter* aſſerit, quod ea nimirum de morbi eſſentia, vti in ſcholis dici ſolet, non ſit, ſed

quoddam

quoddam potius accidens; id, quod variolarum morbus eiusque varia ratio ſatis demonſtret: eodem quoque modo ſe habere petechialia et miliaria exanthemata, de quibus binis vltimis tamen id valere, quod conſiderari queant, primo vt morbi primarii; id vero rarius tantum et ex certa quadam conſtitutione epidemica; deinde, vt acutorum criſes; id quod etiam rarius neque facilius, niſi regiminis errore; tandem vero vt aliis acutis *ἐπιγεγομενοι*, v. c. puerperio. Quam egregius autem corticis peruuiani vſus ſit contra maligna morborum ſymptomata et inde nunc denuo probat, quod aegri iam olim per hoc remedium ſanitati reſtituti optime valere pergant, et quod nuperrime datus copioſam petechiarum expulſionem adiuuerit, aliam vero aegram, in qua haec exanthemata cum perpetuo vomitu retroceſſerint, feliciter tamen ſeruarit. Inſimul tamen monet, illum ſero nimis, vel, vti ſupra dixerat, non ſatis larga copia datum, malignitatem tollere non amplius poſſe. p. 3.

De aneuryſmate obſeruata et cogitata Cl. Auctoris *ſecundum caput* habet. Poſtquam is igitur de varia huius tumorum generis ſede multum diſſeruit, et vnam alteramque memoratu digniſſimam obſeruationem de aneurysmate aortae ipſiusque cordis enarrauit, varias nunc mouet atque explicare annititur quaeſtiones huc pertinentes. Cur enim aneurysmatum tunicae, modo craſſiores, modo lamellatim diſpoſitae, modo tenues? Vel polypoſo a ſangine applicato tunicae apparent tantum craſſiores: vel hae a ſe inuicem diſcedentes ſanguinem inter ſe recipiunt compactum: vel in degeneratione partium, vti in herniis, nouae ex veteribus enaſcuntur membranae: vel denique ſanguis ſpiſſior factus tunicas extendit tantum tenuioresque iſtas reddit. Cur non ſemper tutum eſt, aneurysma manibus multum tractare? Reprimimus enim p. 9. p. 22.

ſangui-

ſanguinem verſus cor, caput etc. inde anxietates, vertigines e. ſ. p. Filamenta porro polypoſa ad arteriae axin preſſa, in minora vaſa facile impelluntur humorumque in iis circulum intercipiunt: Teneriores tandem factae tunicae facilius inde rumpi poterunt. Cur ſaepe non pulſat aneurysma? Vel propter tunicas craſſiores factas: vel ob inſignem ſanguinis grumoſi contentam copiam: vel ob cordis vires ſenſim imminutas. Cur interdum ſedem ſuam mutare videtur aneurysma? de interno id potiſſimum valere Cl. Auctor probauerat exemplo paulo ſupra allato, ſine dubio a magno in parte ponderis auerſa facto augmento hincque tota mole in illud latus propendente. LANCISIVS itaque iam annotauit, quam circumſpecta eſſe debeat externa aneurysmatis compreſſio. Cur denique cordis aneurysma modo valde moleſtum aegro cuidam fuit, modo minus? Plethora nimirum modo ſenſim renata debilioris cordis vires exſuperauit, modo autem per venaeſectionem diluentia, paregorica et obſeruatam quietem denuo imminuta, inter contractionem cordis humorumque impulſum reſtituit
p. 28. aequilibrium. De aneurysmatis curatione poſtea exponens Cl. Auctor, fieri poſſe exiſtimat, vt illud vel internum quoque veram recipere poſſit curationem, ſi nimirum, cordis et humorum aequilibrio ita reſtituto, vt, quod ratione ſolidorum deficiebat, nunc fluidorum reſpectu aliquantiſper deſideretur, ſolidae partes, ipſarum ſe contrahendi vi nondum prorſus amiſſa, in priſcam formam ſe reſtituant, praeſertim ſi polypoſae ſanguinis ſpiſſitudini per fructus ſaponaceo-acidae indolis, nitrum
p. 41. et gummi ferulacea ſuccurratur. Vniuerſalem enim fere aneurysmaticam diatheſin adeſſe poſſe exemplo
p. 49. probat. Aliam porro hiſtoriam refert curationis per fungum agaricum praeſtitae, quippe qui vulnuſculo, arteriae brachiali ex infelici venaeſectione inflicto,

inflicto, impoſitus, poſt tres iam ab operatione dies, ſanguinem prorſus in arteria laeſa retinuit, tota cura eaque perfecta quatuordecim dierum ſpatio peracta. Similes caſus iam olim ex actis academiae chirurgorum Pariſienſis referre, nos meminimus *.

Tertium porro *caput de tympanitide et hydrope cyſtico varia* complectitur. Quod priorem attinet morbum, ea, quae iam ſupra in ſecunda operis parte de illo dixerat Cl. Auctor, vlterius nunc confirmat. Vt alterius vero naturam explicet, numeroſas eius hiſtorias recenſet atque diiudicat. Qua occaſione in conſilii illius abit inueſtigationem, quod a dexterrimo chirurgo, MORAND, in ſecundo commentariorum tomo Academiae Chirurgiae Pariſienſis commendatum legitur, ex quo nimirum abdomen expanſum lata plaga vulnerandum ſimulque omne in ſacco contentum liquidum effundendum, ipſius ſacci conſumtionem applicatis remediis praeſtandam, quin et eius exſtirpationem interdum ſuſcipiendam eſſe, a nonnullis chirurgis gallis ibi traditur. Poſtquam autem multum atque docte hoc de argumento diſputauit Cl. Auctor, paraceteſin operationi illi nec ſatis tutae, neque ſemper locum habenti, praeferendam eſſe probat. p. 62. p. 97.

De coxario morbo quartum caput agit. Illo nomine inſignire Cl. Auctorem omnes iſtas valetudines intelligimus, quae coxae articulum vel vicinas quoque partes efficiunt. Quam fallax eſſe poſſit iudicium de harum partium laeſione a cauſis externis orta, ſiue fractura, ſiue luxatio ſit, cum egregio PETIT, olim iam hac de re conqueſto, aſſerit variisque enarratis caſibus confirmat. Idem quoque aſſerit de articuli huius affectione, quam vel cauſſae internae tantum, v. c. materies arthritica, ſcorbutica, venerea, e. ſ. p. metaſtatice huc p. 135. p. 141.

delata,

* vid. Comment. noſtr. Vol. III. P. IV. p. 594.

delata, vel etiam internae cauſſae externis iunctae,
p. 146. produxerint. Qua occaſione quaeſtionem aliquam, pluribus iam in huius operis locis motam, vlterius examinat atque ſoluit: Num abſceſſus nimirum circa has partes praeſertim ab interna cauſſa geniti aperiendi ſint, nec ne? quum experientia docuerit, interiora prius corrupta exeſaque, humoresque antea inquinatos eſſe, quam eiusmodi abſceſſus foras pergant, adeoque, apertura nunc facta, mortem multo citius accelerari, aut ab aëris acceſſione, aut forte ab alia minus nota cauſſa. Intus quidem contento puri exitum conciliandum eſſe *Noſter* concedit, ſed paruam eſſe debere aperturam, neque vlcera haec, niſi raro et caute, deliganda eſſe tradit, quum latiorem aperturam ſemper nociuam eſſe, multoties repetita experientia probauerit. Multus deinde eſt Cl. Auctor, vt HIPPOCRATIS de hoc morborum genere ſententiam et ab eo traditam illis medendi methodum examinet atque commendet.

p. 175. In *quinto* capite *de apoplexia et neruorum morbis* ille diſſerit. Variis ab initio cadauerum diſſectionibus enarratis inde probat, varias quidem apoplexiae cauſſas remotas eſſe poſſe, vnam modo tamen eandemque proximam dari, cerebri nimirum compreſſionem, vel a ſero extra vaſa miſſo, vel a vaſis varicoſis factis, vel a polypo aut ſtagnantibus humidis ortam, quo forte etiam illud genus pertinet, quod a defectu non quidem ſanguinis, ſed materiae vltimo elaboratae ſeu ſpirituum, aliqua ſcilicet cerebri parte
p. 193. collabente, efficitur. Qua etiam ex ratione reuellentem ſic dictam methodum ad curandum hunc morbum commendat, emeticis autem pernicioſius nihil dari poſſe arbitratur. Paralyſeos deinde, epilepſiae, apoplexiae, lethargi, conuulſionum, ſimilemque cerebri morborum affinitatem aut diuerſitatem pro varia compreſſionis vi, variis quoque

locis preſſis variaque reſiſtentia indigitat. Inter alia de apoplexia notat, in ea encephalon aequaliter premi, in paralyſi non nullas tantum fibras, quorundam neruorum origines. Veram autem epilepſiam, quo etiam pertinent conuulſiones, veluti alternantem apoplexiam et nimium motum eſſe, putat: Vno enim temporis momento cauſam huius morbi irruere vi quadam in cerebrum et efficere muſculornm contractiones, altero autem, cerebro quaſi nimium repleto, vi denuo repelli: quem motu ceſſantem ſequi ſomnum apoplecticum, quo ipſe morbus, ſi eius paroxysmus ſuperari adhuc poſſit, veluti coquatur, vel, ſin minus, in letalem abeat apoplexiam Quo autem modo prorſus aliter ſe habeat catalepſis, admodum docte diiudicat. Quasdam denique cerebri fibras, non autem omnes, ſeſe decuſſare, ſed quasdam ſui, non oppoſiti, lateris neruos ſuppeditare, ex allatis de ſymptomatum diuerſitate obſeruationibus colligit. Quod lympha in cerebri ventriculis reperiunda ad ignem non coaguletur, experimentis ſibi conſtitiſſe aſſerit. p. 198. p. 210. p. 216.

In *ſexto capite* quaedam *de ſanguine et calore humano* refert. In morbis acutis et inflammatoriis poſt quartum diem diatheſin ſanguinis phlogiſticam abeſſe ſolere ideoque venam ab eo tempore non ſecandam eſſe; ſanguinem porro in morbis malignis diſſolutum eſſe ideoque vi iſta producendi in ſe coagulum iſtud inflammatorium carere, in ſcholis quidem docent medicorum plurimi; quam fallax autem et incerta ſit iſta obſeruatio eique de ſecanda vena ſuperſtructa regula, ex ea, quam habuit, experientia *Noſter* probat. Feminae porro, cui fluunt menſtrua aut lochia, ſi morbus ipſum corripuerit venae ſectionem poſtulans, venam quoque ſecat, ſique nihil contra indicet, in pede; neque tamen in brachio eam reformidat, ſi natura morbi, v. c. p. 217. p. 220.

p. 257. pleuritis; hunc locum indicet. Calorem corporis humani a ſolo attritu oriri non poſſe, in ſecunda iam operis parte per experimenta *Noſtrum* euiciſſe retulimus. Nunc is eadem confirmat, quin et ſub ipſum mortem caloris ſummum gradum ſeſe obſeruaſſe narrat. Iterum quoque monet, cauſſam, cur experimenta, quae multi medici de calore humano definiendo ceperint, quam maxime variare, in eo poſitam eſſe, quod ſingula vice non diu ſatis, nempe non per horae ſpatium, thermometrum applicuerint. In ſanis itaque hominibus latitudinem caloris nonageſimum inter quartum et octauum gradum
p. 232. aſſumi poſſe, per tentamina ſua euincit. Simul etiam explodit illam communem ſententiam, quod calor humanus in infantibus, adultis atque ſenibus diuerſus ſit, quin potius tabulis, quae experimenta in hominibus paucos dies tantum natis ad aetatis vsque nonageſimum primum capta exhibent, hic loci allatis demonſtrat, in omni hominum aetate naturalem calorem ſibi ſemper aequalem eſſe eandemque eius deprehendi latitudinem, quam iamiam indicauimus.

p. 241. In *ſeptimo capite de ſingulari quorundam medicamentorum virtute*, quae per experientiam huc vsque obſeruauit, communicat. De Lyſimachia ſupra iam diximus, eiusque vires in diarrhoea aut dyſenteria, vel ab alia quauis etiam, praeter laxitatem, cauſſa ortis, dummodo prior cauſſa deuicta fuerit ſolaque debilitas ſuperſtes ſit, easdem et ſemper
p. 251. egregias deprehendiſſe *Noſtrum* iterum legimus. Polygalae virginianae autem radicem, aduerſus effectum morſus ſerpentis, *Boicininga* dicti, qui in diatheſi ſanguinis inflammatoria producta conſiſtere perhibetur, talibus in caſibus, vbi aegri a ſimili diatheſi patiebantur, adhibuit, ſed eo effectu caruit, quem alii recentiores medici inde ſe vidiſſe dixerant. Marrubii quoque vires contra pulmonum

maxime

maxime abſceſſus a veteribus laudatas rarius et aliquantum modo, abietis autem contra quemque ſcorbutum commendatas, plane nullas obſeruauit. Vuae vrſi e contrario efficaciam, cuius iam ſaepius p. 253. meminit, denuo praedicat, praeſertim in omni, valida etiam diuturnaque totius ſyſtematis vrinoſi ſuppuratione, ea tantum, quae a venerea labe ortum duxerit, excepta. Porro, vti iam a nobis commemoratum fuit, in affectibus a calculo ortis vt plurimum et ita huc vsque profuit, vt in illis caſibus, vbi optatum effectum haud praeſtiterit, neque ipſam lithotomiam veram allaturam fuiſſe curationem opinetur Cl. Auctor, quum cadauerum ſectiones docuerint, veſicam vrinariam cum ipſis vreteribus calloſitatem inſignem praeter alias, a ſuppuratione inde natas, mutationes ſaepius viſas contraxiſſe, ideoque perpetuum certe vrinae ſtillicidium, vulnere infligendo coire deinde neſcio, metuendum fuiſſe. Aquoſum plantaginis aquaticae latifoliae infuſum, ad calculoſos morbos ab amico commendatum, proxime data occaſione in vſum vocabit.

In vltimo tandem, quod *octauum* eſt, capite p. 260. *de viribus electrinis* tentamina quae huc vsque facere perrexit, enarrat, ex quibus illud tantum repetere adhuc liceat, quod genarum partiumue vicinarum paralyſis vel quoque conuulſio rarius, neque per vim electricam facile curetur; quod vero olim talem conuulſionem ſuſtulerit celebris ille anatomicus Leydenſis, ALBINVS, neruo infraorbitali abſciſſo. Caſum huic ſimilem ab egregio medico Hagano, Cl. WESTERHOFF, ſibi communicatum refert.

Quum conſtet nobis, quam liberaliter cum bibliopola, cuius impenſis huc vsque excuſum fuit hoc opus, egerit Ill. Auctor, illius incuria tantos in illud irrepſiſſe errores typographicos, omnino dolemus.

XI.

Deſcriptio de vera florum exiſtentia, vegetatione et forma in plantis dorſiferis ſiue epiphylloſpermis vulgo capillaribus, a D. IO. FRANCISCO MARATTI Abb. Vallumbroſano Archigymnaſii Almae Vrbis Lectore Botanico-Practico, et horti medici botanici Praefecto, ac in Academia horti Caeſarei botanici Florentini et Botanophylorum Cortonienſium Socio. Romae, 1760. apud Fratres Saluioni, 8. pag. 13. tab. aen. I.

Plantarum dorſiferarum flores a botanicis nondum ſatis disquiſiti, vel ob teneram fabricam recte definiti fuerunt, cum vtplurimum non niſi ſeriem corpuſculorum ſub pinnulis varie collectorum ſiſtant; Cl. Auctor itaque curioſius in has partes inquiſiuit et optimis microſcopiis adiutus in variis plantis huc ſpectantibus veram ſtructuram florum detegere anniſus eſt. In lonchitide potiſſimum inter corpuſculorum horum aceruos flores monopetalos pileiformes inuenit margine integro in maturitate plicato apicibus ſiue antheris duabus, cum piſtillo breuiſſimo filiformi ex vmbilico egrediente et ouario infixo. Praeter hos flores et alios obſeruauit circumpoſitos prioribus et aberrantes, forma ſphaerica pediculis inhaerentes, qui ſenſim in duas partes diſſiliunt et congeries ſtaminum apicibus ſuis inſtructorum continent; hos in filice et lonchitide cum prioribus coniunctos, in polypodio ſolos tantum inuenit. Succeſſiuam quoque horum floſculorum mutationem eſſe oſtendit, extenſus enim margo poſtea plicatus et polline antherarum diſperſo, ſemina tenuiſſima ex variis diffundunt a lanugine furfuracea, quam CAESALPINVS deſcripſit, longe diuerſa.

diuerſa. In reliquis dorſiferis, trichomane, ruta muraria, lingua ceruina, aſplenio atque adiantho ſphaericos illos floſculos in duas partes dehiſcentes tantum detexit et in tabula addita delineauit. Hos flores quoque in osmunda in ſummitate ramulorum, in ophiogloſſo in ſpicam lingulatam diſpoſitos inuenit. Imperfectae tamen nobis videntur hae obſeruationes, quae ad genera plantarum dorſiferarum, vt decet, definienda non ſufficiunt, praeter ea enim, quae in lonchitide potiſſimum de floribus pileiformibus detexit, in omnibus reliquis ſimilem tantum fabricam declaratam eſſe cognoſcimus.

XII.

Philoſophical Tranſactions, giving ſome Account of the preſent Undertakings, ſtudies and labours of the Ingenious in many conſiderable Parts of the World Vol. L. Part. I. for the Year 1757. London printed for L. Davis cet. 1758 ad p. 479 tab. aen. 18.

h. e.

Tranſactiones philoſophicae, quae laborum ab eruditis in variis orbis terrarum partibus nouiſſime ſuſceptorum, quandam exhibent notitiam. Vol. L. Pars I.

In parte hac ſequentia exhibentur:

1. *Deſcriptio terrae motus d.* 18 *Nouembr.* 1755 *in Noua Anglia et adiacentibus Americae partibus percepti,* in literis ad Cl. TH. BIRCH Soc. Reg. Sec. datis a Cl. WINTHORP. Prof. Cantabri-

gienſi in noua Anglia *. Die decimo ſeptimo Nouembris verſus veſperam nebula ſurgebat, iam diſſipata, quando ſequenti die coelo ſereno exiſtente et proxime ad plenilunium mox poſt horam quartam matutinam terrae motus percipiebatur. In plaga N W. ſonus tonitru ſimilis audiebatur, qui propius accedens in vno alteroque minuto temporis praeſentem reddebat motum breui quidem durantem, ſed paulo poſt grauius recurrentem, tandem ſenſim paulatimque ceſſantem, poſt horam quintam nouus motus, die 22 Nouembr. tertius et die 19 Decembr. quartus percepti fuerunt, minus tamen vehementes, quam primus. Noſter quidem in tempeſtatum viciſſitudinibus et omnibus mutationibus, a ſe ipſo et aliis perceptis, deſcribendis copioſius verſatur, et varias alias lectu dignas obſeruationes immiſcet, nos vero haec non repetimus, cum inde certae quaedam de directione terrae motuum conclusiones erui nequeant, pauca tantum ex primariis indicamus. Directio motuum erat a plaga N W. ad plagam S. W. quae directio in aliis terrae motibus in his regionibus perceptis quoque obſeruata fuit. Quo etiam haec directio melius demonſtretur addit eodem die hora ſecunda pomeridiana in littoribus inſulae St. Martini nullum quidem terrae motum perceptum fuiſſe, ſed tantum regreſſum aquarum, his tamen ſubito recurrentibus et altius aſcendentibus. In menſurandis tamen loci diſtantia, temporis interuallo, et impetu motus vera continuationis ratio non ſatis definiri poteſt.

p. 19. 2. *De effectibus inuſitatis quarundam rerum in miſcela efferueſcentium* in literis Cl. IAC. MOUNSAY Medici Exercitus Ruſſici ad Cl. HEN. BAKER exponitur **. Vir quidam ſolutionem viridis aeris et lamel-

* lecta d. 13 Ian. 1757.
** lecta d. 20 Ian. 1757.

lamellarum auri ſpurii in aqua forti ſuſceperat, et licet vapores ſub agitatione oriundos caute euitaſſet, tamen paulo poſt doloribus ardentibus digiti annularis dextri, manus totius ſiniſtrae et cruris excruciabatur, ſurgentibus ſimul maculis rubris et puſtulis; porro de anxietate et doloribus in ventriculo, de ſapore ingrato et nauſea conquerebatur, vomitu autem ſuccedente hac ex parte melius ſe habebat, dolor tamen paulo poſt in oculo ſiniſtro percipiebatur. Pulſus regularis quidem ſed debilior, medicamentis volatilibus alkalinis vtebatur et ſimul ſerum lactis copioſius hauriebat. Sudor de nocte obortus leuabat malum, ſed vagi dolores in variis partibus cum maculis cutaneis redibant. Hi quidem et vehementer per ſex dies corpus in variis partibus excruciabant, ita vt opio quoque ad eos compeſcendos vtendum eſſet, tandem tamen conualuit aeger.

3. *Effectus ſalutares aquarum Maluernenſium in comitatu Wigornienſi ſcaturientium* ex literis Cl. I. WALL. M. D. ad Cl. LYTTELTON proponuntur. In vlceribus fiſtuloſis, phagadaenicis et foetentibus has aquas optimo cum fructu adhibitas fuiſſe ex hiſtoriis morborum adductis patet. p. 23.

4. *Relatio de aquis mineralibus Carolinis in Bohemia* ex literis IEREM. MILLES ad Ill. Soc. Reg. Praeſidem MACCLESFIELD datis exhibetur. De ſitu vrbis, fonte calido et molari, de ſedimento aquarum, incruſtationibus, piſolithis et aliis rebus in thermis Carolinis obſeruatis exponitur; de fonte nouo nihil additur, et methodus medendi olim tantum vſitata traditur, quam noſtri nunc medici nec in interno, nec externo aquarum vſu ſequuntur, ſed medendi vias aegrorum diſpoſitioni et morborum indoli accommodant. p. 25.

 5. *Ten-*

p. 30. 5. *Tentamen de certius definienda ſpecifica grauitate hominis viui* Auctore Cl. IOH. ROBERTSON *. Cauum aliquod paralepipedi circiter figura conſtruere fecit, in quod, aqua antea repletum, varios homines et ſtatura et craſſitie corporis diuerſos immerſit, et menſurando in margine aquas, quas corpus expulit, ſpecificam grauitatem inuenire ſtuduit, variis itaque experimentis inſtitutis et recenſitis, monet varia ſupereſſe incommoda, quae ſucceſſum verum experimentorum impediant.

P. 35. 6. *Caſum de inteſtino ileo cultro diſciſſo et per* PETRVM TRAVERS *Chirurgum Vlyſſiponenſem optime curato*, communicauit Cl. HVXHAM. Vulnus abdomini in regione hypogaſtrica verſus vmbilicum inflictum erat inteſtino ileo diſciſſo propendente, applicauit Chirurgus vtrique inteſtini diſciſſi extremo ſuturam continuam et vulnere abdominali non nihil dilatato, inteſtina repoſuit, filis ad margines vulneris diſpoſitis, poſtea vulneri abdominali interruptam ſeu diſtinctam ſuturam applicauit, et omnem apparatum faſciis, vt decet, firmauit, clysmate emolliente mox applicato. Sequenti die et febris increſcebat pulſu pleno et inaequali, et vomitus continui accedebant. Venaeſectio larga et repetita, clysmata cum decocto radicis ſerpentariae et floribus chamomillae, laudanum liquidum, ſyrupus rhabarbari et oleum amygdalarum dulcium ſelecta erant remedia. Tertia die ob febrim venaeſectio bis repetebatur, accedebat et vomitus excrementorum, quarta die ſimilia ferme ſymptomata continuationem auxiliorum exigebant, et praeterea tinctura corticis chinae HVXHAMI ſuper addita vomitum et ſingultum compeſcebat. Die quinto perſpiratio blanda intermiſſionem venaeſectionis ſuadebat, clysmata tamen continuabantur et deiectio-

* Lecta d. 27 Ian.

ieſtiones foetidae ab hoc vſque ad oſtauum diem ſuccedentes leuamen afferebant. Hoc ipſo die oſtauo dolor vulneris inſignis erat, et opii vſum exigebat. Die nono et decimo febris quidem imminuebatur ſed diarrhoea continuabat, decimo etiam die fila ſuturae recedebant, et licet de dolore abdominali conquereretur aeger, pus tamen bonae notae emanabat. Die vndecimo et duodecimo diarrhoea non deſinebat, aegro tamen ſatis tranquillo. Die decimo tertio externi vulneris fila ſecedebant, et curatio omnis ſucceſſiue abſoluebatur, victu per totum hoc tempus tenui et fluido exhibito.

7. *Relatio de viſitatione leproſorum in inſula Guadaloupe a* Cl. IOH. ANDR. PEYSSONEL, *expoſita et cum* Cl. DAMONVILLE *communicata* *. Triginta circiter anni ſunt, ex quo morbus nunc deſcribendus in iis regionibus obſeruatus fuit. Nec de febre nec de dolore conqueruntur aegri, omnes functiones ex voto exercent et egregie nutriuntur, immo et confirmato iam morbo obeſi manent. Nigritae rubicundis et magis liuidis maculis ſiccis parum eleuatis in cute morbum praeſentem, et his copioſioribus factis auctum, oſtendunt; albi autem homines ex liuido violaceas maculas habent, puſtulis aqua plenis tamen in cruribus ſimul ſurgentibus quae ruptae parua vlcuſcula pallida relinquuunt. In progreſſu morbi manus et pedes increſcunt tumore quaſi carnis ipſius ſine inflammatione et oedemate, nec tunc dolor obſeruatur, ſed tantum immobilitas. Tumoribus his ſuccedunt vlcera ſub cute nata, calloſa, parum doloroſa, ſerum limpidum fundentia, vngues fiunt ſquamoſi extrema digitorum exſiccantur et ex articulis ſponte cadunt, cicatrice poſtea ſuccedente. In augmento morbi duri tumores in carnoſis partibus ſuccreſcunt, cutis pallida, vox rauca, anima foetida, tumor p. 38.

 naſi

* lecta d. 3 Febr.

naſi et aliarum faciei partium, etiam ſub lingua oriundus, coniuncta ſunt ſymptomata. Sic lente et per quindecim vel viginti annos progreditur et morbus ſphacelum ſucceſſiue progredientem ſiſtit.

Medicamenta antiuenerea, licet in partibus genitalibus nulla labes apparuerit, tentata quidem fuerunt, ſed ſine fructu, ita vt nulla remedia diro morbo opponi poſſint, cum omnia medicamenta magis nocere, quam iuuare videantur. In quibusdam aegris ſingularia occurrebant ſymptomata, defluuium pilorum, vermes in vlceribus, ſomnus vel inſomniis turbatus vel prorſus deficiens, foetor inſignis. Morbum tamen celant aegri et alias eiusdem cauſas allegant, omnibus tamen recte disquiſitis apparuit nihil venerei ſubeſſe, ſed morbum leprae veterum ſimillimum eſſe. Contagioſa et per hereditatem propaganda indoles non negari poteſt, contagium tamen non ſemper certum eſt, ſed aliquam in corpore diſpoſitionem requirit, et licet infantes a patre et matre morbo affectis geniti interdum omnes ſimili morbo laborent, inueniuntur tamen infantes a contagio omni liberi, ita vt in his vera norma inueniri nequeat. Morbum hunc per Nigritas ex Guinea adductum et Europaeis ibi degentibus per contagium communicatum fuiſſe certum eſt. In aere et aquis cauſa inueniri non potuit. Sed de his et medendi methodo peculiarem diſſertationem tradere promittit Cl. Auctor.

p. 49. 8. *Relatio de antiquitatibus nuperrime in Herculaneo inuentis ex literis* Cl. CAMILLO PADERNI *ad* Cl. TH. HOLLES, *excerpta* *.

p. 51. 9. *Relatio de arboribus quibusdam in littore prope Mounts-Bay in Cornubia ſub terra inuentis, ex literis* Cl.

* lecta d. 10 Febr.

Cl. WILH. BORLASE *ad* Cl. LYTTELTON *propoſita*. Terram, in qua hae arbores increuerunt, poſt terrae motum ſubſediſſe, arboresque, ex quibus quercus, ſalix et corylus ex ligni et corticis ſtructura cognoſci poterant, proiectas, ſabulo coopertas, et aqua marina tectas fuiſſe, narratur; tempus autem mutationis non accurate definiri potuit.

10. *Experimenta, quibus oſtenditur methodum* Cl. HALES *deſtillandi aquam marinam ad machinam vaporoſam* (Steam Eugine) *applicari poſſe a* Cl. FITZGERALD *expoſita* *. p. 53.

11. *Ex literis* Cl. ABRAHAMI TREMBLEY *ad* Cl. TH. BIRCH *datis nonnulla proponuntur.* Terrae motus d. 13 Auguſt 1756 in regione Paedaemontana et d. 9 Nou. Genuae percepti indicantur. Cl. DONATI ſententia de coralliis et polypis explicatur. Cellulae coralliorum a nonnullis dictae fuerunt opus polyporum, quod ita vt apes fauos ſuos conſtruunt, cum vero cognouerit polypos corallio firmiter adhaerere, hoc ipſum animal dicit, cuius copioſa capita polypi ſunt, ita vt cum teſtaceis cruſtis, quibus animal adiungitur, comparari poſſint, vel, vt oſſa animalis, quae carnem adiunctam habent, vti vero in coralliis baſis teſtacea ſic in keratophytis cornea deprehenditur. Cl. TREMBLEY vero monet polypum non caput dici poſſe cum organa oſtendat, in quibus victus aſſumatur et digeratur. Subiunguntur et aliae obſeruationes Cl. DONATI de ſtratis montium, in quibus corpora marina effodiuntur et de decremento aquarum ſucceſſiuo terram ſiccam relinquente; ex quibus obſeruationibus non diluuio vniuerſali, ſed p. 58.

 ſucceſſi-

* lecta d. 17 Febr.

ſucceſſiuis mutationibus haec ſtratorum diſpoſitio adſcribitur.

p. 62. 12. *Tractatio ſuccincta botanico-medica de ſolano letali ſiue Belladonna* Auctore Cl. RICHARD PVLTNEY, *communicata a* Cl. WILH. WATSON. Num Belladonna veteribus nota fuerit? an ad mandragoram pertineat? an στρύχνος μανικός DIOSCORIDIS fuerit? dubium omnino eſt; inſtauratores rei herbariae ad ſolani genus reduxerunt et ſomniferum et furioſum dixerunt, italicum nomen, Belladonna, CLVSIVS introduxit et TOVRNEFORTIVS, reliquique methodici ſcriptores illud adoptarunt, praeter LINNAEVM, qui Atropam dixit, et quem recentiores nonnulli ſequuti ſunt. His praemiſſis oſtenditur ad quasnam claſſes varii Botanici hanc plantam reduxerint, definitio a LINNAEO tradita exhibetur et trium ſpecierum ſynonyma adduntur. *Atropa caule herbaceo, foliis ouatis, integris* LINNAEI Sp. pl. p. 181 n. 1 ea eſt, de qua fuſius nunc agitur; deſcriptio itaque ampliſſima traditur; icones optimae citantur; locus natalis inprimis ex anglicis ſcriptoribus indicatur, venenata vis a variis medicis aſſerta proponitur, poſtea de planta hac ad vſus medicos translata diſſeritur, et, citatis variis auctoribus qui de eius externo internoque vſu egerunt, obſeruatio Cl. LAMBERGEN, quam et nos alibi * adduximus, ampla recenſione proponitur, et experimenta cum plantis efficacia ſingulari conſpicuis, ſumma licet cum attentione inſtituenda commendantur.

p. 88. 13. *Relatio de quibusdam rebus antiquis in Herculaneo repertis ex literis* Cl. IOH. NIXON *ad* Cl. TH. BIRCH **.

14. *Re-*

* vid. Comment. noſtr. Vol. IV. Part. II. p. 261.
** lecta d. 24 Febr.

14. *Relatio de effectibus tempeſtatis cum tonitrubus et fulguribus in agris Looe et Lanreath in comitatu Cornubiae d. 27 Iunii 1756, quam ex duabus literis* Cl. DYER *et* MILLES *communicauit* Cl. IEREMIAS MILLES. Deſcribuntur variae deſtructiones, quae in aedificiis et vicinis partibus euenerunt. p. 104.

15. *Relatio de fodinis turfi ſiue ceſpitis bituminoſi prope Newbury in comitatu Berckshire ex literis* IOH. COLLET *ad* Cl. RICHARD *propoſita.* Ceſpitem bituminoſum creſcere nonnulli aſſerunt, apparuit tamen ex disquiſitione harum fodinarum, veſtigia, quae a palis imprimuntur, diu manere nec incremento vegetationi ſimili obliterari. In valle per quem fluuius *kennet* tranſit, ad vtramque ripam ſe extendit turfi ſtratum, in pratis enim primum terra albida poſita eſt, ſub qua ſtratum ex turfacea terra, cum limo ex pauxillo humi remiſtum iacet quod *clob* dicitur, ſub quo tandem ceſpes bituminoſus purus deprehenditur, qui ſtrato arenoſo incumbit. In paludoſis pratorum locis graminis et iunci repentes radices ita deſcendunt, vt in turfi ſtrata penetrent. Optimum turfum ex ligno et reliquis plantarum partibus aqua ſtagnante maceratis conſtat, et parum terrae et arenae admixtum habet, color eſt ex nigro brunus, ſubſtantia ſucculenta plus minus denſa. Arbores congeſtae non caeſae ſed radicibus euulſae videntur, et quercus, alnus, ſalix et abies ex ligni indole diſtinguuntur, tantaque copia adſunt, vt truncorum partes eximi et in vſus domeſticos exſiccari poſſint, praeterea etiam varia animalium oſſa immixta deprehenduntur, nulla autem hominum. In colliculo ex hac terra ad ripam fluuii formato vrna quoque effoſſa fuit. Immiſcentur huic tractationi variae oeconomicae obſeruationes, quas lubenter omittimus. p. 109.

16. *Rela-*

p. 115. 16. *Relatio de mutationibus in Pantheo romano ſuſceptis ex literis* Cl. TH. HOLLIS *ad* Cl. IOH. WARD *datis excerpta* *.

p. 117. 17. *Relatio de nouo fonte medicato prope Moffatum in Annandalia in comitatu Dumfries inuento* Auctore Cl. IOH. WALKER. In occidentali parte montis *Hartfell* hic fons erumpit duplici ſcaturigine, ſuperiore nimirum et inferiore, quae licet vicinae ſint, aliquam tamen mixtionis aquarum differentiam indicant, praecipua tamen tentamina in aqua ſuperioris ſcaturiginis inſtituta fuerunt. Spiritum aethereum ſiue ſpiritum volatilem vitriolicum aquarum martialium in dubium vocat Noſter, et quicquid hac de re obſeruatum fuit, aeri elaſtico vel interdum ſulphureis halitibus adſcribit Aqua huius fontis puriſſima eſt ſine odore et colore, ſapor tamen dulcis, ſubacidus et adſtringens obſeruatur, prior dulcis nimirum et ſubacidus ab aluminoſo, ſtipticus autem adſtringens a ſale minerali martialibus particulis iuncto dependet. Superior ſcaturigo magis adſtringentem, inferior magis acidum ſaporem prodit, id quod et reliqua tentamina confirmarunt. Per tentamina, cum gallarum puluere facta, martis praeſentia declaratur, quae in his aquis tanta eſt, vt nullam aquam mineralem Noſter inuenerit, quae nigrum atramenti colorem ita exprimat, quam noſtra; haec enim ſolutio in aliis aquis colorem obſcure purpureum tantum refert. Sacchari ſaturni ſolutione et oleo tartari per deliquium immiſſo ochra flaua praecipitatur, quo facto experimenta cum gallarum puluere inſtituta colorem aquae non amplius mutarunt. Aqua, libero aeri per aliquot dies expoſita, cremorem in ſuperficie contrahit coloris pallide coerulei, qui tandem auctus colores varios exprimit, et ſeparatus iterum reno-

* lecta d. 3 Martii.

renouatur et ſumme attenuatas martis partes continet.

Aluminis praeſentiam in his aquis, non tantum p. 131.
ex ſapore dulci, ſed etiam ex coagulo admixti lactis demonſtrat, et porro terrae cuiusdam coniunctionem cum alumine euincit, ochracea enim terra ex aquis excuſſa, alba ſalina materia aqua euaporata ſubſidet, quae cum acidis non efferueſcit, nec laminae ferreae ignitae impoſita decrepitat, ſed in calcem albam mutatur, hoc tamen ſal acidae indolis eſſe ex eo apparet, quod ſyrupo violarum rubrum colorem inducit. Cum autem aqua ipſa cum hoc ſyrupo mixta ſubuiridem colorem referat, et alkali ab ochraceis et martialibus particulis, et acidum ab alumine dependere Noſter affirmare annititur. Aquae hae libero aeri expoſitae diutius, quam aliae, particulas minerales continent, et ſi in lagenis bene obturatis transuehuntur, vires integras diu conſeruant.

Sub finem in originem aquarum martialium in- p. 142.
quirit Noſter, varias auctorum ſententias ſub examen reuocat et oſtendit, nec calorem, nec vaporem mineralem vitriolicum, nec acidum martem ſoluens vt veras cauſas allegari poſſe, ſed ſolutionem ſalinae ſubſtantiae. Inuenit nimirum in rimis ſtrati lapidei prope fontem deſcriptum ſal album effloreſcens, quod non obſtante colore albo vitriolum natiuum dici poterat, fuit tamen alumen ſubtiliſſimis martialibus particulis inpraegnatum, quale et ipſa aqua fontis in ſe continet.

18. *Relatio de ſtatu thermometri Hagae-comitum* p. 148.
d. 9 Ianuarii 1757 *ex literis* Cl. ABR. TREMBLEY *ad* Cl. TH. BIRCH *datis*. Thermometrum nimirum Fahrenheitianum, quod anno 17 0 ſub eodem ſitu duos gradus ſub o oſtendit, illa die 3 gradus ſupra o poſitum erat.

19. 20. *Tentamina de platina Auct.* Cl. WILLHELMO LEWIS. Sectio 5 et 6 *. De quatuor prioribus ſectionibus alibi iam egimus **, nunc ad quintam progredimur, in qua combinationes auri cum platina explicantur. Ex multis experimentis, quae ſigillatim enarrari nequeunt, nonnulla indicabimus. In anatica portione auri et platinae fuſa color pallidus metalli erat, et in fiſſuris extenſae per malleum lamellae, vtrumque metallum inaequaliter mixtum apparebat; viginti partes auri et quatuor platinae ita quidem vniebantur, vt platinae granula diſtingui haud poſſent, ſed pallidus laminae color erat auro minime ſimilis, maſſa malleabilis erat, ſed in fila non ducenda; quo magis vero platina addita imminuebatur, eo magis auri praeſtantia remanebat. Specificam grauitatem variarum miſcelarum auri et platinae in tabula addita proponit, et alia experimenta ſubiungit, quae platinae cum plumbo fuſae et auri cum cupro remixti varias proportiones et producta exhibent.

p. 156. His praemiſſis Cl. Auctor in ſexta ſectione *** tentamina proponit, quibus oſtenditur, quomodo aurum cum platina mixtum cognoſci et iterum depurari poſſit. Suſcepit primo amalgamationem cum mercurio, quae, vti in ſectione quarta dictum fuit, aurum cum mercurio iunctum et a platina ſeparatum exhibuit, nunc vero monet hoc experimentum non ſemper ſuccedere, cum dubium maneat an non aliqua pars platinae, quam exigua illa fuerit, relinquatur. Variis porro tentaminibus inſtitutis apparuit, aurum aqua regis ſolutum alcalinis fixis ſolutionibus inſtillatis praecipitari, platinam vero ex parte tantum. Inflammabiles liquores, olea aetherea et acidum vitriolicum cum ſpiritibus vinoſis

* lecta d. 17 Martii.
** vid. Comm. noſtr Vol. V. Part. IV. p. 583.
*** lecta d. 31 Mart.

vinoſis in aetherem mutatum aurum ſuſcipiunt, platinam non aeque. Solutiones metallicae, quae aurum ex aqua regis praecipitant, platinam quoque praecipitare certum eſt, varia tamen monita Noſter addit et ex experimentis cum platina inſtitutis declarat, quanta cum cura hae ſaeparationes ſuſcipiendae ſint.

21. *Relatio de templo Serapidis prope Puteolum in regno Neapolitano, ex literis* Cl. IOH. WORD *ad* Cl. IOH. NIXON *. p. 166.

22. *Animaduerſiones quaedam in nummum Parthicum, cum inſcriptione graeca et parthica, ex literis* Cl. IOH. SWINTON *ad* Cl. TH. BIRCH **. p. 175.

23. *Relatio de ſingulari quadam ſpecie corallii rubri in India orientali reperti ex literis* Cl. IOH. ELLIS *ad* Cl. PETR. COLLINSON. Sententiam ſuam de polypis corallia formantibus vberius explicare ſuſcipit Cl. Auctor. RVMPHIVS in Herbario Amboinenſi. Vol. VI. Tab. 85. p. 264 hoc corallium nomine Accurbarii rubri deſcripſit, Noſter vero aliam iconem addit, in qua nudo iam oculo arcta combinatio tubulorum vermicularium apparent, qui etiam ad orificia, ſtellae figuram exprimentia in ſuperficie ducuntur, ex qua re conſpicitur eſſe rubrum teſtaceum inuolucrum polyporum marinorum in figuram erectam ramoſam diſpoſitorum. Figurae primariae varias cum microſcopio examinatas partes ſubiungit Cl. Auctor. Nodos oſtendit hoc corallium proportionatim diſtantes, maiores in ramis, quam in trunco, hinc noui rami oriuntur, ſuperficies in recenti corallio eodem modo, vt in corallio rubro genuino cruſta friabili obducta eſt, cellulis p. 188.

* lecta d. 17 Mart.
** lecta d. 24 Mart.

cellulis tamen ſtellaribus magis conſpicuis, quarum nimirum figura radiatis polypi brachiis reſpondet. Remota materia friabili, apparet polypum cum tubulis in ſubſtantia deprehenſis communicationem habere. Calcarea vero materia, quae corallium obducit, non eſt excrementitia ab inſectis depoſita, ſed organica et ad obtegenda haec parua animalcula maxime neceſſaria, ita vt cum aliis animalium integumentis v. c. ſquamis vel plumis conuenire videatur. Interior corallii ſubſtantia magis ſpongioſa eſt, exterior ferme lapidea, et ipſi tubuli ſimili ratione conſtructi ſunt, orificia autem radiata octo paruis valuulis munita inueniuntur. Haec et alia in hoc corallio accuratius examinare potuit Noſter, cum materia calcarea in eo maximam partem detrita fuerit.

p. 194. 24. *Relationem de effectibus tempeſtatis prope Wigton in Cumbria ex literis* Cl. TOMHNSON *communicauit* Cl. PHIL. MILLER *. Inter alios effectus hic recenſitos, plantarum folia aliaeque partes marcidae, pendentes, nigro colore affectae et quaſi igne aethereo tactae apparuerunt, ſemper virentibus tamen arboribus vix mutatis. Nonnulli fulguribus hos effectus adſcripſerunt, ſed Auctor epiſtolae mutationem ſalinis aquis tribuit, quippe quae ex mari agitatae huc acceſſerunt, humor enim adhaerens ſalinum ſaporem exprimebat, licet tandem concedat ſulphureos vapores admixtos fuiſſe.

p. 198. 25. *Relatio de effectibus fulgurum in turrim et templum oppidi Leſtwithiel in Cornubia ex literis* Cl. IOH. SMEATON *ad Ill.* MACCLESFIELD **.

26. *Rela-*

* lecta die 31 Martii.
** lecta die 21 Aprilis.

26. *Relatio de morbo defuncti Illuſtriſſimi* HORATII WALPOLE, *quae continuatio eſt relationis ab ipſo exhibitae et publicatae in Transactionibus philoſophicis Vol. XLVII. p. 43 et p. 472* *. Exhibentur hic duae epiſtolae, quarum primam Cl. PRINGLE ad Cl. WHYTT, dedit. Refert itaque nominatum virum poſt vltimum morbum, licet in aetate ſeptuaginta octo annorum conſtitutus eſſet, proſperae tamen valetudinis ſpeciem prae ſe tuliſſe, eum quotidie tres menſuras (*pint*) aquae calcis ex oſtreis paratae hauſiſſe, et ſaepius vnciam ſemis ſaponis cum medicamentis lenientibus ſumſiſſe et in vltimo morbo nulla calculi ſymptomata ſed febris marasmodis ſigna exhibuiſſe. Subiunguntur tandem obſeruata in cadauere diſſecto; in hoc calculi biliarii inuenti fuerunt, licet nunquam ſymptomata effluxus bilis impediti perceperit aeger, calculi in veſica vrinaria reperti paruuli fuerunt, et quaedam veſtigia laminarum ſeparatarum oſtenderunt. p. 205.

Reſponſoria epiſtola Cl. WHYTT quasdam animaduerſiones ſuper hac re exhibet. Sectio docuit, WALPOLIVM vere calculoſum fuiſſe, et vſum aquae calcis et ſaponis non tantum ſymptomata calculi mitigaſſe et incrementum eius impediiſſe, ſed ſumma cum probabilitate aſſeri poſſe haec medicamenta vrinae vim calculum diſſoluentem communicare; hanc quidem diſſolutionem tardiſſime procedere, experientiam tamen oſtendere, largum et diuturnum vſum aquae calcis et ſaponis ſanitati non obeſſe, cum nec in ventriculo nec in viis vrinariis aliqua deſtructio morboſa inde orta obſeruata fuerit. Febrem marasmodem ad effectus medicamentorum non referri poſſe, cum per octo, et quod excurrit, annos iis vſus fuerit, febris autem ſub finem vitae tandem acceſſerit. Cl. p. 209.

PRINGLE

* vid. Comment. noſtr. Vol. III. P. I. p. 10 et 52.

p. 219. PRINGLE tandem ſubnectit aegrum per vſum medicamentorum dictorum ab excretione cutanea ſcorbutica liberatum fuiſſe, quae aliis medicamentis non coerceri potuerit, inde tamen ad effectum in ſcorbuto putrido concludendum non eſſe.

p. 221. 27. *Relationem de virtutibus ſaponis in diſſoluendo calculo, quo affectus fuit* Cl. MATTH. SIMSON, *communicauit* Cl. PRINGLE *. Ipſe Cl. SIMSON V. D. M. morbum deſcripſit, quo ab anno trigeſimo huius ſeculi laborauit. Proſpera ſemper vſus fuerat valetudine vsque ad dictum tempus, ex quo variis calculoſis ſymptomatibus affectus fuit; vſus fuerat lacte calido cum aqua diluto et patienter tulerat incommoda vsque ad annum trigeſimum quintum, vbi calculi praeſentia cathetere disquiſita fuit, aliud tamen non adhibuit remedium quam lac, vsque dum anno trigeſimo nono ſaponem aſſumeret ad drachmam vnam quotidie, mox aſcendendo ad ſex vsque drachmas in pilulas formatas, ſenſit inde leuamen ſymptomatum, licet interdum vrina ſanguinolenta excerneretur, ab anno quadrageſimo tertio tamen nihil incommodi ſenſit, licet paulo poſt ſaponis doſin ita imminueret, vt ab anno quadrageſimo nono quotidie tantum vnciam ſemiſſem aſſumeret.

p. 225. Epiſtola Cl. AVSTIN M. D. qui aegro noſtro conſiliis ſuis adfuit, ſequentia addit, aegrum noſtrum ex fractura oſſis femoris, ante integram conſolidationem iterum emota per aliquot annos miſere decubuiſſe, ita tamen conualuiſſe, vt officio ſuo praeeſſe potuerit; anno tandem quinquageſimo ſexto diarrhoea correptum aetate octuaginta trium annorum diem obiiſſe ſupremum. In diſſectione cadaueris nullum

* lecta d. 28 Aprilis.

nullum calculum in veſica, hanc tamen prope collum non nihil calloſam inuentam fuiſſe.

Subiungitur tandem epiſtola Cl DRVMMOND, qua oſtenditur anno trigeſimo quinto calculum cathetere disquiſitum et vere repertum fuiſſe, ante vſum ſaponis cum muco purulentam et non nihil ſanguinolentam materiam excretam fuiſſe, nunquam autem calculos; poſt vſum ſaponis non niſi mucum apparuiſſe, forte enim cum hoc diſſolutae calculi particulae blande receſſerunt. p. 226

28. *Relatio de impreſſionibus plantarum in ſchiſto carbonario ex literis* Cl. EMANVEL MENDES DA COSTA *ad* Ill. MACCLESFIELD. In fodinis carbonis foſſilis Angliae Cl. Auctor inuenit quasdam ſchiſti ſpecies, quae minus cognitarum plantarum impreſſiones exhibere dicuntur, quarum ſeptem in addita icone adumbrat, et cum iconibus atque deſcriptionibus ab aliis datis comparat. Non partiales inundationes ſed vniuerſale diluuium corporum in ſtratis terrae depoſitorum et partim petrefactorum partim impreſſorum cauſam eſſe adductis nonnullis argumentis confirmare intendit Cl. Auctor inprimis cum partes animalium et plantarum in noſtris terris non reperiundarum in terrae gremium delatae inueniantur. p. 228.

29. *Catalogus quinquaginta plantarum anno* 1755 *in hortum Chelſeanum delatarum* Auct. Cl. IOH. WILMER. p. 236.

30. *Animaduerſiones in ſententiam* Cl. HENRICI EELES *de aſcenſu vaporum, publicatam in Transact. Philoſoph. Vol. XLIX. Part. I. p.* 124. *Auctore* Cl. ERASMO DARWIN, *communicauit* Cl WATSON *. Non elaſticitati aeris, ſed fluido electrico aſcenſum p. 240.

Xx 2 vapo-

* lectae d. 5 Maii.

vaporum adſcripſerat Cl. EELES *; oſtendit itaque Cl DARWIN in prima epiſtola variis adductis rationibus et experimentis, ab analogia petitis, aqueos aliosque vapores leuiores reddi poſſe, quam atmosphaeram, ſine aſſumta bullula, aerem expanſum obducente, poſtea in altera, principia a Cl. EELES aſſumta vt incerta pronuntiat et fallacias experimentorum oſtendere annititur.

p. 255. 31. *Relatio de noua ſpecie Tringae ex literis* Cl. GEORGE EDWARD *ad* Cl TH. BIRCH. Exhibetur deſcriptio Tringae roſtro recto, pedibus lobatis, ſubfuſcis, lobis pectinatis, abdomine ferrugineo.

p. 258. 32. *Obſeruationes de corallinis iisque inſidentibus polypis aliisque animalculis marinis, quae Regiae ſocietati Londinenſi offert* Cl. IOBVS BASTER **. Poſtquam generalia quaedam de plantis marinis praemiſit, de corallinis ſigillatim agere incipit et in his potiſſimum ſex diſtincta argumenta declarat, quibus euincit has veras plantas eſſe, et polypos eas tantum inhabitare, quam rem praeter eas, quas in peculiari ſcripto propoſuit, icones ***, nouis additis illuſtrat, et nonnulla de polypis corallinis inſidentibus aliisque inſectis marinis ſubiungit.

p. 280. 33. *Animaduerſiones in* Cl. IOBI BASTERI *obſeruationes de corallinis mox propoſitas, ex litteris* Cl. IOH ELLIS *ad* Ill. MACCLESFIELD ****. Sex illa argumenta, a Cl BASTERO propoſita, ſub examen reuocat, et refellere annititur, nonnullaque monita ſubiungit hanc controuerſiam illuſtrantia.

34. *Re-*

* vid. Comment. noſtr. Vol. VIII P. I p. 143.
** lectae d. 19 Maii.
*** vid. Comment. noſtr. Vol. VIII. P. III. p. 535.
**** lectae d. 9 Iunii.

34. *Relatio de ſingulari quadam machinatione in ſtatione nauium (Dork- Yord) in Porta oſtium (Ports mouth) peracta, a* Cl. IOH. ROBERTSON *declarata* *. Adminicula, quibus nauis ad reparationem praeſtandam diſpoſita fuit, proponuntur. p. 288.

35. *Obſeruatio de veſpertina vel potius nocturna iride ſolari Auctore* Cl GEORGE EDWARD **. Poſt ſolis occaſum, arcum iridis colores ſiſtentem in horizonte vidit et deſcripſit. p. 293.

36. *De effectibus fructus opuntiae et plantae indigoferae in tingendis ſuccis viuorum animalium, ex literis* Cl. GARDEN *propoſuit* Cl. HENRICVS BAKER ***. Fructus opuntiae, in qua planta coccionella vera deprehenditur, ab infantibus commeſti, vrinam rubro colore, et lac nutricis, quae iisdem fructibus veſcebatur, ſimili colore tinxit: ad hanc vero obſeruationem deductus fuit Cl. Auctor, cum videret vaccas, quae indigofera planta veſcuntur, lac coerulei coloris exhibere. p. 296.

37. *Relatio de ſingulari quodam imbre nigri pulueris in inſulis Zetlandiae die* 20 *Octobris* 1755 *obſeruato, ex literis* Cl. ANDR. MITCHEL *ad* Cl. PRINGLE. Hoc ſingulare phaenomenon eo ipſo anno, quo die 1 Nouembr. terrae motus Vlyſſipponem inuerterat, obſeruatum fuit puluis niger copioſiſſime cadebat et odorem ſulphuris referebat; declarari tamen non potuit, vtrum incendium montis Heclae in Islandia, an alia cauſa alleganda ſit. p. 297.

38 *Deſcriptio nonnullorum thermometrorum peculiaribus vſibus inſeruientium Auctore* Ill. CAROLO CAVENDISCH ****. Oſtenditur et in icone delineatur p. 300.

* lecta d. 26 Maii.
** lecta d 16 Iunii.
*** lecta d. 23 Iunii.
**** lecta d. 30 Iunii.

neatur v c. thermometrum in quo, abſente etiam obſeruatore, gradus caloris definiri poſſunt.

p. 311. 39. *Obſeruationes anatomico - medicae de monſtro bicorporeo virgineo A. 1701 d. 26 Octobr. in Pannonia infra Comaromium in Poſſeſſione Szonii, quondam Quiritum Bregetione in lucem edito atque A. 1723 die 13 Febr. Poſonii in Caenobio monialium S. Vrſulae morte functo ibidemque ſepulto Auctore* IVSTO IOHANNE TORKOS *Med. Doct.* * Corpora ad nates tantum coalita erant, et effectus imaginationi matris, quae canes coeuntes cohaerere viderat, tribuitur. In partu primum Helenae corpus ad vmbilicum vsque, poſt tres horas pedes cum annexo corpore ſororis Judith. Ambae, licet infra lumbos coalitae, ita tamen diſpoſitae erant, vt ſedere et lento greſſu procedere et recedere potuerint. Vnus communis ani erat exitus inter dextrum femur Helenae et ſiniſtrum Iudithae collocatus, cunnus vnicus intra quatuor pedes ita, vt in ſitu corporum erecto non conſpici potuerit; vna itaque excretionem alui moliente altera niſum egerendi ſimul ſenſit. Vrinae viae duplices, hinc ſtimuli diuerſi. Anno ſexto Iuditha paralyſi lateris ſiniſtri laborauit, et conualuit quidem, ſed ſemper tardior et ſtupidior fuit, quam Helena. Variolas et morbillos communes habuerunt, reliquos morbos non aeque, v. c. Helena pleuritica erat, Iuditha mitiore febre interea laborauit. Anno decimo ſexto menſtrua comparuerunt, quae per reliquum vitae tempus ſucceſſerunt, ſed nec aequali tempore, nec ſimilibus incommodis, Iuditha enim hyſtericis affectionibus laborabat. Anno aetatis viceſimo ſecundo d. 8 Febr. Iuditha conuulſa comatoſa manſit vsque ad mortem quae die 23 Febr. contigit. Helena interea febricula

* lecta d. 25 May 1751.

febricula laborauit cum lipothymiis, tribus tamen horae minutis citius obiit, quam Iuditha.

Diſſectio poſt mortem ſequentia oſtendit: in Helenae corpore omnia viſcera ſana erant, in Iuditha cor magnum denſo pericardio obuelatum, pulmo dexter putridus. Omnia viſcera in vtroque corpore diſtincta erant, et aorta et vena caua vtriusque corporis, antequam iliacos ramos exhiberent, in vnum canalem coaluerant, vaginae duae et recta inteſtina duo, in fine coaluerant in communem canalem, externa tamen pudenda omnes partes diſtinctas referebant. Oſſa ſacra in vnum corpus coaluerant. Cl. TORKOS ex ephemeridibus Cl. CAROLI RAYGERI Med. Doct. haec omnia collegit et deſcripſit.

Subiunguntur aliae deſcriptiones harum gemellarum et icones duplices adduntur *, in vna ex his obſeruationibus legitur, matrem harum ſororum poſt hunc partum difficilem eodem patre ſanos infantes progenuiſſe.

40. *Obſeruationes de origine et vſu vaſorum lymphaticorum in animalibus; exhibentes compendium lectionum Gulſtonianarum, lectae in theatro collegii phyſici Londinenſis, menſe Iunio* 1755 *Auctore* MARCO AKENSIDE M. D. **. Quamuis nemo dubitet, vaſa lymphatica cum venis ſanguiferis communicare, de origine tamen ambigitur. Quare primo BOERHAAVII ſententiam proponens Noſter, ſucceſſionem in ordinibus vaſorum aſſumentis, eam ex eo refellit, quod reſiſtentia et imminutio celeritatis in minimis deberet maxima eſſe contra experientiam. Deinde alteram opinionem perluſtrat de p. 322.

* Idem monſtrum adiecta ſimul icone deſcriptum eſt in MICHAELIS ERNESTI ETTMÜLLERI, Diſſ. de monſtro hungarico. Lipſiae, 1707. 4.

** lectae d. 10 Nouembr. 1757.

de connexione vaſorum lymphaticorum cum glandulis per arterias inuiſibiles, ſed praeter id, quod nullibi arteriae ſint venis diſtinctu difficiliores, vaſa lymphatica ibi etiam inueniri aſſerit, vbi glandulae non ſunt Ad analogiam itaque reſpiciendo, quam in vaſis lacteis, quae aliquando mere ſint lymphatica, omnimoda ſit ratione ſtructurae et reliquarum conditionum conſpiratio, concludit Cl. Auctor, vaſa lymphatica ſine arteriis ex cellulosa tela inter muſculos ex mucoſis tendinum folliculis, ex membranaceo habitu vel ductu glandularum exoriri, et reſorbendo ſuccos ſuſcipere, minora in maiores trunculos vniri, ſanguini altero extremo infundere, illum fluidum ſeruare et a putredine defendere *.

p. 329. 41. *Epiſtola ad Illuſtrem Societatem Regiam data de variatione acus magneticae adiectis tabulis, quae conſectaria ex obſeruationibus plus quinquaginta millibus in ſex periodicis perluſtrationibus ab anno* 1700 *ad annum* 1756 *inſtitutis exhibent, eaque ad quoslibet quinque gradus latitudinis et longitudinis in oceanis nauigatione maxime frequentatis applicant. Auctoribus* Cl. WILHELMO MOVNTAINE, *et* IACOBO DODSON.

p. 350. 42. *Relatio de quibusdam raro obuiis tumoribus in capite operarii, nunc in noſodochio St. Bartholomaei detenti Auctore* Cl. IACOBO PARSON. Aeger, qui nunc vigeſimum quintum annum agit, in aetate quatuor vel quinque annorum capite percuſſus prima initia tumorum ſenſit, qui nunc in inſignem magnitudinem excreuerunt, et icone duplici ſiſtuntur. Magnus enim in vertice tumor eſt, a quo dependet alter poſterius ſupra ſcapulam dextram, anterius ſupra os frontis et totam faciem huius lateris extenſus. Si hic leuatur oculus dexter illaeſus conſpicitur, praeter palpebram inferiorem, a qua minor tumor dependet, his accedunt alii duo minores.

* vid. Comment. Noſtr. Vol. VIII. P. III. p. 420.

res. Eminet in tumore ex oſſe frontis angulosa oſſea eminentia, quae ex depreſſo cranio orta videtur; nulla vero depreſſae caluae phaenomena in homine ceteroquin ſano apparuerunt. Vena magna ex radice naſi ſuper tumorem magnum extenditur, ipse vero ſuperius durior eſt, inferius laxior. Cl. CRANE noſodochii Chirurgus vnum ex minoribus ſeparauit et internam ſubſtantiam ſteatomatoſam inuenit. Tales tumores poſt externas percuſſiones in iunioribus facilius oriri, quam in adultis, Noſter oſtendit, cum in illis incrementum corporis ſuccedat, quam rem additis quibusdam obſeruationibus illuſtrat.

43. *Excerptum ex indicibus parochiae Great-Sheffford prope Lamborne in Berkshire a decem abhinc annis, additis quibusdam obſeruationibus ex literis* Cl. RICHARD FORSTER *ad* Cl. TH. BIRCH *. Nati fuerunt mares 73 et foeminae 75, obierunt 44 mares et 9 foeminae, numerus incolarum parochiae ad 425 aſcendit. Si igitur ab 148 natis 83 mortui ſubtrahuntur, remanent 65 viuentes. Comparationem natorum et demortuorum in agris melius oſtendere proportionem incrementi generis humani docuit Noſter, cum in vrbibus populoſioribus multi exteri accedunt. Varias concluſiones ex ſuis obſeruatis deducit ab aliorum Auctorum ſententiis diuerſas. p. 356.

44. *Obſeruatio notatū digna de aneurysmate ſeu morbo arteriae femoralis per lapſum inducto addita animaduerſione de incertitudine ſymptomatum in hoc morbo occurrentium Auctore* Cl. IOS. WARNER. De differentia aneurysmatis veri et ſpurii diſſerit, et ſigna in pulſatione tumoris et colore integumentorum mutato obſeruata ſaepe fallacia eſſe pronuntiat, additis aſſerti variis rationibus, ſubiungit tandem ſequentem morbi hiſtoriam. Vir triginta quinque p. 363.

* lectum d. 17 Nou.

annorum menſe Decembri 1756 poſt vehementem genu contuſionem claudicabat, poſt ſex demum ſeptimanas tumor oedematoſus apparebat, qui per quatuordecim dies increſcens, dolores auctos excitabat, intra octo ſeptimanas, per integrum femur genu ſe extendebat, et acutiſſimos dolores inprimis ad genu efficiebat. Cum tandem die vigeſimo octauo Aprilis 1757 aeger curae Cl. Auctoris traderetur, tumor ex interna genu parte ad inguinalem ferme regionem extenſus erat, integumentis naturali colore praeditis, is in interna et ſuperiori parte durus erat extrorſum fluctuans ſine omni pulſatione, licet itaque non amplius increſceret, dolor tamen continuus ſomnum, appetitum et vires aegro eripiebat. His cauſis permotus decimo tandem die inciſionem tentabat Cl. Auctor, qua facta ingens copia ſanguinis floridi prorumpebat; vulnere itaque linteis carptis repleto, faſciam comprimentem ad inguina applicabat, et amputationem ſuſcipiebat, aeger vero poſt animi deliquium, quo ſub operatione corripiebatur, iterum ad ſe redibat et tandem ſanitatem recuperabat. In amputato femore vaſtus internus et cruraeus vna cum perioſtio deſtructi erant, muſculi, interni gracilis et vicini diſtenti et ab oſſe femoris longe remoti inueniebantur, et cauum relinquebant cruore plenum, cuius pars coagulata in coriaceam conſiſtentiam tranſierat, os femoris carie et exoſtoſi affectum erat, ligamentum genu craſſum aliquot vncias viſcidae et flauae ſynouiae continebat, arteria femoralis ante diuiſionem in tibialem et fibularem calloſa et ad longitudinem dilacerata apparebat, diametro vltra duos pollices aucto.

p. 370. 45. *Continuatio experimentorum, quae augmentum vaporum in machina ignea declarant* * Auctore Cl. FITZGERALD **.

46. *Ob-*

* vid. no. 10. p. 53. ** lecta d. 24 Nou.

46. *Obſeruatio eclipſis lunae d. 27 Martii* 1755 *habita Vliſſipone in domo patrum congregationis oratorii a* Cl. IO. CHEVALIER *. p. 374.

47. *Eclipſis lunae d. 4 Februarii* 1757 *obſeruata Vliſſipone a* Cl. IOH. CHEVALIER et THEODORO DE ALMEIDA. p. 376.

48. *Obſeruationes eclipſium ſatellitum Iouis Vliſſipone habitae* 1757 *a* Cl. IOH. CHEVALIER. p. 378.

49. *Caſus notatu dignus de efficacia corticis peruuiani in gangraena, ex literis* Cl. RICHARDI GRINDALL. *ad* Cl. WATSON. p. 379. Foemina triginta vnius anni quotidiana febre affecta tincturae myrrhae vnciam circiter tempore paroxysmi hauſerat, ſenſit inde ardoris ſenſum in ventriculo et febre vehementiſſima affecta fuit, quae matutino tempore non nihil remittebat ſed vehementem dolorem in manibus, pedibus et naſo relinquebat, quae quidem partes paulo poſt gangraena et ſphacelo afficiebantur, curatione per ſedecim dies neglecta; ſolutio corticis peruuiani tandem ſphacelo limites poſuit, et vſu pulueris corticis tandem continuato ita conualuit aegra, vt amputatis manibus et digitis pedum nunc quidem licet mutilata viuat.

50. *Epiſtola* Cl. PRINGLE *ad* Cl. TH. BIRCH, *cui iunguntur quaedam obſeruationes a* Cl. ROBERTO WHYTT *communicatae* **. p. 383. Priores concernunt ſolutiones calculi veſicae in variis menſtruis: refert enim Cl. WHYTT calculum non adeo durum in aqua calcis ex oſtreis parata minime ſolutum, in ſolutione ſaponis quodammodo mutatum fuiſſe. Sub examen itaque reuocauit varios gradus ſolutionis calculi in aqua calcis, aqua thermarum carolinarum

* lecta d. 8 Dec. ** lecta d. 15 Dec.

rum et vrina hominis, qui his aquis vſus eſt, a Cl. SPRINGSFELD propoſitas *, et arbitratur hunc virum debilem nimis aquam calcis adhibuiſſe, cum in experimentis, quae ipſe a quindecim annis ceperit, maiorem ſemper vim cognouerit. Ad hanc itaque rem accuratius definiendam noua experimenta inſtituit, ex quibus patere dicit non tantum aquam calcis viuae, ſed etiam ſolutionem ſaponis in vaſis clauſis citius diſſoluere calculum, quam aquas carolinas, concedit tamen has aquas citius ſoluere calculum, quam aqua calcis et ſolutio ſaponis, ſi in vaſis apertis ex fonte ipſo ſuper calculum vehuntur. Experimento de ſolutione calculi in vrina hominis, qui aquis carolinis vſus eſt, aliud oppoſuit de ſolutione calculi in vrina hominis, qui aquam calcis hauſit, et fateri quidem cogitur ſolutionem debiliorem fuiſſe, monet vero priorem calculum in calore 96 graduum ſemper detentum magis ſolui potuiſſe, quam alterum autumnali tempore in calore atmoſphaerae tantum ſeruatum, et porro addit aquas carolinas copioſius hauſtas fuiſſe, quam aquam calcis. Cum in his experimentis non omnia accurate definiantur, et Cl. Auctor experimenta cum aquis carolinis non repetere poſſit, Cl. SPRINGSFELD repetitis experimentis haec, quae in comparatione ſolutionis dubia ſunt, inpoſterum melius definire poterit.

p. 392. Altera obſeruatio effectus virium electricitatis in paralyſi declarat. Virgo triginta trium annorum neruoſa febre affecta, tandem paralyſi lateris ſiniſtri laborauit, et poſtquam per annum ferme in triſti hoc ſtatu ſubſtitiſſet, et continuum ſymptomatum augmentum percepiſſet, tandem viribus electricis applicatis conualuit ita, vt morbus omnis euaneſceret. Haec menſe Nouembri 1757 obſeruata fuerunt et ex literis, Cl. WHYTT die nono Ianuarii

* vid. Comment. noſtr. Vol. V Part. III p. 539.

Ianuarii 1758 datis, patet et hoc tempore foeminam recte valuiſſe.

51. *Catalogus quorundam fructuum aliorumque corporum foſſilium, in inſula Shepey repertorum* Auctore IACOBO PARSON. Breuibus de petrefactorum natura, eorumque fiendi modo diſſerit, et quaenam potiſſimum corpora petrificationi apta ſint disquirit; cumque ſeminum fructuumue, in lapideam maſſam conuerſorum, a nemine, excepto WOODWARDO, mentionem iniectam eſſe putauerit, longum addit variarum, tam exoticis, quam indigenis fructibus ac ſeminibus ſimilium glebarum, pro veris, quas habet phytolithis, catalogum, duobus tabulis aeneis qnadraginta nouem figuras continentibus, illuſtratum. In pyritaceam maſſam mutata ſunt haec corpora, quae ficus, myrobalanorum, oleae, ſtaphylodendri, euonymi, hurae aliarumque plantarum vel fructus, vel ſemina, vel calyces vel alias partes forma exteriori referunt, hinc etiam, vti omni pyritaceae maſſae ſolenne eſt, aeris acceſſu dehiſcunt et vitriolica lanugine obducuntur. Et hoc ipſum eſt, quod dubitationem nobis mouet, num vera ſint haec foſſilia petrificata habenda, cum nemo ſit foſſilium rerum gnarus, quem fugiat, quot quantisque figurarum varietatibus ludere ſoleat pyrites. Mallemus hanc ob cauſam, niſi forſan interior ſtructura id vetat, harum glebarum alias luſibus naturae ſ. figuratis lapidibus annumerare, vti e. g. fig. 1. 2. 3 tabulae primae, quarum analoga ſaepiſſime occurrunt, ſub *fungitarum pyritoſorum* nomine ab HENCKELIO dudum iam deſcripta ac icone expreſſa, vel et inprimis in tabulae alterius fig. 23 expreſſa *ariſta cuiusdam graminis*, quae multis ſane exemplis in Haſſia circa Francobergam in foſſili haerens eruitur et a WOLFARTO ac LEHMANNO deſcripta ac aeri incisa exſtat;

aliae,

aliae, quamuis petrifacta vera videantur, vix tamen plantis, ſed coralliis potius accenſendae erunt, vt fig. 12. 15. 16. 17 prioris tabulae. Eiusdem tabulae fig. 13 helicites videtur, quem pro vegetabili quidem ipſe SCHEVCHZERVS habuit, et frumentarium lapidem nominauit, Cl. vero IOANNES GESNERVS concham biualuem ſpiralem eſſe luculenter demonſtrauit.

Addit Noſter Cl. MASONIS coniecturam de piſcium in fiſſili lapide imaginibus, quam vlteriori disquiſitione ac examine dignam cenſet. In ea nimirum fiſſilis ſpecie, quae gryſeo ſeu coeruleo colore tincta eſt, non niſi oſſeas partes et ſceleta piſcium occurrere obſeruare ſibi viſus eſt, cum in ſpecie, quae nigro colore et obſcuriori ſeſe diſtinguit et cutis et ſquamae adhuc appareant. Corroſiuum hinc priori forſan ineſſe ſuccum, partes molliores facile deſtruentem, putat, cum in altera ſpecie haerens pingue ac vnctuoſum principium hiſce partibus conſeruandis inſeruiat.

p. 408. 52. *Obſeruatio de cometa, quam menſe Septembri et Octobri 1757 in obſeruatorio regio fecit* Cl. IACOBVS BRADLEY *.

p. 416. 53. *Reſolutio propoſitionis generalis ad definiendam horariam alterationem poſitionis aequatoris terreſtris ex attractione ſolis et lunae, additis animaduerſionibus nonnullis in ſolutionem difficilis et praeſtantiſſimi huius problematis ab aliis Auctoribus exhibitam Auctore* Cl. THO. SIMPSON.

p. 428. 54. *Obſeruatio de calore aeris menſe Iulio* 1757 *propoſita ex literis* Cl. IOH. HVXHAM *ad* Cl. WATSON, Annotantur gradus caloris variis diebus obſeruati vbi potiſſimum Plymuti die 12 Iulii thermome-

* lecta d. 22 Dec.

mometrum Fahrenheitianum in vmbra poſitum vltra octuaginta octo gradus aſcendit, et cauſae variorum morborum eo tempore graſſantium inde deducuntur. Cl. WATSON addit gradus, tunc temporis Londini obſeruatos, quorum maximus eſt 85: monet tamen calorem maiorem fuiſſe, quam vnquam in Madera inſula obſeruatus fuit.

55. *Annotationes ad literas* Cl. IOH. ELLIS *ad* Cl. PHILIPPVM CARTERET WEBB *datas, et in Volumine*, XLIX. *Part.* 2 *p.* 866. *Transact. Philoſoph. impreſſus Auctore* Cl. PHILIP. MILLER *. p. 430. Cl. MILLER in Phil. Transact. Vol. 49 part. 1 p. 161. epiſtolam Cl. MAZEAS de taxicodendri ſpeciebus lintea colore nigro tingentibus examinauerat. ** Cl. ELLIS in eodem volumine part. 2 p. 866 contrariam ſententiam propoſuerat, et toxicodendrum pinnatum in coloniis americanis creſcens legitimam verniciferam plantam Iaponenſium non eſſe ex Kaempherianis deſcriptionibus declarare annifus eſt ***; in his itaque annotationibus ſententiam ſuam defendit Cl. MILLER. Planta in hortis Angliae ex ſeminibus americanis producta, *Poiſonash*, fraxinus venenata appellata fuerat, huius folia cum ſicca planta ex Iaponia allata DILLENIVS et alii botanici comparauerant, eamque Iaponenſi ſimilem eſſe iudicauerant, nonnullae enim in foliis obſeruatae differentiae attendendae non erant, cum folia ex ſuperiori et inferiori plantae parte decerpta interdum varient, et ſpuriam quoque verniciferam arborem KAEMPHERI diſtinctam plantam eſſe Cl. Auctor aſſumit, qui porro monet, toxicodendrum ad ſpecies rhus referri haud poſſe cum flores ſtamineos et piſtillatos in diſtinctis plantis obti-

* lecta d. 15 Dec.
** vid. Comment. noſtr. Vol. VIII part. 1 p. 143.
*** vid. l. c. p. 172.

obtineat, tandem addit ſe diſtinctionem inter anacardium Iaponenſe et Americanum cognoſcere hoc tamen in tingendis linteis quoque adhiberi poſſe cum experientia doceat, ſuccum huius plantae lintea nigro colore imbuere.

p. 441. 56. *Reſponſio ad praecedentes annotationes Auctore* Cl. IOH. ELLIS *. Oſtenditur nimirum americanam toxicodendri ſpeciem fruticem eſſe nec arborem, vti Iaponenſis a KAEMPHERO deſcribitur, hic quoque in vno eodemque flore ſtamina et piſtilla inuenit, cum americana planta ſexu diſtincta ſit et in diuerſa planta et ſtamina et piſtilla gerat. Noſter quoque taxat Cl. MILLER, quod toxicodendrum foliis alatis fructu purpureo pyriformi a CATESBAY deſcriptum vt ſynonymum vtriusque plantae addat cum citata toxicodendri ſpecies non in Carolina, ſed in Bahama creſcat, et a Cl. LINNAEO ad elemiferam transferatur. Addit alia, quae differentiam foliorum in iconibus additis expreſſorum concernunt, quae tamen, vt dubia, a nobis fuſius declarari non poſſunt. Mittimus et alia, quae de colore foliorum autumni tempore mutabili, de vera KAEMPHERI deſcriptione et de aliis ad hanc rem pertinentibus in medium proferuntur, cum ex his omnibus, noſtro quidem iudicio, controuerſia componi nequeat, niſi accuratiores deſcriptiones et icones plantarum in locis natalibus exaratae proponantur.

p. 457. 57. *Epiſtola ad* Cl. TH. BIRCH, *quae de numero incolarum Angliae exponit Auctore* Cl. RICHARD FORSTER **. Oppoſita eſt ſententiae Cl. BRAKENRIDGE in Transactionum Volumine XLIX p. II. p. 877 propoſitae.

58. *Epi-*

* lecta d. 19 Ianuarii 1758.

** lecta d. 22 Decembr. 1758.

58. *Epiſtola ad Ill.* MACCLESFIELD, *quae ſententiam, in praecedenti epiſtola propoſitam, ſub examen vocat Auctore* Cl. WILH. BRAKENRIDGE *. p. 465.

XIII.

Noua phyſico-medica.

Ex tribus illis praemiis, quae totidem quaeſtionibus hoc, quem agimus, anno, 1761, promiſerat Regia Scientiarum Academia *Burdigalenſis* **, ne vnum quidem ea merentibus tribuendi gauiſa fuit opportunitate. Eadem itaque ſubſecuturo anno, 1763, diſtribuendi cepit conſilium. Illa interim quatuor praemia iam dicto anno dicata, nunc ita ſe exhibituram eſſe declarauit, vt aliis binis iam propoſitis quaeſtionibus bina quoque promittat praemia, quorum vnum trecentorum pondo gallicorum pretii erit, parataque pecunia argentea ſoluetur, alterum vero in nummo aureo eiusdem valoris conſiſtet. Argumenta, in quibus exponendis elaborent viri docti, haec ſunt: *Nonne in praeparatione lanae aliquod adhiberi queat remedium, quo ab inſectorum morſu illa ſeruari poſſit absque metu ipſius immutandae bonitatis? Vel certe nonne variae illi tincturae, quam ipſi dare ſolent infectores, addi queat aliquod remedium, quod eundem praeſtet effectum, ipſius tamen colorem neque mutet neque auferat?*

Praeter hanc quaeſtionem, olim iam ex parte oblatam, aliam exhibuit nouam eadem Illuſtris Academia: *Nonne, praeter plantarum leguminoſarum omnisque frumenti genera* iam ſatis nota, *ex regno vegetabili huiusque plantis, quae in Europa creſcunt, detegi quaedam poſſint, quae vel per naturalem ſuam indo-*

* lecta d. 16 Mart. 1758.

** vid. Comment. noſtr. Vol. VII. Part. II. p. 363.

indolem, vel per praeparationis quendam modum, ſi quis ſit neceſſarius, ſanum praebeant nutrimentum ideoque, ſi qua forte exiſtat annonae difficultas, in frumenti locum ſubſtitui poſſint. Id potiſſimum in votis habet academia, vt, qui tentamina de plantis facere velint viri docti, tales in primis ſeligant, quae facile inueniri vel certe ſine multo labore longoque tempore parari et facillime etiam coli poſſint. Vtriusque argumenti, quam maxime tamen poſterioris, grauitas tanta eſt, vt fructuoſam eius expoſitionem tanto magis exoptemus, quo omnino maior inde vſus in generis humani felicitatem redundare poterit.

De quaeſtionibus ad annum proxime futurum 1762 ab eadem Ill. Academia propoſitis, alio iam tempore ad lectores noſtros retulimus *.

Quae *Metis* nuper in ducatu Lotharingiae condita fuit Regia Scientiarum et Artium Societas **, primum hoc anno exhibuit praemium, quod Vir Cl. FROGER, ſacrorum curam gerens in oppidulo, *Moget* dicto, ad agrum Cenomanenſem pertinente, reportauit, quae vera ſit cauſſa fertilitatis telluris, exponens.

Eadem quoque illa Societas aliud nouum thema ad futurum annum 1762 obtulit, arctis limitibus circumſcriptum: Quosnam ſcilicet naturae prouentus prouincia Meſſinenſis ſuppeditare poſſit pro ſoli ſui atque climatis indole.

Quum eadem porro Societas hunc in primis finem ſibi habeat praefixum, vt agri culturam adiuuet, praeter illud iam conſtitutum praemium nummi aurei quadringentorum pondo gallicorum, tres alios nummos iisdem quidem externis notis ſignatos

* vid. Comment. noſtr. Vol. VIII. Part. II. p. 352. Vol. IX Part. I p. 172.

** ibid. Vol. VIII P. IV p. 726.

ſignatos, ſed ex argento cuſos, inter eos homines ruſticos, qui manibus ſuis ipſi colunt agros, diſtribuet, qui vel noui atque vtilis quid agri culturae inſeruiens inuenerint, vel per documenta fide digna probauerint, ſe vnius alteriusue auxilii aut maioris quoque ſtudii ope agros ſuos, prae reliquis ciuibus, melius coluiſſe indeque largiorem etiam meſſem reportaſſe.

Petropoli ab Auguſtiſſima Imperatrice in eorum medicorum, qui ipſius ſanitatis curam habeant, numerum relatum eſſe percipimus Ill. Virum, CAROLVM FRIDERICVM KRVSE, cuius ſupra iam meminimus *, ideoque, vti reliquos Auguſtisſimae medicos, Viros Illuſtres, MOVNSEY et SCHILLING, Actualis, qui dici ſolet, Conſiliarii ſtatus dignitate atque honoribus exornatum ſimulque annuo quater mille nummorum vncialium ſtipendio cohoneſtatum eſſe. Quum Illuſtrem KRVSE *Boerhaauanorum* operum poſthumorum editionem orbi literario promiſiſſe nuper demum declarandi habuerimus occaſionem, id merito nobis manet in optatis, vt otium ad illum laborem neceſſarium ipſi ſuperſit, quo doctorum medicorum exſpectationi ſatis facere poſſit.

Petropolin quoque nuper euocatus fuit Berolino Vir Cl. IOHANNES GOTTLOB LEHMANN, Med D. in aula Regia Berolinenſi a conſiliis rerum metallicarum, Reg. Scient Berolin. Academiae, et Electoralis Acad. Moguntinae et Londinenſis artium et commercii Societatis Socius, nunc Imperial. Petropolitanae Scientiarum Academiae Membrum Ordinarium et Chemiae Profeſſor conſtitutus, poſtquam Vir Cl. VLRICVS CHRISTOPHORVS SALCHOW ab hoc munere ſe abdicandi veniam petierat

Yy 2 et

* vid. Comm. noſtr. Vol. IX P. I p. 170.

et impetrauerat, in Germaniam rediturus. Merita interim Cl. LEHMANNI de rebus potiſſimum chemicis, per varia, quae huc vsque edidit ſcripta eo pertinentia, et honorem praemii, quod a Londinenſi artium ſocietate ante biennium conſecutus fuit *, ſatis nota ſunt, vt in praeſenti, cur longiores de illis ſimus, non eſſe videatur.

Academia *Vitembergenſis* inſignem fecit nuper iacturam in morte Viri, de rebus phyſicis meritiſſimi nominisque famam ex merito conſecuti, GEORGII MATTHIAE BOSII, Phyſicae Profeſſoris Publ. Ordin. Reg. Scient. Academiae Pariſinae in commercio litterario, Acadd. Scient. Bononienſis, Holmienſis et Londinenſis, vt et Reg. humaniorum litterarum Gryphiae et Societt. Teutonicarum Helmſtadienſis et Ienenſis Socius, qui ex aliquo tempore Magdeburgi commorans, in dyſenteriae morbum incidit eiusque violentia ibi oppreſſus fuit die ſeptembris primo, huius, quem agimus, anni 1761.

Paulo *Lugduni Batauorum* poſt, die nimirum eiusdem menſis vndeuigeſimo, Vir alius de rebus mathematicis et phyſicis inſigniter meritus et magnum ideo nomen ſibi et academiae, cui inerat membrum, concilians, ſenio tandem confectus et 69 annorum aetatem adeptus obiit, PETRVS DE MVSSCHENBROEK, Art. Liber. Mag. Phil. et Medic. Doct. Philoſophiae et Matheſeos in Academia Lugduno-Batava Profeſſor Publ. Ordin. Reg. Scient. Societatis Londinenſis, Acadd. Petropolitanae, Berolinenſis, Holmienſis, Monſpelienſis, Bononienſis et Harlemenſis ſocius, vti et Reg. Scient. Acad. Pariſinae a commercio litterario. Inſignis, quem ſemper habuit, auditorum numerus eorumque merita, vti et egregia, quae reliquit, ſcripta, nomen eius poſteritati tradent nulloque non tempore conſeruabunt.

Quem

* vid. in hac ipſa parte p. 639, et in Vol. VIII P. II p. 354.

Quem in promouendis ſcientiis artibusque munificentem ſaepe admirati ſumus, ſummum Daniae regni imperatorem, regia denuo gratia, poſtquam in regia ſua ſede nouum hortum botanicum condi iuſſit, eo adduxit, vt plantarum omnium, in ditione ſua ſponte naſcentium, deſcriptionem fieri, clementiſſime decerneret. Impoſitum eſt exequendi huius mandati officium Cl. D. GEORGIO CHRISTIANO OEDERO, Profeſſori Regio Botanico Hafnienſi, qui de opere illo, ſub nomine *Florae Danicae* edendo, nuper programma nobiſcum communicauit, totius inſtituti rationem exponens, ex quo itaque praecipua hic ad lectores referre conſtituimus. Communis quaſi et vniuerſalis vt euadat ſcientia botanica, ob multas admodum cauſſas regioni vtilis, flora haec in ſubditorum gratiam non danica tantum et germanica lingua, ſed exterorum etiam in commodum latino prodibit ſermone. Nec metuendum eſt, fore, vt, quod aliquando priuatis hominibus accidiſſe ſcimus, operis huius continuatio ſubito intercidat aut interrumpatur, cum ſingulo horti praefecto ea ſit lex propoſita, vt in elaborando opere pergat. Sed, quod non minor eſt iconum plantarum vtilitas, licet deſcriptiones a perito botanico poſſint fieri admodum clarae et diſtinctionibus faciendis idoneae, ſingulae deſcriptae plantae figura in aes inciſa addetur. Cuius rei in teſtimonium hic figura *Rubi Chamaemori* extat, altera nigra ſeu pura, altera viuis coloribus picta, vtraque elegans, partium etiam plantae accuratam exhibens delineationem. Non tamen niſi de iis, quae ad botanicam puram ſeu cognitionem vegetabilium pertinent, hic exponetur, quae autem ad applicatam ſpectant, ea alibi a ſocietate medicinae practicae, hiſtoriae naturalis et oeconomiae partes tractante, proponentur, cui etiam Cl. OEDERVS membrum adſcribitur.

Textus porro ſeu plantarum explicatio, ab iconibus ſeparata, ſeorſim minori forma prodibit, in vſum eorum, qui plantas conquirunt, et quo iis inſeruiatur, quibus coemendarum iconum facultas non datur, et quo figurae etiam tandem ad ſyſtematis normam pro lubitu cuiuscunque poſſint disponi. Icones autem plantarum, adhibebuntur tamen recentes et vigentes, naturalem earum referent magnitudinem, quantum chartae, cui imprimuntur, permittit forma, reliqua imminuto exprimentur modulo, parte, cui character ineſt diſtinctionis, ceu nobiliore, maiori magnitudine propoſita. Artifices, qui ad hoc inſtitutum ſuam adhibent operam, ſunt MICHAEL ROESLER, pater, chalcographus, et MARTIN ROESLER, filius, pictor. Sic omnes, ſponte prouenientes plantae, tum vulgatiſſimae tum rariores in iconum hocce apparatu continebuntur, atque per faſciculos prodibunt, et textus editio poſt demum ſequetur. Sed textus partes tres ſunt: I *Elementa botanicae, cum diſſertatione de methodo docendi.* II *Catalogus plantarum indigenarum ditionis Danicae, in quo omnes recenſebuntur, additis notis et characteribus communibus et propriis, at breuiſſimis et ſelectis, ne moles impediat, quo minus portatile volumen fiat.* III *Sylloge deſcriptionum earundem plantarum, adiecta Synonymia.* Hos autem ſeparatim quisque, prout placet, comparare ſibi poterit. Quotannis prodibit faſciculus, conſtans ſexaginta tabulis, primus circa paſchatos feſtum anni ſequentis ſexageſimi ſecundi huius ſeculi, edetur, prima pars textus incolis anno exeunte 1762, exteris cum ſecundo faſciculo 1763 tradetur. Interim, qui hoc opus poſſidere cupiunt, vt nomina ſua profiteantur, rogantur, argentum vero, vbi exemplaria traduntur, numerandum eſt. Qui nomen ſuum nunc dederint, in cuius rei teſtimonium ipſis ſchedula nomine recipientis munita

dabitur,

dabitur, pro ſingulo faſciculo iconum nigrarum quatuor imperiales argenti danici, iconum pictarum nouem imperiales ſoluent, duo autem imperiales danici et tertia pars aequales ſunt nummo aureo, quem *Ducatum Hollandicum* vocant. Nomina dari poterunt in praecipuis bibliopoliis vrbium celebrium. Quo tandem praeguſtum aliquem maxime commendandi huius et regii ſolum inſtituti lectores habeant, addimus enumerationem plantarum primi faſciculi, ſecundum nomina LINNAEI generica et triuialia. Tab. 1. *Rubus chamaemorus.* 2 *Pedicularis lapponica.* 3. *Linnaea borealis.* 4. *Silene rupeſtris.* 5. *Cornus ſuecica.* 6. *Ceraſtium alpinum.* 7. *Androſace ſeptentrionalis.* 8. *Pyrola vniflora.* 9. *Azalea procumbens.* 10. *Andromeda hypnoides.* 11. *Thalictrum alpinum.* 12. *Stellaria biflora.* 13. *Polygonum viuiparum.* 14. *Rumex digynus.* 15. *Zoſtera marina.* 16. *Veronica alpina.* 17. *Gentiana niualis.* 18. *Oſmunda lunaria.* 19. *Ranunculus glacialis.* 20. *Cardamine bellidisfolia.* 21. *Cucubalus acaulis.* 22. *Saxifraga cernua.* 23. *Saxifraga ſtellaris.* 24. *Sedum villoſum.* 25. *Pulmonaria maritima.* 26. *Pedicularis, ſceptrum carolinum.* 27. *Hieracium alpinum.* 28. *Saxifraga niualis.* 29. *Anemone vernalis.* 30. *Pedicularis flammea.* 31. *Dryas octopetala.* 32. *Sibbaldia procumbens.* 33. *Arbutus vua vrſi.* 34. *Saxifraga oppoſitifolia.* 35. *Subularia aquatica.* 36. *Anthericum calyculatum.* 37. *Serratula alpina.* 38. *Erica cinerea.* 39. *Lobelia Dortmanna.* 40. *Vaccinium vitis Idaea.* 41. *Papauer nudicaule.* 42. *Anthericum oſſifragum.* 43. *Bartſia alpina.* 44. *Buxbaumia aphylla.* 45. *Blaſia puſilla.* 46. *Viola biflora.* 47. *Diapenſia lapponica.* 48. *Galium trifidum.* 49. *Alchimilla alpina.* 50. *Gentiana purpurea.* 51. *Aſtragalus alpinus.* 52. *Veronica ſpicata.* 53. *Phallus eſculentus.* 54. *Andromeda poliifolia.* 55. *Pyrola minor.* 56. *Draba alpina.*

 57. *An-*

57. *Andromeda coerulea.* 58. *Vicia lathyroidea.* 59. *Sedum rupeſtre.* 60. *Acroſtichum ſeptentrionale.*

Memoria IOANNIS GOTTLOB KRVEGERI, Medicinae et Philoſophiae Doctoris et vtriusque Profeſſoris publici ordinarii in academia Helmſtadienſi, Academiae Caeſareae Naturae Curioſorum et Regiae Scientiarum Berolinenſis Collegae, Societatis Teutonicae Gottingenſis et Helmſtadienſis Sodalis.

Mirandum eſt, nonnullos fuiſſe, qui cum ceteris omnibus diſciplinis medicinam etiam, vt incertarum rerum doctrinam, ideo contemnerent, quod omnem medicorum operam his rebus inſumi viderant, quae ſenſibus atque omnino experientia cognoſcerentur. Praeterquam enim quod alii temere hanc opinionem defendendam ſtatuerunt, alii prae philoſophica ſubtilitate omnia ſpreuerunt, maxime eo decepti videntur, quod non intellexerunt, quam rationem diſcendi docendique medici ſequerentur, et quam ſimilis haec eſſet phyſicorum conſuetudini. Pleraque enim, quae in medicina tractantur, ſenſibus quidem percipiuntur, nec ſemper poteſt natura earum rerum, quarum partes demonſtrantur, mente aut cogitatione fingi; ſed ideo medici non ſunt in perpetuo errandi periculo. Namque aut omnis phyſica neganda eſt certa eſſe, aut medicinae quoque relinquendum ſuum pretium, aut abiicienda ratio docendi a phyſicis et medicis inſtituta. Quis autem defendat, omnes omni tempore locoque phyſicos erraſſe, qui ex ſignis, quae centies idem ſecutus erat effectus, tandem colligerent; eumdem hunc alio etiam tempore ſecuturum eſſe, qui non praecipitarent iudicium, ſed non niſi ſaepius

ſaepius animaduerſa eiusdem cauſſae effectusque coniunctione aliquid definirent, qui non vanis coniecturis luderent, ſed, ſi multa eſſent, quibus coniunctis veri ſimile atque certum adeo videretur, aliquid euenturum eſſe, fidem rei habendam crederent? Verum natura interdum non ſequitur legem, quam ipſa praeſcripſit. Atqui ſequitur ſaepiſſime, nec errat, qui euenturum putat, quod ſaepiſſime euenit, rarius non factum eſt: niſi forte omnino nulla vis eſt medicinae, quod interdum nullam habuit. Hinc perquam eſt commodum, cum multas alias ob cauſſas cum phyſica coniungere medicinam, tum ideo praeſertim, quod vtriusque ſimilis tractatio ad veriſſimam medicinae cognitionem adducit, hoc eſt eam, quae ex ſignis rebusque ſingularibus ad vniuerſas ſententias progreditur, nec in ea diſciplina patitur eſſe errandi periculum, quae naturam ita ſequitur, vt ipſa nos tamquam manu ducit: magna autem eſſe debet eorum virorum commendatio, qui phyſicam et medicinam coniunctim tractarunt, ex quo genere conſtat KRVEGERVM fuiſſe, cuius vita hoc loco deſcripta eſt.

Editus igitur eſt in lucem Halae Magdeburgicae anno huius ſeculi quinto decimo, quam vrbem per omne vitae tempus eo cariorem habuit, quo liberalius ipſe ibi habitus eſt, quoue maiori cum cura educatus, poſtquam eo priuatus erat, qui maxime debuerat eius educationem curare: amiſerat enim patrem IOANNEM, fabrum automatarium, cum tenerrima aetate fuit KRVGERVS, ſolique matri, CHRISTIANAE HOFMANNIAE, eius educandi cura relicta eſt. Cuius partem etſi ipſa libenter ſuſceperat: cetera tamen praeceptoribus orphanotrophei Halenſis committenda putauit, quibus quidem omnibus feſtiuitas pueri et adſiduitas probata eſt; a nemine tamen eorum maiorem gratiam iniit, quam a BAVMGARTENIO, ſummo

quondam theologo, quem conſtat ita adamaſſe ingenium KRVEGERI et humanitatem, vt, quotiescumque ipſe alii diſcentium ordini praeficeretur, hunc ſecum duceret, et poſtea multis modis demonſtraret, quam firmus et conſtans eſſet amor, quo olim erga diſcipulum flagraſſet. Anno ſexto vigeſimo, etſi nondum maturus erat earum litterarum cognitioni, quae in academia docentur, tamen adſcitus eſt in numerum ciuium academiae, ſcholas autem Profeſſorum anno demum trigeſimo huius ſeculi adire cepit, operamque dedit F. HOFFMANNO, ALBERTO, IVNKERO, SCHVLZIO, celeberrimis Halenſium doctoribus, et ſtatim oſtendit, quantopere vellet phyſices et matheſeos cognitionem cum rebus medicis coniungere, quibus quidem diſciplinis eodem ſtudio ſe dicauit. Omnium maxime ſecutus eſt HOFFMANNVM nec diſciplina tantum eius amplectenda, ſed familiaritate etiam expetenda, quae tam arcta fuit, vt, quam diu KRVEGERVS Halae vixit, ab HOFFMANNO ad omnia adhiberetur, praeſertim poſtquam coeperat ingenium proferre et diſputatione *de determinatione mentis per motiua*, et nonnullis amicis docendis. Paullo poſt ſummos in philoſophia honores cepit, et *de nonnullis ad motum globuli e ſclopeto exploſi pertinentibus* diſputauit, ex quo tempore ſtatim ſtudioſis docendo profuit. In quo etſi aliquamdiu valetudine aduerſa impeditus, et iter ſuſcipere coactus eſt: tamen redux e Sileſia, quam per hanc occaſionem percurrerat, denuo non ſolum phyſicen et matheſin diligentius tractauit; ſed ſcholas etiam medicas habuit. Quare effectum eſt, vt habita diſputatione *de ſenſatione* anno ſecundo quadrageſimo h. ſ. doctor medicinae crearetur. Tum vero coepit quotidie magis inclareſcere, atque meritis etiam doctrinae praemiis ornari, cuius rei initium eo factum eſt, quod ſequenti anno munus Profeſſoris Extraordinarii Halenſis ad eum delatum eſt. Quod

poſtquam

poſtquam per tres annos optime adminiſtrarat, atque exteris etiam innotuerat: electus eſt primo ſocius Academiae Naturae Curioſorum, habuitque, vt mos eſt, Fauſtini Secundi nomen, deinde etiam in academiam regiam ſcientiarum Berolinenſem receptus eſt. Sed quod euenire ſolet viris doctrinae fama nobilitatis, vt multi velint eorum praeſentium conſuetudine vti, eorumque laudem ſibi quoque ornamento eſſe, idem deinceps narrabimus KRVEGERO contigiſſe. Nimirum Hala euocatus eſt Petropolim, in quo tamen amor patriae vicit, cui contentus ſua forte diutius inſeruire maluit, quam clarus quidem apud exteros, ſed procul a patria et propinquis viuere. Deinde cum Helmſtadienſis academia amiſiſſet PETRVM GERIKIVM, qui ibi magna cum laude medicinam docuerat, et KRVEGERVS in primis dignus viſus eſſet, qui in eius locum ſuccederet adduci ſe paſſus eſt, vt hoc munus ſuſciperet. Quae res tam grata fuit Helmſtadienſi academiae, vt praeter munus medicinae docendae ei etiam locus in ordine philoſophorum adſignaretur, vnde factum eſt, vt philoſophiam quoque explicaret. Poſtea ſignificatum eſt ei per litteras, ſi VATERO, Vitebergenſi quondam medico, ſuccedere vellet, gratiſſimum ſe facturum his, quibus mandata eſſet cura academiae, atque Ienenſis etiam academiae profeſſorem ſe deſignatum eſſe aliquot annis poſt comperit. Sed neutra conditione vtendum putauit, maluitque fauorem Helmſtadienſium, a quibus tam liberaliter inuitatus, tamque humaniter exceptus erat, etiam conſtantia merere. Et profecto, quemadmodum ab initio docendo, diſputando, ſcribendo curandisque morbis ſe omnibus probarat, ita ad finem vitae eadem ratione ſe geſſit, nec vmquam opera eius defuit aut ſtudiis diſcentium, aut academiae dignitati et vtilitati. Namque bis Prorector academiae

creatus

creatus eſt, et totidem Praeſes Ordinis Medici, quem poſt obitum HEISTERI pro Decano rexit. Tandem in ornamentis eius etiam ponendum eſt, quod ſocius honorarius ſocietatum Ducalis Teutonicae Helmſtadienſis et Teutonicae Gottingenſis fuit. Reſtat vt inſignia quaedam documenta eius opinionis commemoremus, quam ſummi quique illius ducatus ciues de eo habuerunt, quem non ſolum voluerunt docendo prodeſſe reipublicae; ſed ad ea etiam vocari, quae haberent vtilitatem omnibus communem. Cum igitur anno h. ſ. quinto quinquageſimo prope Helmſtadium detectus eſſet fons medicatus, omnibusque id maxime agendum videretur, vt oblatae ſibi vtilitatis eſſent participes: KRVEGERO datum eſt hoc negotium, vt eius naturam viresque exploraret, et accurate deſcriberet. Eodem modo maxima cum alacritate animi ſuſcepit negotium, quod Princeps ei mandari voluerat, quamquam honeſta valetudinis excuſatione potuerat vti, qua iam ex aliquot annis ita imbelle habebat corpus, vt grauioribus rebus non omnino par eſſet. Igitur libenter adiit Brunſuicam, quo vocatus erat, vt rem pharmaceuticam diligentius conſtitueret, ibique quatuor fere menſes ea re ordinanda conſumſit. Sed, vt diximus, corpus non potuit diutius contentionem nimiam ferre, cum iam ante aliquod tempus laborare coepiſſet inteſtino quodam malo, quod nimio litterarum ſtudio, lucubrando praeſertim, contractum fuerat. Quod autem ne ſic quidem voluerat inchoatam rem ante deponere, quam eo deducta eſſet, vt ipſo abſente per litteras commode perfici poſſet, praefuit rei, donec vtrumque potuit, et maxime confecto negotio a Principe miſſionem petendam putauit. In quo eo faciliores habuit omnes, quod fidem viri et induſtriam cognorant. Sed vehementer dolendum eſt, quod iuſta hac

munerum

munerum vacatione frui non potuit, ac ne Helmſtadium quidem redire, quamquam, ſi quid valet diuinatio, iam ſaepius praedixerat, ſe breui poſt ex hac vita diſceſſurum eſſe. Sexto enim die Octobris anni vndeſexageſimi, quo ipſo die de eo mittendo decernere voluerant, Brunſuicae apoplexia exſtinctus eſt. Non debet autem ejus viri memoria vmquam excidere animo, qui veriſſime dici poteſt ipſis negotiis immortuus, atque moriens adeo in augenda publica vtilitate verſatus eſſe. Praecipua, et ea inprimis, quae medici vel phyſici ſunt argumenti, nunc apponimus ſcripta:

Diſſ. inaug. philoſ. de nonnullis ad motum globuli e ſclopeto exploſi pertinentibus. Halae, 1737. 4.

Diſſ. meditationes phyſicae de attractione et vi centripeta. Reſp. *Dänicke*, ibid. eod. 4.

Naturlehre, nebſt Kupfern und vollſtändigen Regiſtern, mit einer Vorrede von der wahren Weltweisheit begleitet von F. HOFFMANN. Edit. I ibid. 1740. 8. Edit. II. ibid. 1744. Edit. III. ibid. 1750. 8.

Gedanken vom kalten Winter des Jahres 1740. ibid. 1741. 8. Ed. II. ibid. 1746. 8.

Abhandlungen von den Steinkohlen. ibid. 1741. 8. Ed. II. 1746. 8.

Phyſicotheologiſche Betrachtungen einiger Thiere. ibid. 1741. 8. Ed. II. ib. 1746. 8.

Diſſ. inaug. med. de ſenſatione. ibid. 1742. 4.

Diſſ. phyſ. med. de theoriae phyſicae tubulorum capillarium ad corpus humanum applicatione. Reſp. *Sam. Hambacher.* ibid. eod. 4.

Naturlehre. Zweyter Theil, welcher die Phyſiologie oder Lehre von dem Leben und der Geſundheit der Menſchen in ſich faſſet, nebſt Kupfern und vollſtändigem Regiſter. ibid. 1743. 8. Ed. II. aucta et emendata. ibid. 1748. 8.

Traité du Caffée, du Thée et du Tabac. ibid. 1743. 8. Ed. II. ibid. 1746. 8.

Diſſ.

Diſſ. phyſ. de cauſſa pelluciditatis. Reſp. *I. F. Abraham.* Halae, 4.

Diſſ. de diuerſitate corporum: morborum et curationum ſecundum regiones Europae. Reſp. *C. F. Henrici*, ibid. eod. 4.

Diſſ. de phyſiognomiae in re medica vtilitate. Reſp. *F. L. Supprian.* ibid. eod. 4.

Zuſchrift an ſeine Zuhörer, worinnen er ihnen ſeine Gedanken von der Electricität mittheilet. ibid. eod. 8. Ed. II. notis aucta. ibid. 1745. 8.

Grundriß eines neuen Lehrgebäudes der Arzneygelahrheit. ibid. eod. 8.

Geſchichte der Erden in alleräLteſten Zeiten. ib. 1746. 8.

Diſſ. de refrigeratione ſanguinis in pulmonibus. Reſp. *C. A. Brand.* ibid. 1748. 4.

Diſſ. qua geogenia et cataclyſmologia Whiſtoniana dubia redditur. Reſp. *I. G. H. Lucanus.* ib. 1750. 4.

Naturlehre, dritter Theil, welcher die Pathologie oder Lehre von den Krankheiten in ſich faſſet. ibid. eod. 8. Edit. II. ibid. 1755. 8.

Naturlehre, dritter Theil, welcher den zweyten Hauptabſchnitt der Pathologie, die beſondere Pathologie enthält. ibid. 1750. 8. Ed. II. ibid. 1755. 8.

Diät oder Lebensordnung. ibid 1751. 8.

Diſſ. med. de lege naturae, quod in corpore animali ſenſationem excipiat motus ſenſationi proportionatus. Reſp. *Petr. Sam. de Chauſepie.* ibid. eod. 4.

Diſſ. med. de haemoptyſi haereditaria. Reſp. *Io. Henr. Schrader.* Helmſtadii, 1752. 4.

Gedanken von der Erziehung der Kinder. Erſter Theil, von der Bildung des Leibes. Zweyter Theil von der Bildung der Seele. *Halle*, eod. 8. Voll. 2.

Zuſchrift an ſeine Zuhörer von der Ordnung, in welcher man die Arzneygelahrheit erlernen müſſe. ibid. eod. 8.

Elementa Philoſophiae naturalis experimentis confirmatae. ibid. 1753. 8.

Diſſ.

Diſſ. med. de ſomno, morborum patre et filio. Reſp. *Georg. Chriſtoph. Scheibner.* Helmſt. 1754. 4.

Diſſ. med. de lege naturae, quod in corpore animali ſpasmum excipiat atonia ſpasmo proportionata. Reſp. *I. D. Moſcheroſch.* ibid. eod. 4.

Diſſ. med. Experimenta nonnulla cum aqua oſtracodermatum inſtituta. Reſp. *Chriſtoph. Henr. Besle.* ibid. eod. 4.

Diſſ. med. de differentia elateris toni contractionis vitalis voluntariae ſenſibilitatis et irritabilitatis. Reſp. *Mich. Brandt.* ibid. eod. 4.

Diſſ. med. de opiſthotono emproſthotono et tetano. Reſp. *Chriſt. Lud. Gelpke.* ibid. eod. 4.

Gedanken von dem Helmſtädtiſchen Geſundbrunnen deſſen Beſtandtheilen, Kräften und vortreſlichen Würkungen. ibid. 1755. 4.

Fortſetzung der Nachricht von vortreflichen Würkungen des Helmſtädtiſchen Geſundbrunnens. ibid. 1757. 4.

Diſſ. med. de cortice peruuiano eiusque praeclaro in febribus lentis vſu. Reſp. *I. Ge. Lud. Lindemann.* ibid. eod. 4.

Diſſ. med. de electricitatis Muſſchenbroekianae in ſanandis morbis efficacia. Reſp. *I. Herm. Sielenz.* ibid. eod. 4.

Diſſ. med. de vſu enematum in febribus acutis. Reſp. *Io. Aug. Seidel.* ibid. eod. 4.

Unterricht wie ein Soldat ohne Arzeneyen ſeine Geſundheit erhalten und ſich curiren könne. Halle und Helmſtädt, 1758. 8.

Diſſ. med. de facie ſibi ſemper ſimili, longaeuitatis indice. Reſp. *Wiedmann.* Helmſt. eod. 4.

Diſſ. med. de inappetentia ex abuſu ſpirituoſorum. Reſp. *Berg.* ibid. eod. 4.

Diſſ. med. de putredinis et viſciditatis aequilibrio, vitae et ſanitatis fundamento. Reſp. *Toppius.* Helmſt. 1758. 4.

Die

Die erſten Gründe der Naturlehre auf eine leichte und angenehme Art zum Gebrauch der Jugend und Anfänger entworfen. Halle und Helmſtedt, 1759. 8.

In Promptuario Hamburgenſi ſequentia inſerta ſunt ſchediasmata.

Anmerkungen aus der Naturlehre über einige zur Muſik gehörige Sachen. Vol. I. P. IV. p. 166.

Verſuch, wie alle Arten der Früchte lange Jahre zu erhalten, ohne daß ſie von ihren Eigenſchaften etwas verlieren. Vol. II. P. I. p. 50.

Schreiben an Herrn Prof. Käſtner von einer verſteinerten Feuerflamme. Vol. V. P. IV. p. 361.

Nachricht von einem Steine, welcher ſich in dem Gaumen erzeuget. Vol. VI. P. IV. p. 374.

Gedanken von der Vernunft der Thiere. Vol. IX. P. IV. p. 364.

In Miſcellaneis Berolinenſibus haec exſtat commentatio ab ipſo conſcripta.

De nouo muſices, quo oculi delectantur, genere. Tom. VII. p. 345.

XIV.

Continuatio indicis ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1759 prodierunt.

CHRIST. FRIDER. BOERNER, Diſſ. altera, inaug. de niſu atque reniſu fonte aduerſae valetudinis. Lipſ. 4.

Philoſophiae naturalis theoria redacta ad vnicam legem virium in natura exiſtentium Auctore P. ROGERIO IOSEPHO BOSCOVICH. Viennae.

ERN. GOTTLOB. BOSE, Diſſ. inaug. de emeſi in febribus acutis. Reſp. et Auct. *Ioan. Hedwig.* Lipſ. 4.

Mé-

Mémoire ſur les Pleuro-pneumonies épidémiques, lû à la ſéance publique de l'Academie des Sciences et Belles Lettres de Beſiers le 26 Octobr. 1758 par M. BOUILLET. à Beſiers, 4.

Soins pour la properté de la Bouche et pour la conſervation des Dents; par M. BOURDET. à Paris, 16. (*Epitome libri illius eſſe videtur, quem ab eodem Auctore ſuperius ſub indice:* Recherches ſur toutes les parties de l'Art du Dentiſte, *indicauimus*).

Abrégé de l'Art des Accouchemens, dans le quel on donne les préceptes néceſſaires pour le mettre heureuſement en pratique. On y a joint pluſieurs obſervations intéreſſantes ſur des cas ſinguliers; par Madame LE BOURSIER DU COUDRAI. à Paris, 12.

IOAN. BAPT. BOYER, Quaeſt. med. an ad ſanitatem vt corporis, ſic et mentis exercitatio? Reſp. *Petr. Ioan. Claud. Mauduyt de la Varenne.* Pariſiis, 4.

IOAN. AD. BRAUN, Oratio de atmoſphaerae mutationibus praecipuis earumque praeſagiis. Petropoli, 4.

Ornithologie, ou Méthode contenant la diviſion des Oiſeaux en ordres, ſections, genres, eſpeces et variétés; a la quelle on a joint une Deſcription exacte de chaque éſpece, avec les citations des Auteurs, qui en ont traité; les noms, qui leur ont donnés; ceux que leur ont donnes ces différentes Nations et les noms vulgaires: en Latin et en François. Par M. BRISSON; avec deux cens vingt Planches gravées en taille douce, ſix volumes. à Paris, 4.

FRANCISC. BROUSSOUNET, Quaeſtiones medico-chemicae duodecim pro regia cathedra vacante defenſae. Monſpelii, 4.

ANDR. EL. BVECHNER, *Abhandlung von einer beſondern und leichten Art Taube hörend zu machen; nebſt noch einigen andern vormahls beſonders bekannt gemachten mediciniſchen Abhandlungen. Erſte Sammlung. Halle,* 8.

Eiusd. Diſſ. inaug. de tunica quadam oculi nouiſſime detecta et quibusdam tumoribus ſcirrhoſis reſoluta. Reſp. *B. A. Stier.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de damnis ex male affecto pancreate in ſanitatem redundantibus. Reſp. *G. C. Paldanus.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de ſale ſedatiuo HOMBERGII. Reſp. *Io. Gotthold Leberecht Ritter.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de febre maligna per accidens lethali. Reſp. *Dan. Theoph. Decker.* ibid. 4.

NICOL. LAVRENT. BVRMANN, Diſſ. inaug. de geraniis. Lugd. Batr. 4. c. f.

Lettera terza del Sig. Dottore LEOP. MARC-ANTONIO CALDANI ſopra l'irritabilita e inſenſitiuita Halleriana. in Bologna, 4.

IOSEPH. ANT. CARL, Diſſ. inaug. de palingeneſia. Reſp. *Franc. Leonh. Ignat. Steinmetz.* Ingolſtadii, 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. ſiſtens Zymotechniam vindicatam et applicatam. Reſp. *Ioſeph. Ant. Wilh. Kerres.* ibid. 4.

SPIRIT. CLAVD. FRANC. CALVET. Diſſ. inaug. de arthritide. Reſp. *Claud. Ioſeph. Savary.* Auinione, 4.

A Treatiſe on the improvement of Midwifry chiefly with regard to the operation, to which are added fifty ſeven caſes ſelected from upwards of twenty ſeven years Practice by ERDMUND CHAPMANN. The third Edition. London, 8 mai. c. f.

WERNER DE LA CHENEL. Diſſ. inaug. Specimen obſeruationum medicarum. Baſileae, 4.

FABII COLVMNAE de gloſſopetris. (*Diſſertatio haec adiecta eſt* AVGVSTINI SCILLAE *de corporibus marinis lapideſcentibus editioni alteri, quae prodiit Romae*, 4. c. f.)

GIO-BATTISTA COMPIANI DELLA SPECIE. 1) Ragionamento ſopra della Apopleſia con la ſpiegazione di molti fenomeni, che dipendono della noſtra volonta; on la ſcelta de i veri medicamenti e del buon metodo di penſare in medicina. 2) Ragionamento ſopra delle, con vna breve ſinopſi ſopra lutti i mali degli occhi deſcritti in un caſo pratico; e dell' uſo, e dell' abuſo de Profeſſori e de medicamenti. Genua.

Second Mémoire ſur l'Inoculation de la petite Verole, contenant ſon Hiſtoire depuis l'année 1754, lu à l'aſſemblée publique de l'Académie des Sciences le 15 Nou. 1758 par M. DE LA CONDAMINE. à Genev, 12.

(*Idem hic commentariolus, vt et prior, qui anno* 1754 *editus fuit, italice hoc anno prodierunt Liburni.*)

DAV. CORN. DE COURCELLES icones muſculorum plantae pedis cum eorumque deſcriptione Amſtelodami, 4, c. f. (*Inſcriptio vel titulus huius, libri tantum recuſus eſt.*)

HENR. IOH. NEPOMVC. CRANTZ. Diſſ. Ergo damnanda merito in officinis multa. Viennae.

Eiusd. Diſſ. Ergo diſpenſatoria corrigenda. ibid.

Eiusd. Diſſ. Ergo in pulmone praeuiae fiunt humorum ſecretiones. ibid.

Eiusd. Diſſ. Non ergo condenſatur in venis pulmonalibus ſanguis. ibid.

FRIEDR. LVDW. CHRISTIAN CROPP, *abgedrungene Vertheidigung gegen die von dem Herrn* D. THOM. GEORG. SUTER, *ſtreitig gemachte Urſache einer Halskrankheit. Hamburg*, 4.

IOSEPH. CSAPO. Diſſ. inaug. de febre hungarica Baſil. 4.

IOAN. ANDR. DEISCHII Diſſ. de vſu cultrorum atque vncinorum ſcindentium eximio in partu praeternaturali, nec verſione foetus, nec applicatione forcipis Anglicanae, vel LEVRETI, terminando ſectionis caeſareae, matre adhuc viuente inſtituendae ſecuritate atque vtilitate. Swobaci, 4.

GEORG. CHRISTOPH. DETHARDING, Diſſ. inaug. de inflammatione ſanguinea, cauſſa tympanitis. Reſp. *Petrus a Weſten.* Roſtoch, 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de humorum mutationibus ab animi adfectibus. Reſp. *Georg. Chriſtoph. Detharding.* (filius.) ibid. 4.

CAR. ADOLPH. DIETRICH, Diſſ. inaug. de morbis glandularum. Lipſ. 4.

FRANCISC. MICHAEL DISDIER, Theſ. anatom. chirurg. de fractura oſſium. Reſp. *Petr. Coſſon.* Pariſiis, 4.

IO. PET. EBERHARDS *Erſte Gründe der Naturlehre. Zweyte Auflage. Halle,* 8. c. f.

Disquiſitio de malignitate morborum a IOANNE PETRO EHLEN. Wirceburgi, 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de febribus, pars prior, idea febrium, vna cum ſubiunctis ex vniuerſa medicina corollariis. Reſp. M. *Adam Quirin. Hendinger.* ibid. 4.

BALTHASAR ERHARDS *öconomiſche Pflanzenhiſtorie, nebſt dem Kern der Landwirthſchaft, Garten und Arzneykunſt. 7ter Band. Ulm und Memmingen,* 8.

Eiusdem libri voluminis ſecundi altera editio, ibid. 8.

LVD. ESTEVE. Quaeſtiones chemico - medicae duodecim pro regia cathedra vacante defenſae. Monſpelii, 4.

Sulla inſenſitiuita ed irritabilita Halleriana Supplementi agli opuſcoli di vari Autori racolti da GIACINTO BARTOLOMEO FABBRI. Bologn. 4.

PHILIP. CONR. FABRICII enumeratio methodica plantarum horti medici Helmſtadienſis, ſubiuncta

iunɛta ſtirpium rariorum vel nondum ſatis extricatarum deſcriptione. Helmſt. 8.

Eiusd. Progr. quo ſyllogen obſeruationum anatomicarum ab anno 1754 ad annum 1759 in theatro academico Helmſtadienſi factarum. ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug de oleis deſtillatis aethereis. Reſp. *Frider. Wilhelm. Eiken.* ibid. 4.

IAMES FARMER, ſelect caſes in Surgery collected in S. Barthelemys Hoſpital. London, 4 mai.

IOAN. FRIDER. FASELIVS, Diſſ. de circulo WILLISII. Ien. 4.

Eiusd. Diſſ. de cacochymia purulenta. Reſp. *Io. Chriſtoph. Buch.* ibid 4.

An introduction to Phyſiology being a courſe of lectures upon the moſt important parts of animal oeconomy by MALCOLM FLEMING. London, 8 m.

Some Reaſons givin againſt an opinion, that a Perſon infected with the Small - pox may be cured by Antidote, without in curing the Diſtemper with an attempt to explain the manner of the propagation and eruption of the Small - pox from the practice of inoculation and why this Diſtemper, taken by common infection; in the natural way proves ſo much more fatal thon that which is given by inoculation; by THOM. FREWEN. ibid. 8.

PAVLLI FRISII diſſertationum variarum. Tomus Imus. Lucae, 4.

PEHR ADRIAN GADD, Underrättelſe i trä och ſkogs ſkölſom. Abo.

Inſtitutiones pathologiae medicinalis Auctore *H. D. Gaubio.* Lipſiae, 8.

IOH. CAR. GEHLER, Diſſ. de ſanguine in partu profluente. Reſp. *Chriſtian. Frider. Baumeiſter.* ibid. 4.

Nouvelle conſtruction de Cheminée, qui garantit du Feu et de la Fumée, à l'épreuve des Vents, du Soleil, de la Pluie et des autres cauſes qui

fumer les cheminées ordinaires: par M. GENNETE'. à Paris, 12 c. f.

CONR. GESNERI hiſtoriae plantarum faſciculus, quem ex bibliotheca D. CHRIST. IAC. TREW edidit et illuſtrauit CASIM. CHRISTOPHOR. SCHMIDEL. Norimberg. fol. c. tab. aen. viuo colore illum.

IOAN GESNER Diſſ. phytographia ſacra generalis. Tiguri, 4.

Reflexions phyſiques ſur le Chapitre huitieme du Livre des Proverbes, depuis le Verſet vingt-deux jusqu'au Verſet trente un, par M. GIRARDIN. à Beſançon, 12.

PHILIP. FRID. GMELIN, Diſſ. inaug. proponens rariorem vlceris inteſtinalis caſum et epicriſin cum ſimplici probata ſanandi methodo. Reſp. *Andr. Eppli.* Tubingae, 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de tincturis antimonii minus vſitatis, vtcunque ſaluberrimis. Reſp. *Ioan. Chriſtoph. Heller*, ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de febribus malignis. Reſp. *Ioan. Frid. Consbruch.* ibid. 4.

IOH. AVG. GROTIANS *ergötzende Sommerbeluſtigungen, welche der Sommergewächſe Anbau, richtige Benennungen, Nutzungen beſchreiben, mit einem nützlichen Garten-Calender. Leipzig,* 8.

IOH. AVG. GROSKOPFS *wohleingerichtetes Forſt-Jagd und Weidewerks-Lexicon. Langenſalza,* 8.

ANTONII DE HAEN, Pars quarta rationis medendi in noſocomio practico: quod in gratiam et emolumentum medicinae ſtudioſorum condidit MARIA THERESIA, Imperatr. Vindobonae, 8 mai.

Eiusd. libri partis primae altera editio. ibid. 8 mai.

Eiusd. Theſes pathologicae de haemorrhoidibus. ibid 8.

Refutation de l'Inoculation, ſervent de Reponſe à deux Pieces, qui ont paru cette année 1759. dont la premiere eſt une Diſſertation—par M.

DE

DE LA CONDAMINE, et la ſeconde, une lettre de M. TISSOT, par A. DE HAEN. à Vienne, 8 mai.

Diſputationes ad morborum hiſtoriam et curationem facientes. Quas collegit, edidit et recenſuit ALBERTVS HALLER. Tomus VII. Lauſannae, 4 mai. c. f.

Herrn ALBR. *von* HALLERS *Anfangsgründe der Phiſiologie des menſchlichen Körpers. Aus dem Lateiniſchen überſetzt von* IOH. SAMVEL HALLER. *Erſter Band. Die Faſer, die Gefäſſe, der Umlauf des Bluts, das Herz. Berlin,* 8, *m. K.*

Moyens de conſerver la Santé aux équipages des Vaiſſeaux: avec la maniére de purifier l'Air des ſalles des hoſpitaux et une courte Deſcription de l'Hopital de Saint Louis: par M. DU HAMEL DU MONCEAU. à Paris, 12 c. f.

IOH. ANDREAS HARNISCH *medieiniſch practiſche Unterſuchung der Frage: Was von den heut zu Tage Mode ſeyenden Waſſer trinken zu halten? nebſt einer Betrachtung über die Quellwaſſer zu Gera. Leipzig,* 8 c. f.

Abhandlung von der Verwandſchaft und Aehnlichkeit der electriſchen Kraft mit den erſchröcklichen Lufterſcheinungen entworfen von IOH. FRIEDR. HARTMANN. *Hannover,* 8, *m. K.*

PETR. IMMAN. HARTMANN, Diſſ. qua martis cum mercurio coniunctionem vſibus practicis commendat. Reſp. *Chriſtian. Eberh. Lot.* Halae, 4.

Eiusd. Diſſ. Aethiopis antimonialis et auripigmentalis conficiendi adhibendique rationes. Reſp. *Ioan. Andr. Gercken.* ibid. 4.

IOH. GEORG. HASENEST, *mediciniſcher Richter, 4ter Theil. Anſpach,* 4.

D. LAVRENT. HEISTERS *practiſches mediciniſches Handbuch, oder Unterricht für Gelehrte und Ungelehrte, wie man die innerlichen Krankheiten am beſten curiren ſoll. Neue verbeſſerte Auflage. Leipz.* 8.

HENCKELIUS in Mineralogia rediuiuus: *oder Henckeliſcher Unterricht von der Mineralogie - oder Wiſſenſchaft von Waſſern, Erdſäften, Salzen, Erden, Steinen und Erzten, nebſt Unterricht von der* Chymia metallurgica. *Zweyte vermehrte Auflage. Dreßden,* 8.

IOACH. FRIEDR. HENCKELS *Abhandlung vom Beinbrüchen und Verrenckungen. Berlin,* 8. *m. K.*

The Nature, Properties and Laws of motion of Fire, diſcovered and demonſtrated by obſeruations and experiments: by WILLIAM HILARY. London, 8.

Eiusd. Obſeruations on the Changes of the Air and the concomitant epidemical Diſeaſes in the Island of Barbados, to which is added a treatiſe on the gellow Fiver and ſuch diſeaſe as are indigenous in the torrid Zone. London, 8.

The vegetable Syſtem, or a Series of Experiments and Obſeruations tending to explain the internal Structure and the Life of Plants: by IOHN HILL. Lond. fol. mai. c. tab. aen. 21.

Eiusd. Exotic Botany illuſtrated in thirty-five figures of courious and elegant Plants: explaining the ſexual Syſtem. and tending to give ſome new Lights into the vegetable Phyloſophy. Lond. fol. regal.

Eiusd. A method of producing double Flowers from ſingle by a regular courſe of culture. Edit. IV. Lond. 8.

Eiusd. The Origin and Production of proliferous Flowers, with the Culture at large for raiſing double from ſingle, and proliferous from the double; illuſtrated with figures. Lond. 8 mai.

HIPPOCRATIS aphoriſmi, graece et latine; HIPPOCRATIS et CELSI locis parallelis illuſtrati, ſtudio et cura IANSSONII AB ALMELOVEEN, quibus acceſſit LVD. VERHOOFD index locupletiſſi-

pletiſſimus; loca parallela ex BOERHAAVII commentariis, notulas addidit, editionem curauit ANNA CAR. LORRY. Pariſiis, 12.

ANT. GYSBERTVS HODENPYL, Diſſ. inaug. de aphthis. Lugd. Bat. 4.

Medical Facts and Experiments by FRANCIS HOME. London, 8.

The Principles of Agriculture and Vegetation, by FRANCIS HOME. The ſecond Edition with Additions. London, 8.

ALBERT. CONR. HORN, Diſſ. inaug. de gonorrhea maligna. Halae, 4.

Mediciniſch und chymiſche Bemerkungen vom Spieſsglaſe durch Doctor HVXHAM; *aus dem Engliſchen überſetzt. Leipz. und Bayreuth,* 8.

DETLEU HEYKE *Or.* Om Berghus halningen i gemen. Stockholm.

PAVL. HENR. ISENBERN, Diſſ. inaug. de cholera. Lubecae, 4.

Memoire ſur la maniere la plus ſimple et la plus ſûre de rappeller les Noyés a la vie; qui a remporté le Prix des Arts au Jugement de l'Academie des Sciences, des Belles Lettres et des Arts de Beſançon: par M. ISNARD. à Paris, 8.

FR. CHR. IVNCKER. Diſſ. inaug. de acidis concentratis et dulcificatis, ſpeciatim de vegetabili fumante et dulcificato. Reſp. *Frid. Gottlieb Schiffel.* Halae, 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de rheumatiſmis artuum. Reſp. *Ioan. Henr. Gottlieb Georgi.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. ſiſtens monita circa curationem vlcerum rebellium. Reſp. *Ioan. Henr. Ehrenfr. Thamm.* ibid. 4.

BERN. DE IUSSIEU, Quaeſt. med. an conſpirantibus medicis et magiſtratibus ſanitas publica conſeruari et morbi praecaueri poſſint? Reſp. *Achill. Guillielm. Lebegue de Presle.* Pariſiis, 4.

IOH. HEINR. GOTTLOB VON IVSTI *Fortgeſezte Bemühungen zum Vortheile der Naturkunde und des geſellſchaftlichen Lebens der Menſchen. 1ſtes und 2tes Stück. Berlin und Stettin*, 8. *m. K.*

CAR. FRIED. KALTSCHMIED, Diſſ. inaug. de vomicis. Reſp. *Car. Godofr. Gerber.* Ien. 4.

Eiusd. Progr. de inteſtino in hernia incarcerata a chirurgo incaute laeſo. ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de morbis perioſtei. Reſp. *Io. Chriſtoph. Buch.* ibid. 4.

IO. KESSELMEYER, Diſſ. de quorundam vegetabilium principio nutriente. Argent. 4.

IOAN. KIES. Diſſ. de cometis et arcenda exinde electricitate ad explicandum ſyſtema mundanum a nonnullis aduocata. Reſp. *Theoph. Frider. Roesler.* Tubingae, 4.

IAC. THEOD. KLEINII ſtemmata auium quadraginta tabulis aeneis illuſtrata: accedunt nomenclatores auium latino-polonus et polono latinus. *Geſchlechtstafeln der Vögel, mit vierzig Kupfern erläutert.* Lipſiae, 4 mai.

COSM. DAMIAN KLOSNER, Diſſ. inaug. de calculo in genere. Reſp. *Nic. Maxim. Sterr.* Ingolſtadii, 4.

IOAN. HIERON. KNIPHOF, Diſſ. inaug. de pediculis inguinalibus, inſectis et vermibus homini moleſtis. Reſp, *C. W. E. Reichard.* Erford. 4. c. tab. aen. 3.

VALENTIN KRAEVTERMANNS *curieuſer und vernünftiger Haus-Land-Reichen und Armen-Arzt. Leipzig*, 8.

P. KRETSCHMERS *Unterricht wie der Ackerbau wieder zu erhöhen und herzuſtellen ſey, ducrh Verſuche erwieſen. Berlin*, 8.

D. SAMVELS KRETSCHMARS, *mediciniſche Anordnung, wegen der ietzt an vielen Orten graſſirenrenden Fleck-Fieber, wie ſie ſich beſonders die Leute*

auf

auf dem Lande dabey zu verhalten haben, die entweder keinen Medicum haben oder nicht bezahlen können. *Dreſden*, 8.

Die erſten Gründe der Naturlehre auf eine leichte und angenehme Art zum Gebrauch der Jugend und Anfänger entworfen von IOH. GOTTL. KRÜGER, *Halle und Helmſtädt*, 8.

IOH. ADAM KVLMVS *Anatomiſche Tabellen, nebſt dazu gehörigen Anmerkungen und Kupfern. Neue vermehrte und verbeſſerte Auflage. Leipzig*, 8 m. c. f.

Dictionnaire portatif de Santé etc. par M. L*** et M. de B*** à Paris, 8. Voll. 2.

Gedanken von Pfuſchercuren und einigen Mißbräuchen bey Krankheiten entworfen von D. F. L. Liegnitz, 8.

BAPTIST LABATS *Reiſen nach Spanien und Welſchland; aus dem Franzöſiſchen überſetzt und herausgegeben von* CARL FRIEDR. TROELTSCH, *2ter, 3ter und vierter Theil. Nürnberg*, 8.

G. A. LANGGVTH, Diſſ. inaug. de medico Platonico. Reſp. *I. C. A. Neefe.* Wittebergae, 4.

Eiusd. Progr. optanda mors eſt, ſine metu mortis mori. ibid. 4.

STEPH. PETR. LE LAVMIER, Theſ. anatom. chirurg. de methodis amputandi brachium in articulo. Reſp. *Franc. Poyet.* Paris, 4.

Hydrops. Diſſertatio medica. Auctore THOM. LAWRENCE. Londini, 8.

Kurzer Entwurf einer Mineralogie zum Dienſt der Studierenden verfaſſet von IOH. GOTTL. LEHMANN. *Berlin*, 8.

Traité de Phyſique, d'Hiſtoire Naturelle, de Mineralogie et de Metallurgie par M. JEAN GOTTLOB LEHMANN. Tome I: L'Art de Mines ou Introduction aux connoiſſances néceſſaires pour l'exploitation des Mines metalliques; avec un Traite des exhalaiſons minerales ou moufettes et pluſieurs memoires ſur différens Sujets d'Hiſtoi-

d'Hiſtoire Naturelle. Tome II. Traité de la Formation des Metaux et des leurs matrices ou minieres, Ouvrage fondé ſur les Principes de la Phyſique et de la Mineralogie et confirmé par des Experiences chymiques. Tome III. Eſſai d'une Hiſtoire Naturelle de Couches de la terre, dans le quel on traite de leur Formation, de leur Situation, des Mineraux, des Metaux et des Foſſils; avec des conſiderations phyſiques ſur les cauſes de Tremblemens de terre et de leur propagation: Ouvrages traduits, de l'Allemand, augmentés de Notes du Traducteur et ornés de figures. à Paris 12. Voll. 3.

Dictionnaire univerſel des Drogues ſimples; par feu M. LEMERY. Nouvelle edition. à Paris, 4. c. f.

M. ZENOB. LERICHE, Diſſ. ſiſtens probatiſſimam calculum veſicae extrahendi methodum, peculiari obſeruatione calculi, totam veſicae capacitatem occupantis, feliciterque extracti confirmatam. Argent. 4.

CAR. FRIDER. LESCHEN, Diſſ. inaug. de valetudinariis bellicis bene conſtituendis. Götting, 4.

FRIEDR. CHRISTIAN LESSERS Teſtaceo-Theologia *oder gründlicher Beweiß des Daſeyns eines göttlichen Weſens aus natürlicher und geiſtlicher Betrachtung der Schnecken und Muſcheln. Leipzig*, 8 *m. K.*

CARL LUDWIG LESTOQ'S *mediciniſche Abhandlungen. Halle*, 8.

IOAN. NATH. LIEBERKÜHN, Diſſ. anatom. phyſiol. de fabrica et actione villorum inteſtinorum tenuium hominis, iconibus aere inciſis illuſtrata. Amſtelod. 4. (*Non noua editio, ſed index ſiue titulus modo recuſus*).

IOAN. GEORG. LIEBKNECHT, Haſſiae ſubterraneae ſpecimen clariſſima teſtimonia diluuii vniuerſalis huc et in locis vicinioribus occurrentia ex triplici regno animali, vegetabili et minerali petita, figu-

figuriſque aeneis expoſita imo omnis antiquitatis exempla certiſſima exhibens. Francof. ad Moen. 4.

Précis de la Medecine pratique contenant l'hiſtoire des Maladies dans un Ordre tiré de leur Siége; avec des Obſérvations et des Remarques critiques ſur les point les plus intereſſans par M. LIEUTAUD. à Paris, 8 mai.

Diſſertation ſur les Bains d'eau ſimple tant par immerſion, qu'en douches et en vapeurs par JEAN PHIL. LIMBOURG. Nouvelle Edition. à Liege, 8.

CAROLI LINNAEI Syſtema Naturae, per regna tria naturae ſecundum claſſes, ordines, genera, ſpecies, cum characteribus, differentiis, ſynonymis, locis. Tomus II. Editio decima reformata. Holmiae, 8.

Eiusd. animalium ſpecierum in claſſes, ordines, genera, ſpecies, methodica diſpoſitio, additis characteribus, differentiis atque ſynonymis, accommodata ad ſyſtema naturae et in formam enchyridii redacta, ſecundum decimam Holmenſem editionem. Lugd. Bat. 8 mai.

Eiusd. Diſſ. Senium Salomoneum. Reſp. *Ioan. Pilgren.* Vpſaliae, 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. Auctores botanici. Reſp. *Auguſtin. Loo.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. Inſtructio peregrinatoris. Reſp. *Ericus And. Nordbladt.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. Plantae tinctoriae. Reſp. *Engelb. Ioerlin.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. Animalia compoſita. Reſp. *Albert. Bäck.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. Flora Capenſis. Reſp. *Car. Henr. Wünnmann.* ibid. 4

Eiusd. Diſſ. inaug. Pugillus Iamaicenſium plantarum. Reſp. *Gabr. Elmgren.* ibid. 4.

Eiusd.

CAR. LINNAEI Diſſ. inaug. Flora Iamaicenſis. Reſp. *Car. Guſt. Sandmark.* Vpſaliae, 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. Aer habitabilis. Reſp. *Ioan. Vict. Siefuert.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. Nomenclatura plantarum. Reſp. *Benedict. Berzelius.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. Sus Scrofa. Reſp. *Iac. Lindh.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. Ambroſiaca. Reſp. *Iac. Hedmann.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. Arboretum Suecicum. Reſp. *Dauid. Pontin.* ibid. 4.

IOAN. LONGFIELD, Diſſ. de febre hectica. Edinburgi, 8.

CHRISTIAN. EBERH. LOT, Diſſ. inaug. de arthritide, incongrui mercurialium vſus effectu. Halae, 4.

Lettres ſur la Maladie de la Goutte. Nouvelle Edition par M. LOUBET. à Paris, 12.

Eloges de Meſſieurs BASSUEL, MALAVAL et VERDIER. prononcés aux Ecoles de Chirurgie par. M. LOUIS. à Paris, 8.

Di TITO LUCREZIO CARO della Natura delle Coſe Libri ſei, Tradotti da ALESSANDRO MARCHETTI. Vltima Edizione. in Lauſanna, 8.

CHRIST. GOTTL. LVDWIG, Diſſ. inaug. de laeſa oſſium nutritione. Reſp. *Car. Ern. Oſchatz.* Lipſiae, 4.

Eiusd. Progr. de ſanitate ſenili. ibid. 4.

Eiusd. Progr. ſiſtens monita ſemiotica in diiudicandis infimi ventris doloribus. ibid. 4.

Eiusd. Progr. de fallici iudicio vulgi ſuper vi imaginationis maternae in foetum obſeruata quaedam proponit. ibid. 4. c. f.

Eiusd. Progr. de cauſis praeternaturalis viſcerum abdominalium ſitus. ibid. 4.

Eiusd. Progr. proponens obſeruationes de ſitu praeternaturali viſcerum infimi ventris. ibid. 4.

Eiusd.

Eiusd. Prog. de colore plantarum ſpecies diſtinguente. ibid. 4.

Kurzgefaſte Phyſiologie aus denen beſten Schriften der Aerzte zuſammengetragen von I. C. M. *Erſtes Stück. Frankfurt und Leipzig*, 8.

Hiſtoire de la Santé et de l'art de la conſeruer. ou Expoſition fidele de tout ce que les Médecins et les Philoſophes tant anciens que modernes ont preſcit de plus intereſſant pour la conſeruation de la Santé; avec un Choix des meilleurs regles à obſerver dans cette vue, et une idée des principes, qui leur ſervent de fondement; par M. JAQUES MACKENZIE. Traduit de l'Anglois ſur la ſeconde edition. à la Haye, 8 mai.

PAUL IAC. MALOUIN, Quaeſt. med. an ad ſanitatem muſice. Reſp. *Ceſar Coſte*. Par. 4.

Lettera del Sign. Dottore SAVERIO MANETTI ab Sign. D. GIO LORENZO GUARNIERI ſopra la malattia, morte, e diſſezione anatomica del Cadauere di ANTONIO COCCHI, Prof. di Medicina in Firenze con diuerſe Annotazioni, riſguardandi gli ſtudi, perizia medica, e opere del medeſimo. Romae, 4.

(Eiusd. *epiſtolae altera editio, ab ipſo Auctore reuiſa et correcta prodiit eodem anno Florentiae*, 4.)

Diſſertation ſur les Vapeurs, pertes de Sang, pertes blanches, Groſſeſſes et Couches, depôt de Lait et autres maladies particulieres du Sexe par M. JEAN MARTA. à Lyon, 12.

ROLAND MARTIN. Om atſkillige ſätt at läſa och upodla Anatomien, i äldre och yngare tider. Stockholm.

Reflexions critiques ſur le Syſtême de l'Attraction, avec une nouvelle Idée ſur la Préceſſion des Equinoces, ſur le Temps et ſur la Peſanteur par M. MASSIERE. à Nice.

Monita

Monita et praecepta medica Auctore RICHARDO MEAD. Edit. 2da. Lipſ. 8.

RICHARDI MEADS *mediciniſche Erinnerungen und Lehren, überſetzt und mit Anmerkungen vermehret von* G. A. MÜLLER. *Frfr. am Mayn,* 8.

FRID. WILH. MEYER, Diſſ. inaug. de abſceſſu ad coxam in febribus in lentam degenerantibus. Götting, 4.

The Gardeners Dictionary: containing the beſt and neweſt methods of cultivating and improving the Kitchen, Fruit, Flower Garden and Nurſery; as alſo for performing the practical Parts of Agriculture including the management of Vineyards, with the methods of making and preſerving the Wine, ſeveral wine Countries in Europa, together with directions for Propagationg and Improving from real Practice and Experience all ſorts of Timber Trées. The ſeventh Edition, reviſed and attered according to the lateſt Syſtem of Botany; and embellished with ſeveral Copper-Plates, wich were not in the former Editions. By PHILIP MILLER. London, fol. mai. c. f.

Beſchreibung der beſten Arten vom Kern-Obſt, nach dem Nahmen, Beſchaffenheit und Eigenſchaften, auch wie beſonders mit dem Winter-Obſte umzugehen: Aus dem Berichten der Franzöſiſchen Gärtner, nebſt einer Nachweiſung, wovon einigen ſolcher Arten junger Bäume zu bekommen, von GEORGE FRIEDR. MÖLLER. *Berlin,* 8.

Traité d'Oſteologie traduit de l'Anglois de M. MONRO, ou l'on à ajouté des planches en taille-douce, qui repréſentent en naturel tous les Os de l'Adulte et du Foetus, avec leurs explications, par M. SUE. à Paris, (*ſ. a.*) fol. imperial.

Diſcorſo

Diſcorſo ſopra all Inneſto del Vaiolo. letto nel riaprimento dell' Accademie Fiſiocritica in Siena, il di 21 Luglio 1759 dal Dottore OCTAVIO NERRUCI. in Firenze, 4.

Traité des Eaux Minerales de la Ville de Rouen, ou l'on etablit la Nature et les Principes de ces Eaux, leurs Vertus et leur Uſage pour la gueriſon des Maladies ſimples ou compliquées, aux quelles elles conviennent; avec un régime et des précautions relatives à la boiſſon, de toutes les Eaux ferrugineuſes en general, par M. DE NIHEL. à Paris, 12.

FRANÇISC. IOSEPH. OBERKAMP, Diſſ. inaug. ſiſtens idiopathiam vomicae pulmonis lapſum excipientis per ſingularem obſeruationem demonſtratam cum annexis aliis ſelectioribus anatomicis. Reſp. *Ioſeph. Ant. Obermayer.* Heidelbergae, 4. c. f.

FRANCISC. LUD. THOM. D'ONGLEE, Quaeſt. med. an ex corporis oeconomia neceſſario ſequatur mors naturalis. Reſp. *Ioan. Armand Rouſſin de Montabourg.* Pariſ. 4.

PEHR OSBECK Dagbock over en Oſtindisk Reſa. Stockholm, 8, c. 9, tab. aen.

WILLHELM RUTTY *und* IACOB PARSONS *Abhandlungen derer Theile, wodurch der Harn gehet, nebſt Beſchreibung wie ſolche vorfallende Krankheiten zu curiren. Nürnberg,* 8 *m. K.*

Obſeruations medicinales, contenant un Traité abrégé de la Saignée, de ſes accidens, les moyens d'y remédier; avec une formule de remedes les plus uſites, le Rheumatisme, la Superpurgation, la Pleureſie, la Maladie de Siam, l'Esquinancie, inflammation de la Luette et des Amigdales, Morſures de Viperes, Fievre quatre et autres intermittentes, pertes de Sang, chaude piſſes, Pourreaux vénériens, la Tranſurie, la

Diſurie et l'Iſurie; le tout par des remédes éprouvés. Avec pluſieurs obſervations tres - utiles et tres - intereſſantes. par M. CHARLES PEYROUX. Premiere Partie. à Paris, 12.

Orazione eccitatoria all introduzione. dell' Inneſto del Vajolo del Sig. Dottore PIETRO FRANCESCO PIZZORNO; con l'aggiunta de' motivi che devono obbligare le Medici ad abbraciare la pratica di eſſo del Dottore CARLO GANDINI. in Lucca, 8.

Diſſertationes habitas in Academia conieċturantium, quae Mutinae eſt, edidit IANUS PLANCUS. Venetiis, 12.

ANTON. GVIL. PLAZ, Diſſ. inaug. de illuſtrium obleċtamentis noxiis. Reſp. *Traugott Theod. Iaeckel.* Lipſ. 4.

Plantarum Americanarum faſciculus nonus, continens plantas, quas olim CAROL. PLVMIERIVS detexit eruitque atque in inſulis Antillis ipſe depinxit; has primum in lucem edidit, concinnis deſcriptionibus et obſeruationibus aeneisque tabulis illuſtrauit IOAN. BVRMANNVS. Amſtelod. et Lugd. Bat fol.

Di tre Specie di Affezione iſterica ed ipocondriaca, Trattato theorico - prattico; e Conſulti del Sign. Conte D. SILVESTRO-ANTONIO PONTICELLI de Garfagnana. In Lucca, 8.

A Treatiſe on the Eye, the Manner and Phaenomena of Viſion in two Volumes by WILLIAM PORTERFIELD. Vol. I. II. Edimburgh, 8 mai. c. f. Voll. 2.

Diſſertations Chymiques de M. POTT. à Paris, 12. Voll. 4. (*Has gallice reddidit et notulas addidit* Cl. DE MACHY.)

AVG. DITRIC. PRANGE, Diſſ. inaug. de camphorae virtute anthelmintica. Götting. 4.

IOAN.

IOAN. FRANC. IGNAT. PROBST, Diſſ. inaug. de ſale volatili cantharidum. Argentor, 4.

Traité des Accouchemens contenant des Obſeruations importantes ſur la Pratique de cet Art; deux petits Traites l'un ſur quelques maladies de Matrice et l'autre ſur les Maladies des Enfans du premier âge. Quatre mémoires, dont le premier à pour objet les pertes de ſang dans les femmes groſſes, et les trois autres ſur le depôts laiteux par M. PUZOS. Reviſée et corrigée par M. MORISOT DESLANDES. Précede d'une Diſſertation de l'Editeur, ſur un point intereſſant, relatif aux Accouchemens et ſuivi de la traduction d'une Diſſertation latine de M. CRANZ, ſur la rupture de matrice. à Paris, 4.

Phyſicaliſch-oekonomiſche Geſchichte der Bienen, worinnen von derſelben Erzeugung, Vermehrung, rechten Wartung und Pflege, Zucht und daher entſtehenden vortreflichen Nutzen in der Haushaltung deutlich und vollſtändig gehandelt wird: aus der neueſten Franzöſiſchen Ausgabe des Herrn REAUMUR *überſetzt und mit einigen Anmerkungen vermehret, nebſt dazu gehörigen Kupfern, herausgegeben von* E. E. O. *von* S. *Frankf. und Leipzig*, 4.

IAC. FRIDER. REGIVS, Diſſ. inaug. de podagra. Regiomonti, 4.

CHRISTIAN REICHARDTS *Einleitung in den Garten und Ackerbau, worinn zum Feldbau, und der Erbauung der Korn - Hülſen - und Specerey-Früchte, wie auch der Kleegewächſe, Wieſenwachſe und Weinberge, die Anweiſung gegeben wird. Der 2te Band. Erfurth*, 8.

Umſtändliche Nachricht einer merkwürdigen Vorfallenheit von einem übelformirten Kindeskopfe, an welchem die Hauptbeine übereinander geſchoben waren von REICHARD. *Berlin und Leipzig*, 8.

GEORG. CHRISTIAN. REICHEL, Diſſ. inaug. de epiphyſium ab oſſium diaphyſi diductione. Lipſiae, 4, c. tab. aen.

GASPARD. IOAN. RENE, Quaeſtiones chemicae duodecim pro regia cathedra vacante defenſae. Monſpelii, 4.

GEORG. GOTTLOB RICHTER, Progr. de medico morientis adſpectum magis, quam mortui fugiente. Götting. 4.

Eiusd. Progr. de paralyſi alio ſenſu priſcis alio recentioribus ſumta et ad paralyticos N. T. accommodata. ibid. 4.

Eiusd. Progr. quo contra mendaciorum immunitatem, a PLATONE medicis conceſſam diſſerit. ibid. 4.

MARIN. JAC. CLAR. ROBERT, Quaeſt. med. an bilis ſapo acido alcalinus? Reſp. *Joſeph. Duſſans.* Pariſiis, 4.

IOAN. GEORG. ROEDERER Icones vteri humani obſeruationibus illuſtratae. Götting. fol. c f.

Eiusd. Elementa artis obſtetriciae in vſum praelectionum academicarum aucta et emendata. ib. 8.

Eiusd. Diſſ. inaug. de pathologia phyſiologiam informante, ſiue de morboſa hominis natura. Reſp. *Gabr. Wilh Witte.* ibid. 4.

Eiusd. Obſeruationes de cerebro. ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de raucitate. Reſp. *Iac. Samuel.* ibid. 4.

In variolarum inoculationem, Diſſertatio epiſtolaris, Auctore FRANCISC. Com. RONCALLI PAROLINO. Brixiae, 4.

CHRISTOPH. EHRENREICH ROSENOW, *Verſuch einer Abhandlung vom Ackerbau und Koppelwirthſchaft. Leipzig,* 8.

FRANCISC. THEOPH. ROTH, Diſſ. inaug. ſiſtens examen cauſarum propter quas valetudinarius in laeſione

laeſione internarum partium corporis ſui vitam conſeruari poſſit. Regiomonti, 4.

CAROL. LE ROY, Quaeſtiones chemicae duodecim pro regia cathedra vacante defenſae. Monſpelii, 4.

BALFOUR RUSSEL, Diſſ. de cupro. Edinburghi, 8.

I. E. v. S. *Oeconomiſche Bedenken über allerhand in die Hauswirthſchaft einſchlagende Sachen.* 4 *und 5tes Stück. Chemnitz*, 4.

Pathologia methodica vel de cognoſcendis morbis Auctore FR. BOISSIER DE SAUVAGES. Editio III ab ipſo Auctore aucta et emendata. Lugduni. (*Monſpelii*), 8.

Eiusd. Diſſ. theoria conuulſionis. Reſp. *Petr. des Michels de Champorcin.* Monſpel. 4.

Eiusd. Diſſ. Medicinae Sinenſis conſpectus. Reſp. *Aimé Felix Bridault.* ibid. 4.

S. SCHAARSCHMIDTS *Abhandlung von Feldkrankheiten*, 2 *Theile*, *darin von denen im Felde am gewöhnlichſten und öfterſten vorkommenden innerlichen Krankheiten gehandelt wird. Berlin*, 8.

Eiusd. *Theoretiſche und practiſche Abhandlung von veneriſchen Krankheiten.* ibid. 8.

Eiusd. *Sämmtliche anatomiſche Tabellen*, 1) *Oſteologiſche*, 2) *Myologiſche*, 3) *Splanchnologiſche*, 4) *Angiologiſche*, 5) *Nevrologiſche*, 6) *Adenologiſche und* 7) *Syndeſmologiſche. Neue Auflage. Berlin*, 8.

Vorläuffige Beobachtungen der Schwämme um Regensburg angeſtellet und mit 4 *Kupfertafeln ausgemahlter Abbildungen erläutert von* IAC. CHRISTIAN. SCHAEFFER. *Regensb.* 4.

Eiusd. Iſagoge in botanicam expeditiorem iconibus aeri inciſis et pictis illuſtrata. Ratisbon, 8.

NICOL. SCHEEL, Diſſ. inaug. de hepate et bilis ſecretione. Gött. 4.

CASIM. CHRISTOPHOR. SCHMIDEL, Diſſ. inaug. de Blaſia. Reſp. *Ioan. Chriſtophor. Zimmermann.* Erlangae, 4. c. f.

FRIDER. LVDOV. CAR. SCHMIDT, Diſſ. inaug. de morbis exſpectationem in medendo deſiderantibus. Götting. 4.

PAVL. ADOLPH. SCHMIDT, Diſſ. inaug. de febrium mali moris continuarum et intermittentium circa autumnum anno 1757 epidemice ſaeuientium origine, indole, cauſis, praeſeruatione ac curatione. Ienae, 4.

DAN. GOTTFR. SCHREBERS *neue Entdeckungen an Pferden zum Behuf der armen Landwirthe und Curſchmieden. Halle*, 8.

Eiusd. *Sammlung verſchiedener Schriften, welche in der oekonomiſchen Policey - und Cameral, auch andern verwandten Wiſſenſchaften einſchlagen. Vierter Theil. Halle*, 8 *m. K.*

IOAN. CHRISTIAN. SCHREBERI Lithographia Halenſis exhibens lapides circa Halam Saxonum reperiundos ſyſtematice digeſtos ſecundum claſſes et ordines genera et ſpecies cum ſynonymis ſelectis et deſcriptionibus ſpecierum. Praefatus eſt IOAN. IOACH. LANGIVS. Halae, 8 mai. c. f.

CHR. FR. SCHVLZENS *zufällige Gedanken über den Urſprung und die Nutzung der bey Dresden befindlichen Steinkohlen. Dreſsden*, 4.

IOAN. SAM. IAC. SCHVLZE, Diſſ. de morbis infantum ex matrum indulgentia. Götting. 4.

De corporibus marinis lapideſcentibus, quae defoſſa reperiuntur Auctore AVGVSTINO SCILLA; addita diſſertatione FABII COLVMNAE de gloſſopetris. Editio altera emendatior. Romae, 4, c. f. aen.

Sammlung verſchiedener ausländiſcher und ſeltener Vögel, worinnen ein jeder derſelben nicht nur auf das genaueſte

genaueſte beſchrieben, ſondern auch in einer richtigen und ſauber illuminirten Abbildung vorgeſtellet wird. Fünfter Theil ausgefertiget und herausgegeben von IOH. MICH. SEELIGMANN. *Nürnberg,* fol. (Huius voluminis 12 tantummodo tabulae aeneae vna cum deſcriptione earundem hoc anno prodierunt.)

Leçons de Chymie, propres à perfectionner la Phyſique, le Commerce et les Arts. par M. PIERRE SHAW, traduits de l'Anglois. à Paris, 4.

IOAN. THOM. SIEGERT, Theſes inaug. de cauſis procatarcticis. Altorf, 4.

GEORG. FRID. SIGWART, Diſſ. inaug. ſiſtens conſpectum pathologiae pſychologicae anthropologicae. Reſp. *Gottlieb Frid. Engel.* Tubingae, 4.

Eiusd. ſpecim. inaug. ſialologiae phyſico-medicae nouis experimentis chymicis ſuperſtructae. Reſp. *Ioan. Franc. Textor.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. Medicina Dynamica, ſummatim praefinita. Reſp. *Ioh. Dav. Dörner.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. ſiſtens fragmenta Dynamices Hippocratico-Galenicae, ſparſis monumentis memoriae prodita. Reſp. *Wilh. Frid. Jäger.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de febre tertiana intermittente ſoporoſa, vt plurimum funeſta, feliciter tamen curanda. Reſp. *Ioh. Gottl. Möricke.* ibid. 4.

Quaeſtiones medicae Pariſinae ex bibliotheca GEORG. FRID. SIGWART. ibid. 4 mai. c. tab. aenea. (*Continet volumen hoc cunctas, anno huius ſeculi quadrageſimo ſecundo Pariſiis ventilatas quaeſtiones.*)

FRANCISC. SKELTON, Diſſ. de ophthalmia. Edinburg, 8.

10. PETR. SPRING, Diſſ. inaug. de phoſphoro Anglicano chymice ac medice conſiderato, in qua tuta ac mire efficax eiusdem in corpus humanum aſſumti virtus medica adſtruitur. Reſp. *Franc. Ioſeph. Kikinger.* Ingolſtadii, 4.

IO. PETR. SPRING, Diſſ. inaug. ſiſtens morborum plurimorum analogiam ac differentiam vna cum therapia horum generali. Reſp. *Car. Franc. Goller.* Ingolſt. 4.

ANTON STOERCK annus medicus quo ſiſtuntur obſeruationes circa morbos acutos et chronicos, adiiciunturque eorum curationes et quaedam anatomicae cadauerum ſectiones. Vindobonae, 8 mai.

Traité d'Oſteologie, traduit de l'Anglois de M. MONRO, ou l'on a ajouté des planches en taille-douce, qui repréſentent en naturel tous les Os de l'adulte et du foetus, avec leurs explications par M. SVE. Premiere et ſeconde Partie. à Paris (ſ. a.) fol. imperial et tab. aen.

IOH. EHRENF. THEBESII *Hebammenkunſt. Zweyte Auflage. Liegnitz,* 8 *m. K.*

An Eſſay on bilious Fevers by S. A. D. TISSOT. London, 8.

Raggionamenti del Dottor GIOVANNI TARGIONI TOZZETTI ſull' Agricoltura Toſcana. in Lucca, 8.

Vſus opii ſalubris et noxius in morborum medela, ſolidis et certis principiis ſuperſtructus a D. BALTH. LUD. TRALLES. Sectio II. Vratislauiae, 4.

M. B. VALENTINI *neu eingerichtetes und vollſtändiges Kräuterbuch mit ſehr vielen und ſaubern Kupfern.* 2 *Theile. Frankfurt* fol. mai.

Journal de Médécine, Chirurgie, Pharmacie etc. par M. VANDERMONDE. Année 1759. Janvier—Juin. Tome X. Juillet—December. Tome XI. à Paris, 8. Voll. 2.

A Natural and Civil Hiſtory of California, containing an accurate deſcription of the Country. Translated from the Original Spanish of MIGUEL VENEGAS publiſh at Madrit 1758. London, 8. Voll. 2.

GABR.

GABR. FRANC. VENEL, Quaeſtiones chemicae duodecim pro regia cathedra vacante defenſae. Monſpelii, 4.

Abregé de l'Anatomie du Corps humain, ou l'on donne une Deſcription courte et exacte des Parties qui le compoſent, avec leurs uſages par M. VERDIER. Nouvelle Edition revue et augmentée. Tom. I. II. à Bruxelles, 12.

P. VIRGILII MARONIS Georgicorum libri IV, *mit kritiſchen und oekonomiſchen Erklärungen Herrn* D. IOHANN MARTINS, *Lehrers der Botanik zu Cambridge und anderer der berühmteſten Ausleger nebſt einer Deutſchen Ueberſetzung und Anmerkungen, zum Gebrauch der Schulen, um die Jugend zu einer frühen Erlernung der Haußhaltungskunſt zu ermuntern. Hamburg und Leipzig*, 8 mai. *m. K.*

RVD. AVGVSTIN. VOGEL, Progr. de ſtatu plantarum, quo noctu dormire dicuntur. Götting. 4.

ZACHARIAS VOGEL, *Anatomiſche, chirurgiſche und mediciniſche Beobachtungen und Unterſuchungen. Roſtock*, 8 mai. *m. K.*

I. WAFERS *merkwürdige Reiſen nach der Erd-Enge Darien, auch durch die Süd-See und das mittägige Antlantiſche Meer nebſt einer Reiſe Davids nach den Spaniſchen Goldminen, und Anhange der nützlichſten und ſonderbarſten Naturgaben in den Gegenden von Darien. Halle*, 8. *m. K.*

IOAN. GOTTSCHALK WALLERIVS, Diſſ. calor a ſole. Reſp. *Magn. Omeberg.* Vpſal. 4.

Eiusd. Diſſ. om malmförande bergs Egenskaper. Reſp. *Nic. Frid. Schäfer.* ibid. 4.

LVD. IOAN. TOB. WASSER, Diſſ. inaug. de ſale ſedatiuo HOMBERGII. Götting. 4.

I. CONR. WEGELIN, Diſſ. inaug. de metaſtaſi. Argentor, 4.

IOAN. NIC. WEISII tetras diſſertationum medicarum, quibus theorema medicum: alia ſenſatio,

alii motus, adſtruitur, applicatur, limitatur cum praefamine de variante partium irritabilitate. Altorf, 4.

IOAN. GUIL. WERNER, Diſſ. ſiſtens obſeruationes circa nonnulla remedia antepileptica vſitatiora. Reſp. *Andr. Ioan. Orlouius.* Regiomonti, 4.

Eiusd. Diſſ. Vbi manet vrina fetus. Reſp. *Godofr. Ephr. Brück.* ibid. 4.

DAN. HENR. A WESTEN, Diſſ. epiſt. de febrium ortu non e putredine, ſed ex humorum vel nimia tenuitate vel ſpiſſitudine immodica deducendo. Roſtochii, 4.

Eſſays Phyſiologiques, contenant 1. des recherches ſur les cauſes du mouvement des fluides dans les tres - petits vaiſſeaux des Animaux; 2. des obſeruations ſur la ſenſibilité et ſur l'irritabilité des parties du corps animal, à l'occaſion du Mémoire de M. HALLER ſur ce ſuiet; par M. ROBERT WHYTT. Traduits de l'Anglois par M. THEBAULT. à Paris, 12.

IOAN. HENR. WINKLER, Progr. in quo de ratione audiendi per dentes differit. Lipſiae, 4.

Eiusd. Progr. de cauſſa frigoris terreſtris in coelo frigido quaerenda. ibid. 4.

CAR. FRID. WOLF, Diſſ. inaug. Theoria generationis. Halae, 4, c. 2 tab. aen.

Pharmacopoea militaris: *Nach denen Grundlehren wohleingerichtete Apotheke zum nützlichen Gebrauch für die Soldatenhoſpitäler* etc. *herausgegeben durch* I. A. VON WOLTER. *Aus dem Lateiniſchen überſetzt von* FRANZ IOSEPH SCHAVR. *Frankf. und Leipzig.*

Con-

Contenta in hac Parte.

1. Verhandelingen uitgegeeven door de Hollandſe Maatſchappy der Weetenſchappen te Harlem. Pars IV - - - p. 571

2. BASTERI Opuſcula ſubſeciua, Liber II p. 587

3. HVBER, Pr. ſiſtens obſeruationes anatomicas p. 593

4. LINNAEI Syſtema naturae Editio X. Tom. II - - - - p. 598

5. GESNERI, Hiſtoriae plantarum faſciculus p. 606

6. FOUGEROUX, Memoires ſur les os p. 610

7. GERHARD, Diſſ. ſiſtens disquiſitionem medico-chemicam granatorum Sileſiae atque Bohemiae - - - - p. 629

8. LOBSTEIN, Diſſ. de neruo ſpinali ad par vagum acceſſorio - - p. 634

9. LEHMANN, Cadmiologia *oder Geſchichte des Farben-Kobolds* - - p. 639

10. DE HAEN, Ratio medendi Pars III et IV p. 652

11. MARATTI Deſcriptio de vera florum exiſtentia, vegetatione et forma in plantis dorſiferis p. 666

12. Philoſophical Transactions Vol. L. Pars I p. 667

13. Noua phyſico-medica - - p. 697

14. Continuatio indicis ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1759 prodierunt p. 712

IN-

INDEX.

A.

Abdominis moles inſignis 531 ſeq.
Aceris ſaccharum 524 ſeq. ſpecies 608
Acori veri radicis vſus 455
Adolph, Io. Traugott in acad. Helmſtad. anat. et chirurg. Prof. 173
Aepinus, Franc. Vlric. Theod. Imperatr. Ruſſ. collegiorum conſiliarius 543
Aeris vis in corpora animalia 5 ſeqq. humidi damna 9
Agarici fungorum generis deſcriptio 133 ſeq. querni vſus 309 ſeq.
Alabaſtri diſtinctio 379. 385. ortus 317 ſeq.
Alcalium fixorum volatilitas 47. volatilium differentia et virtus 41 ſeq.
Alimentorum pars nutriens 39. virtus medica 45
Allione, Carol. Auguſtae Taurinor. Prof. Botan. 173. ſociet. reg. ſcient. Londin. ſocius 347
Alui et vrinae ſuppreſſio per ſeptem annos durans 457
Amauroſeos curatio 476. 480
Amputatio extremitatum, annotationes ſuper illa 308 ſeq. quando inſtituenda 78 ſeq. eius neceſſitas et procraſtinatio 79 ſeqq.
Anatomicae obſeruationes 90. 115. 144. 203. 373. 387. 483. 530 ſeq.
Aneurysmatis ſymptomata 659. curatio 660. arteriae femoralis hiſtoria 689 ſeq. aneurysmata in aortae arcu frequentiſſima 281
Anginae malignae vlceroſae ſymptomata et curatio 238 ſeq.
Ani prolapſus 306. ad hunc continendum machina, ib.
Animalis regni lexicon vniuerſum 23
Animalium hiſtoria ſyſtematica, T. II auct. Io. Sam. Halle 486. cum vegetabilibus ſimilitudo 217. ſalia 45. humores nuda acida non continent 53. appetitiones artesque ingenitae 240 ſeqq. imaginatio valida 244. appetitiones generales et ſpeciales 246. natura et indoles, philoſophorum ſententiae de illa 250 ſeq. varietatis cauſſa 256
Antarthriticum medicamentum 576
Antheaulme ab acad. ſcient. Petropol. praemium accepit 167
Anthelminticum medicamentum 482
Anthorae effectus 423
Antimonii ſulphuris differentia et vis 51. diaphoretici virtus 52. vitri cerati virtus 531
Apoplexiae cauſſa proxima 662. apoplexia mortui anatome 527

Aquae

Aquae pluuialis virtus 527. aquarum medicatarum vſus vernalis 155. mineralium ferrum 46. carolinarum virtus lithontriptica 691 ſeq. maluernenſium virtus 669. fontis medicati prope Moffatum disquiſitio et virtus 676

Aquoſi humoris in corpore humano ſecretio 293 ſeq.

Araneorum ſyſtematica diſtributio, auct. Carol. Clerck 535. generum deſcr. ib. ſeqq. oculorum numerus 538

Armeniſtari inſecti marini deſcr. 525 ſeq.

Arnicae virtus 422

Arſenici effectus 454. virtus febrifuga noxia 481

Arteriarum actio 276 ſeqq. contractionis cauſſa 280. anaſtomoſium vſus 284. variationes 597. contuſarum curatio 20

Arthritidis retropulſae effectus 576

Articulorum ſucci glutinoſi indoles 612

Der Arzt, eine mediciniſche Wochenſchrift 1 *und* 2 *Th.* 153

Aſcidi deſcr. 592

Aſthmatis differentia et cauſſae 324. an in illo opium conueniat? 409 ſeq.

Atrophiae ſpecies et curatio 512 ſeq.

Auium hiſtoria 486 ſeqq. ab aliis animalibus alatis diſtinctio 487. anatomica disquiſitio 488 ſeqq. vernationis cauſſa 493. alarum ſtructura 488. nidorum et ouorum ſtructura et differentia 225 ſeqq. ouorum partes 490 ſeq. incubatio et pulli excluſio 491. aues indigenae et peregrinae 492 ſeq.

Aureoli aranei deſcr. 540

B.

Barry, Edward, treatiſe on the tree different digeſtions and diſcharges of the human body 506

Baſteri, Iobi, opuſcula ſubceſiua, liber. II 587

Belladonnae deſcr. 674. effectus 94

De Bergen, Carol. Aug. claſſes conchyliorum 458. memoria et ſcripta 551 ſeqq.

Betonicae virtus cephalica 422

Bezoardici mineralis vſus 454

Bianchi, Io. Bapt. obitus 349

Blakwelliſches Kräuterbuch 3 *u.* 4*tes Hundert* 103

Boerneri, Frid. obitus, vitae deſcr. et ſcripta 548 ſeqq.

Boletus fungorum genus 133 ſeq.

Boſe, Geo. Matthiae, obitus 700

Braſſicae radice napi vſus 534

Bryoniae radicis virtus 421

De Buat acad. ſcient. electoral. bauar. hiſtoricae claſſis director 347

Burdigalenſis ſcient. acad. theſ. et praem. ad an. 1762. 172. ad an. 1763. 697

C. Cacti

C.

Cacti repentis ſubquinquangularis deſcr. 140
Cadmia vide Cobaltum.
Cadmiologia, auct. Io. Gottlob Lehmann 639
Caecitatis curatio 528
Calculorum geneſis 509. ex abdominis abſceſſu exitus 533. ex vretere per inguina exitus 529. ex virginis vtero eiectio 21.. per ſcrotum tranſitus 442 in veſica ſolutio impoſſibilis 40. biliariorum per anum expulſio 122. biliarii 122. 456. hoſce ſapo non ſoluit 50 ſeq. calculus veſicae praegrandis 306
Caldari acad. reg. ſcient. Berolin. ſocius 172
Calli oſſificatio 613. formatio 625 ſeq. a perioſtio ortus 627. callus in coſtis fractis non formatur 146
Caloris corporis humani gradus 100 ſeq. hi quomodo definiendi? 197 ſeq. nimii noxa 8. febrilis ad pulſus celeritatem ratio 503 ſeq. ſanguinis cauſſa 285. reſpectiui ratio 211
Caluae fracturae curatio 303
Calycanthus Linn. 603
Campaniae gallicae foſſilia 392
Canalis arterioſi poſt natiuitatem obliteratio 390
Cancelli deſcr. 590
Cancroſi tumoris exſtirpatio 116 ſeq.
Capillorum incrementi vtilitas 513 ſeq.
Capitis obſtipi curatio 575.
tumores ſingulares 688
Carniolica flora auct. Scopoli 415
Cartilaginis differentia 619. 621. maceratio 620. oſſificatio ib. 623 ſeq.
Caſſellani ſeminarii chirurgici inſtitutum 594
Caſtenacenſis fontis medicati principia conſtitutiua 327 ſeqq. virtus 329
Cataractae diſtinctio 126 ſeq. depoſitio ib. 531
Cauterii actnalis et potentialis vſus 73 ſeqq. actualis antiquitas 76. praeferentia 77 ſeq.
Cephalalgia ex oſſis frontalis tumore 128
Cerebri per aurem exitus 502. tumor 594 ſeq. tumor cyſticus 373. ſubſtantiae medullaris natura 520
Chemicae quaeſtiones 37 ſeqq.
Chirurgicae obſeruationes 303 532. chirurgicarum diſſertationum collectio 57
Ciceronis cognitio medica 322 ſeq.
Cinerum plantarum virtus 448
Clathrus fungorum genus 133
Clauaria fungorum genus 133 ſeq.
Clerck, Carl. Svenska ſpindlar. 535
Cobalti deſcr. et ſpecies 642 ſeqq. cum cupro, ferro et arſenico mixtio 646 ſeq. nigri fuliginei a minera plumo-

pluṁoſa, argento diuiti, diſtinctio 644. albi ab arſenico albo differentia ib. ſcoriae ſimilis ſpecies 645. puri et mixti ſpecies ib. ſeq. dentritici deſcr. 647. cum lapidibus et terris mixti ſpecies 648. matrices ib. ſeq. vſus mechanicus et praeparatio 649. fuſio 650 ſeqq. proba, quatenus color coeruleus inde cognoſcatur ib. ſeq.
Coecitas a vermibus 452
Colicae pictonum medendae methodi 582 ſeq. 654 ſeq. eius in Hollandia frequentia 583 ſeq.
Colorum ſeparationes, experimenta ſuper illis 3 ſeq.
Conchyliorum claſſes 458. methodi vniuerſales 459 ſeqq. particulares 462
Condoidi, Panaiotae, obitus et vitae deſcr. 168 ſeq.
Conuulſionum cauſſae 399. diſtinctio et ſpecies 400 ſeq. conuulſio in variolis 520 ſeq.
Coralliorum cellulae et polypi 673. corallii rubri ſpecies ſingularis 679 ſeq.
Corallinae plantae verae ſunt 684
Cordis calor 285. ruptura 449. polypus 483. 485. auriculae figura et cauitates 387 ſeq. auriculae polypus 532
Corporis humani natura 155. electricitas naturalis 236. calor 664
Coxarii morbi cauſſae 661 ſeq.
Cramer, Chriſt. Carolus, itineris in Arabiam felicem iuſſu regis Daniae comes 349
Cranii fiſſurae 502. vulneris curatio 127 ſeq.
Criſium tempus varium 88
Cruoris globuli 268 ſeq.
Cyſtici ductus calculus 485

D.

Dentariae icones 608
Diaeta aegrotantium 86
Diarrhoeae cauſſae 412 ſeqq. an in illa opium conueniat? ib.
Dictionaire raiſonné et univerſel des animaux. T. I-IV 22
Digeſtio humorum prim 507. ſecunda, huiusque morbi 508 ſeqq. tertia huiusque morbi 510 ſeq.
Doridis ſiue limacis marinae deſcr. 591
Dyſenteriae cauſſa proxima 410. ſymptomata 528 ſeq. an in illa opium conueniat? 510 ſeq.

E.

Efferueſcentiae effectus morboſus 668
Electricitatis index huiusque vſus 212 ſeq. 658. vſus in paralyſi 90. 103. 692
Electrometrum 212
Eller, Io. Theod. obitus 174
Eluela fungorum genus 133 ſeq.
Emeticorum in curatione ſtrumarum 64. vſus in morbis malignis vſus rarus 653
Enteroepiploceles operatio 121. ſcrotalis ſectio 532

Epidemici contagii vis 498. morbi Lutetiae graſſati 393. epidemicae febres 469 ſeqq. 475 ſeqq.
Epidendri ſpecies 140
Epididymidis induratio 119
Epilepſiae ſpecies 400 ſeq.
Equorum morbus, anglice the glanders dictus 501
Eryſipelacei tumoris deſcr. 305
Eryſipelatoſa febris 465
Eſcharae lapideſcentis deſcr. 592
Euler, Io. Albrecht, ab acad. ſcient. Petropol. praem. acc. 167
Exanthematicae febres 465 ſeqq.

F.

Fabricius, Phil. Conr. ſylloge obſeruationum anatomicarum 144
Febrium diuiſiones harumque fundamenta 464 ſeq.
Febris ardentis epidemicae ſymptomata et curatio 577 ſeq. Ignis S. Antonii dictae ſymptomata 468
Femoris fracturae curatio 11 ſeq.
Ferri in ſanguine praeſentia 273. vtilitas 275 ſeq.
Fibrae animalis geneſis 216
Flamma ex ſepulchro erumpens 21
Floris definitio 600
Fluidorum caloris in aere decrementum et incrementum 208 ſeq.
Folliculorum in corp. hum. vſus 300 ſeq.
Foraminis oualis cordis obliteratio 389 ſeq.
Fougeroux, memoires ſur les os 610
Fränkiſche Sammlungen von Anmerkungen aus der Naturlehre u. ſ. w. 4ter B. 524
Frigoris effectus 10
Froger a reg. ſcient. et art. ſociet. Metenſi praem. acc. 698
Frontalis oſſis fracturae curatio 304. ſinus vermes continentes 448. tum... 128
Fungorum ortus et diſtinctio 130 ſeqq. partes 132. vaſcula ſeminalia 133. genera ib. ſeqq.

G.

Ganglii manus exſtirpatio 311
Gangraenae ſpecies 453. curatio 442. gangraena febri remittenti ſuperueniens 500 podagrae ſuperueniens 446
Gaubius, Hieron. Dau. Naſſou. principis archiater 545
Gelatinoſorum humorum ſecretio 296
Geminorum concretorum deſcr. 578 ſeq.
Gerhard, Carol. Abr. Diſſ. ſiſtens disquiſitionem phyſico - chemicam granatorum Sileſiae atque Bohemiae 629
Gesneri, Conr. hiſtoriae plantarum faſciculus 606
Gingiuarum diſtinctio 391 ſeq.
Glandulae thyroideae tumor 374. glandularum irritabilitas ſecretionem auget 300

Gooch, Benj. caſes and practical remarks in Surgery 303
De Gorter, Dau. Petropoli in patriam redit 543
Graculi palmipedis oua 227
Granati deſcr. 629. diſtinctio à loco natali ib. ſeq. in Bohemia et Sileſia collectorum hiſtoria 630. horum examen chemicum ib. ſeq. iis alcali fixum inhaeret 632. vitreſcibilitas 633. - vſus ib. ſeq.
Granitae ortus et durities 317
Gronouii bibliotheca regni animalis atque lapidei 341

H.

Haemoptoſeos diſtinctio et curatio 515 ſeq.
Haemorrhoidum anatomica et phyſiologica conſideratio 338. fluxus quando reſtituendus? 339 ſeqq.
De Haen Ant. archiater caeſareus 173. eiusd. ratio medendi in noſocomio practico Pars 1 et 2. 84. P. 3 et 4. 652. theſes pathologicae de haemorrhoidibus 336. refutation de l'inolation 436. quaeſtiones ſuper methodo inoculandi variolas 426. theſes ſiſtentes febrium diuiſiones 463
Hales Steph. obitus 348
Halle Io. Sam. *Naturgeſchichte der Thiere. 2ter Theil. Die Vogelgeſchichte* 486
De Haller Alb. elementa phyſiologiae corporis humani Tom. 2. 265
Hamburgiſches Magazin 18 - 22 *Band* 109
Harlemenſis ſociet. ſcient. commentar. P. 3. P. 4. 571. theſ. et praem. ad ann. 1762 542
Haſenöhrl, Io. Georg. hiſtoria medica morbi epidemici ſiue febris petechialis ab anno 1757 - 1759 Viennae graſſatae 471
Helleborines ſpecies 139
Hemiplegiae curatio 447
Herbarii Blackwelliani centur. 3 et 4 104
Herniae curatio 121. 57. 3 ſeq. ſpecies ſingularis 54. 56 ſeq.
Hirudinis piſcium deſcr. 592
Hiſtoire et memoires de l'academie royale des ſciences de Paris, année 1754. 371
Hiſtoire naturelle générale et particuliere avec la deſcription du cabinet du Roi Tom. 7 257
Home, Francis, medical facts and experiments 495
Horologii marini conſtructio 201
Huber. Io. Iac. acad. reg. ſcient. Berolin. ſocius 172. eiusd. Progr. quo labores ſuos aeſtiuos indicit iisque obſeruationes aliquot anatomicas praemittit 593
Humani corporis natura 155. calor 664. electricitas naturalis 236
Humeri luxati repoſitio 149 ſeqq.
Humorum corporis hum. claſſes 291 ſeqq.
Huth Geo. Leonh. obitus 545
Hydatis teſticulum referens 204
Hydnum fungorum genus 133 ſeq.
Hydroceles curatio 117. 307
Hydropis curatio 441. 534. 661. pectoris cum aſcite coniuncti curatio 447. hydrope defuncti ſectio 145
Hypochondriaci mali genera 402
Hyſterico malo an opium conueniat? 403

I.

Iaquin, Nicol. Ioſ. enumeratio ſyſtematica plantarum ex inſulis Caribaeis vicinaque Americes continente 424
Icteri curatio 482
Imbert, Franciſc. in acad. Monſpel. botan. Prof. 348
Indigoferae plantae effectus 685
Induratio partium carnoſarum feminae viuae 441
Infantis mediante vncino ex vtero extracti laeſio 442. oſſa prope vmbilicum exeuntia 443 ſeq.
Infans quinque annorum prodigioſus 451
Inflammatoriae cruſtae differentia 656
Iniectionum chirurgicarum incommoda 82. noxa 83. vtilitas 84
Inoculatio vide *variolarum.*
Inteſtini coeci diſtenſio 484. coli coarctatio ib. ilei diſciſſi curatio 670 ſeq. inteſtinorum anguſtia 474. longitudo 144

Iridis] noſtratis coeruleae radicis virtus 434
Iunckeri, Io. memoria et ſcripta 351 ſeqq.

K.

Kabarga, animal moſchiferum 222 ſeqq.
Keſsler, Frid. Lud. Diſſ. de nonnullis ad variolarum inſitionem pertinentibus 438
Kleinfeld, Mich. obitus 544
Koelreuter, Ioſ. Theoph. Petropoli in patriam redit 543
Kruegeri, Io. Gottlob memoria et ſcripta 704 ſeqq.
Kruſe, Carol. Frid. imperatr. Ruſſ. conſiliarius ſtatus 699. opera Boerhaaviana poſthuma promittit 171
Kuerſchner, Io. Mich. Diſſ. de fonte medicato Caſtenacenſi 326
Kuhlemann, Io. Chriſtophor. copiarum Ruſſicarum ſupremus medicus 171

L.

Lacrymalis fiſtulae diſtinctio et curatio 124 ſeqq.
Lapides pretioſi igne et ſpeculo Tſchirnhauſiano disquiſiti 110
Laternae magicae emendatio 199 ſeqq.
Ledermüller Mart. Froben. marchionis Brandenburg. Baruthin. iuſtitiae conſiliarius 544
Lehmann, Io. Gottlob Cadmiologia *oder Geſchichte des Farben-Kobolds* 639. idem acad. ſcient. Petropol. membr. ord. et chemiae Prof. 699
Lentae febris epidemicae ſymptomata et cauſſa 497 ſeq.
Leprae ſymptomata 671 ſeq.
Lerche, imperatr. Ruſſ. archiatri munere interim fungens 544
Letter of the malignant Sore-throat 238
Lienis anatomia 382 ſeqq. ſubſtantia qualis? 384. exſciſſio 501 ſeq. lien praeter naturam paruus 21. huius vaſa cartilaginoſa 22
Lieutaud Io. reg. ſociet. ſcient. Londinenſ. ſocius 347
Linnaei Carol. ſyſtema naturae Tom. 2. Editio 10. 598. idem ab acad. ſcient. Petropol. praem. acc. 167
Lobſtein Diſſ. de neruo ſpinali ad par vagum acceſſorio 634
Lommiae auis oua 226
Loquela per riſum amiſſa et reſtituta 584 ſeq.
Loranthus plantarum genus 138
Louis, diſcours hiſtorique et critique ſur le traité des maladies des os de feu M. Petit 147
Ludwig, Chriſtian Gottlieb, definitiones generum plantarum curante Boehmero editae 27 ſeqq. Diſſ. de laeſa oſſium nutritione 141
Lugdunenſis gallicae ſcient. et art. acad. theſis et praem. ad ann. 1762 345 ſeq.
Lumbaginis rheumaticae cauſſa et curatio 499
Lupi deſcr. 258. a cane differentia ſeq.
Lutrae deſcr. 260 ſeq.
Lycoperdon fungorum genus 134
Lyonet acad. reg. ſcient. Berol. ſocius 172

M.

De Machy acad. reg. ſcient. Berolin. ſocius 173
Madritenſis medicorum et chirurgorum ſociet. theſ. et praem. ad an. 1762 541
Magneticae vis absque magnete communicatio 208. magnetica acus, obſeruationes circa illam 381
Magnetismus artificialis, experimenta circa illum 208
Malouin, Paul. Iac. ſociet. reg. ſcient. Londin. ſocius 347
Malpighiae plantae ſpecies 138
Mammarum cancer 145. tumoris curatio 4 ſeq.
Mania hirudinum applicatione curata 450
Maratti, Io. Franc. deſcriptio de vera florum exiſtentia, vegetatione et forma in plantis dorſiferis 666
Marggraf, Andr. Sigism. acad. reg. ſcient. Berolin. phyſicae claſſis director 347

Marmo-

Marmoris diuerſitas 111
Martis domeſticae & agreſtis differentia et deſcr. 261 ſeq.
Matthiolae plantae fructificatio 138 ſeq.
Maxillae inferioris retrorſum luxatae cauſſa et reductio 123. verſus poſteriora luxatio negata 151
Medendi ratio in noſocomio practico auct. de Haen. 84 ſeqq. 652
Medicamentorum correctio 46. facultates per chemiam detegendae 44. medicamenta in morbis acutis 86 ſeq. 91
Melis deſcr. 260
Menſtrua hirudinum applicatione prouocata 450. menſtruorum periodica per mammas et faciem euacuatio ib.
Mercuriales frictiones in ſtrumis 65
Mercurii caloris augmentum et decrementum 195 ſeq. cum acidis combinatio 395. dulcis natura 396. praecipitati rubri vſus 39. ſublimatio in barometro 372. ſublimati corroſiui praeparatio et vſus 49. ſublimati in ſpiritu frumenti ſoluti vſus 657 ſeq. mercurius vitae medicamentum infidum 42
Metaſtaſis quid? 58. morbi ab ea oriundi 59. quomodo praecaueatur et excitetur 60 ſeq.
Metenſis ſociet. reg. ſcient. et art. theſ. ad an. 1762 698
Meteorologicae obſeruationes 202 ſeq.
Microſcopicae obſeruationes 525. 531
Microſcopii deſcr. 16 ſeq. ſolaris emendatio 199 ſeqq.
Miliares febres curandi methodus 466
Model Io. Geo. imperatt. Ruſſ. collegiorum aſſeſſor. 543
Monachienſ. electoral. Bauar. ſcient. acad. theſ. ad an. 1761 346
Monſtri bicorporei deſcr. et ſectio 686 ſeq.
Montium ortus ſucceſsiuus 320
Morbi maligni characteres 653. 658 ſeq.
Morbillos inoculandi methodus 504 ſeqq. eorum miasmatis natura 505. morbilloſae febris curatio 467
Moſchiferi animalis deſcr. 222 ſeqq.
Motus fibrillaris effectus 235 ſeqq.
Mounſey, imperatr. Ruſſ. medicus 170
Mucilaginoſorum humorum ſecretio 295 ſeq.
Mucor, fungorum genus 134 ſeq.
Mueller, Gerard. Frid. reg. ſcient. acad. Pariſ. correſpondens 543
Muntingiae character 332
Mus maior 263. minor 264. aquaticus ib. aquaticus exoticus 218 ſeqq.
De Muſſchenbroek Petr. obitus 700
Muſcularium fibrarum palpitatio 234 ſeqq.
Muſculi gaſtrocnemii et ſolaris conformatio praeternaturalis 456. ſterno-maſtoidei diſſectio 575. muſculorum caput extendentium paralyſis 306. machina ad hanc curandam apta ib.
Muſtelae ab animali ermineo diuerſitas 262 ſeq.

N.

Naeuorum maternorum curatio 124
Nerui acceſſorii Williſii hiſtoria 634 ſeq. ortus et ad par vagum acceſſus 636. deſcenſus et finis 637. male affecti ſymptomata ib. nexus cum pari vago cauſſa 638. neruorum morbi horumque differentiae 662 ſeq.
Neruoſae febris lentae cauſſa 503
Nidorum et ouorum auium ſtructura et differentia 225 ſeqq.
Noſocomii variolarum inſertioni deſtinati incommoda 428
Nummulariae herbae vſus 421
Nuova raccolta d'opuſcoli ſcientifici e filologici Tom. 1-4 314
Nutritionis ratio 510 ſeq.

O.

Occipitis oſſis fractura 304
Ochnae plantae ſpecies 137
Oenanthes radicis effectus 448
Olei animalis Dippelii praeparatio et vſus 39. momordicae virtus 531. oliuarum effectus in aſcite 482. oleum in carbone aeterno Helmontii quid? 40. oleoſorum humorum ſecretio 297

Omenti ſaccus aquam continens 485
Opii vſus in conuulſionibus 399 ſeqq. in malo hypochondriaco 402. in malo hyſterico 403. 403. in vomitu 404. in tuſſi 407. in aſthmate 409 ſeq. in colica pictonum 655. in palpitatione cordis 410. in dyſenteria ib. ſeq. in diarrhoea 412
Opuntiae fructus effectus 685
Opuſculorum ſcientias et philologiam illuſtrantium noua collectio T. 1-4 314
Orchidum deſcriptio quomodo facilitanda? 423
Oſſea ſubſtantia in oculo humano 112
Oſſificatio, commentarii ſuper illa 610 ſeqq.
Oſſium ortus a cartilagine 615. mollities 312 ſeq. infantis prope vmbilicum exitus 443 ſeq. nutritionis cum ea partium mollium analogia 141. nutritionis laeſae cauſſae 142. curatio ib. ſeq.
Oſtecollae ortus 386
Oſteogeniae ratio 622
Oſtreorum ſexus 589
Otalgia a vermibus 443
Ouorum auium differentia 225 ſeqq.

P.

Palpitationi cordis an opium conueniat? 410
Panis ex braſſica radice napi 534
Pariſienſis acad. reg. ſcient. hiſtoria ad an. 1754. 371. acad. chirurg. theſ. et praem. ad an. 1761. 171 ſeq. ad an. 1762. 344. facultatis medicae doctores regentes 158 ſeqq. Pariſinae quaeſtiones medicae ex bibliotheca Geo. Frid. Sigwart 33 ſeqq.
Pectinationis vſus 513
Penduli ſimplicis Lugdunenſis longitudo 17 ſeq.
Penis amputatio 119 ſeq.
Perioſtei oſſificatio 613. ad os adhaeſio debilis vel nulla 614. ad os adhaeſio aucta 618 ſeq. officium 616 ſeq.
Peruuiani corticis hiſtoria 156. vſus in angina vlceroſa maligna 239. in amauroſi 480. in febre epidemica petechiali 474. in gangraena 440. 446. 453. 691. in ictero 482. in morbis malignis 653. in phthiſi 657
Petechialis febris 465. epidemicae ſymptomata et curatio 471 ſeqq. 476 ſeqq.
Petrefacta in inſula Shepey reperta 693 ſeq.
Petropolitanae ſcient. acad. noui commentar. Tom. 3. ad ann. 1750 et 51. Tom. 4 ad ann. 1752 et 53. 195. theſ. ad ann. 1760 et 62 167 ſeq.
Petzold, Adam Frid. obitus et vitae deſcr. 546 ſeqq.
Peziza fungorum genus 134 ſeq.
Phalli fungorum generis deſcr. 133 ſeq. pileo vireſcenti et glutinoſo deſcr. 229. 231. oui ſtructura 233
Philoſophical transactions Vol. 50. P. 1 667
Phthiſeos pulmonalis cauſſae 516 ſeq. curatio 528. phthiſi defuncti ſectio 444
Piſaurienſium foſſilium hiſtoria 315 ſeqq.
Piſcium generatio 204 ſeq. appendicum inteſtinalium vſus 207. ouariorum vſus 205. piſcibus ſpinoſis cur nulla ſint externa generationis organa? ib.
Pizzorno Petr. Franceſc. orazione eccitatoria all' introduzione dell' innesto de vajolo, con l' aggiunta de motiui del D. Gandini 518
Plantarum americanarum faſcicul. 7 et 8. 136. faſc. 9 et 10. 331 ſeqq. dorſiferarum flores 666. venenatarum vſus et noxa 107
Platina del pinto, experimenta ſuper illa 678
Pleurae inflammatio et abſceſſus 517
Plumierii Carol. plantarum americanarum faſcic. 7 et 8. 136. faſc. 9 et 10 331
Polygalae virginianae radicis virtus 664
Polypi diſtinctio et geneſis 98 ſeq. veri ſigna et cauſſae 267. cordis 483. 485. 532. 596

Por-

Porphyritae ortus et durities 317
Pott, Percivall account of a particular kind of rupture 54
Practicae obſeruationes 528. 533
Promtuarium Hamburgenſe Vol. 18-22 110
Puiati Ioſ. Ant. obitus 348
Pulmonum morbi 514 ſeq. in aqua innatatio et ſubſidentia 100
Pulſuum differentiae 278. 282. numerus ſeq.
Purgantium vſus in pleuritide 451
Puris generatio et cauſſae 92 ſeq.
Putorii a marte domeſtica differentia 262

R.

Raia plantae ſpecies 138
Ranulae curatio 453 ſeq.
Ratisbonenſis agri fungi 130
Ratti natura 263
Rauwolfiae ſpecies 335
Receptaculorum in corpore hum. vſus 300 ſeq.
Recueil des pieces, qui ont concouru pour le prix de l'academie royale de chirurgie Tom. 3 57
Refrigerii ab aere moto ratio 6
Reimari Herm. Sam. *Betrachtungen über die Triebe der Thiere* 240
Renis petrefactio dubia 112 ſeq. vlcus vermem continens 445 ſeq. renes ſuccenturiati cartilaginoſi 22
Roger Ioſ. Lud. ſpecimen phyſiologicum de perpetua fibrarum muſcularium palpitatione 234. eius obitus 545
Rubiae tinctorum effectus in oſſa 613. 624. in callum 627
Rupicaprae cornubus arietinis deſcr. 221

S.

Saccharum ex acere 524 ſeq.
Salchow, Vlric. Chriſtophor. a munere Prof. chem. in acad. ſcient. Petropol. ſe abdicauit 699
Salicariae vſus in diarrhoea 657. 664
Salis in ſanguine praeſentia 270. vtilitas 276. microcosmici indoles 48. neutri claſſes 395. ſalium ſolutionis menſura 210. ſalia aetherea ad ſulphureum volatile accedunt 43
Salmonum coitus 205. lactes 206. a corregonis differentia 207
Sanguinis humani natura, experimenta circa illam 89. velocitas in aorta 278. rubor vnde? 286. denſitas 287. motus per venas 288. 290. copia vix definienda 266. e vena miſſi indoles 268. cruoris globuli ib. ſeq. putredo 270. analyſis chemica 274. globulorum rubrorum vtilitas 275
Sanguiſorbae radicis vſus 421
Saponis virtus lithontriptica 682
Sarcocele inſignis 455. exſtirpatio 119
De Sauvages Franc. Boisſier a munere Botan. in acad. Monſpel ſe abdicauit 348
Saxifragae ſpecies 608 ſeq.
Scabiei retropulſae effectus 111
Scarlatina febris 465
Schäffers, Iac. Chriſt. *Beobachtungen der Schwämme um Regensburg* 129. *Gichtſchwamm mit grünſchleimigem Hute* 229
Schilling imperatr. Ruſſ. medicus 170
Schreiberi, Io. Frid. memoria 175 ſeqq. ſcripta 182
Sciuri deſcr. 263
Scopoli, Io. Ant. flora carniolica 415
Scriptorum phyſico medicorum anni 1757 editorum indicis ſupplementum alterum 185. anni 1758 ſupplement. 188 ſeqq. anni 1759 index 361. huius continuatio 561 ſeqq. 712 ſeqq.
Scroti extenſio ab vrina 120
Secretionis organorum fabrica 293 ſeqq. cauſſae 297. de illa variae auctorum hypotheſes 302
Secundinae cum tribus placentis vterinis 574

Sedi vulgaris virtus 423
Senenſis vrbis academiarum origo et conſtitutio 321
Septi lucidi deſcr. 595
Seri ſanguinis natura 273. analyſis chemica ſeq.
Serpularum genera 591
Sesleria nouum graminum genus 418
Siciliae res naturales variae 318 ſeqq.
Singultus cauſſae 406 ſeq.
Sinopeus, imperatr. Ruſſ. munere archiatri interim fungens 544
Solidorum in corpore animali cohaeſio 214 ſeqq.
Specificum remedium an cuilibet morbo poſſit reperiri? 50. contra ſtrumas 72 ſeq.
Spermatoceles curatio 118
Stalactitarum arenariorum geneſis 376 ſeq. calcariorum ortus 378. deſcr. 381 ſeq.
Stoerk, Ant. annus medicus 475
Strumarum cauſſae et ſigna 62. 66. curatio 63 ſeqq. ſubiecta iis obnoxia ib. diſtinctio 67. ſuppuratio 68. mortificatio 69. prognoſis 70
Suffocationis genera 581. ſuffocatis medendi ratio 579 ſeqq.

T.

Tartari vitriolati cum oleo vitrioli mixtio 396
Taxi flores 609
Taxus vid. Melis.
Telluris ſuperficiei mutationes 315 ſeq.
Temperamentorum cauſſae 275
Tempeſtatis effectus in plantas 680
Tendinis Achillis rupti curatio 148. 312
Terrae motus deſcr. 667 ſeq.
Terroris effectus 4
Tertianae febris praepropere ſuppreſſae effectus 483 ſeq.
Teſticuli exſtirpati disquiſitio 118 ſeq. infantum deſcenſus in ſcrotum 55
Tetani curatio 479 ſeq.
Thoracis cauitates 595 ſeq.
Tibiae amputatio 309 ſeq. caries 310. fractura complicata 308
Timmermann Theod. Gerh. in acad. Rintel. Med. Prof. P. O. 347
Tincturae martialis Ludouici et Stahlii praeſtantia 41
Tiſſot lettre a Mr. de Haen en reponſe a ſes quaeſtions ſur l'inoculation 430. idem ſociet. reg. ſcientiar. Londin. ſocius 347
Toloſanae ſcient. et elegant. litter. acad. theſ. et praem. duplicat. ad an. 1763. 345
Toxicodendri ſpecies et in tingendo vſus 695 ſeq.
Tournefortiae ſpecies 335
Tralles Balth. Lud. vſus opii ſalubris et noxius in morborum medela, ſectio 3. 398
Transactiones philoſophicae. Vol. 50. P. I 667
Trutaceorum piſcium deſcr. 206
Tubercula pulmonum, aſthmatis cauſſa 323 ſeq.
Tumor cerebri 594 ſeq. cerebri cyſticus 373. tumores capitis ſingulares 688
Turbonum cauſſae 15 ſeq.
Turfi deſcr. 675
Tusſis diſtinctio et cauſſae 407 ſeqq. periodica 502
Tympanitide defuncti ſectio 96

V.

Vandermonde journal de medecine, chirurgie et pharmacie Tom. 9 et 10 440
Valuulae Euſtachianae deſcr. 388 ſeq.
Variolarum inoculatio 397. 518. 572 ſeq. communicatio 393 ſeq. effectus in gemellos 455. recidiua rarisſima 434 ſeq. inſitio vtrum licita? 427 ſeqq. epiſtola reſponſoria Tiſſoti ad de Haen 430. huius auctoris refutatio commentariorum de inoculatione 436 ſeqq. variolae ſpuriae pro veris habitae 452

Vario-

Varioloſae febris diſtinctio 467. lethalitas 500. varioloſi miasmatis indoles 519
Vaſorum lymphaticorum origo et vſus 687
Venaeſectio in inflammatione 663
Venarum anaſtomoſium vſus 289. pulſus 291
Venereae luis communicatio ſingularis 453
Ventorum qualitates 6. conſtantium et generalium cauſſae 13 ſeq.
Ventriculi expanſio ſingularis 474. ventriculus in pectore repertus 449
Verhandelingen uitgegeeven door de hollandſe maatſchappy de Weetenſchappen te Harlem 3 Deel. 3. 4 Deel 571
Vermehrtes und verbeſſertes Blakwelliſches Kräuterbuch, 3 *und* 4 *Hundert* 103
Vermium nouum genus 444. niualium deſcr. 526. in c. h. generatio 113 ſeq. vermes ſingulares in c. h. 526. per renes et vrethram exeuntes 445. per nares exeuntes 447 ſeq. otalgiae cauſſae 443
Veronicae officin. vſus 422
Veſicae vrinariae abſceſſus et contenta ſingularia 457
Veſiculae felleae calculi 484
Viuerrae deſcr. 262
Vmbilici dolor et tumor horumque cauſſa 585 ſeq.
Vngebauer Io. Andr. imperatr. Ruſſ. legionum praetorianarum medicus 171
Vogel, Zach. *anatomiſche, chirurgiſche und mediciniſche Beobachtungen und Unterſuchungen* 115
Vomitus cauſſae 404 ſeqq. ſtercoreus 97 ſeq.
Vreter duplex 597
Vrinae examen chemicum 38. a putredine praeſeruatiuo 89. morbi 509 ſeq. retentio a calculo 120
Vteri procidentia 147. 452
Vulneris in regione temporali ſymptomata et curatio 19
Vulpis deſcr. 260
Uvae vrſi herbae virtus 102. 656. 665

W.

Walpole, Hor. morbus et ſectio 681
De Wolter, I. A. acad. ſcient. electoral. Bauar. philoſophicae claſſis director 347
Winteri, Frid. obitus 544
Withof, Io. Phil. Laur. in acad. Francof. med. Prof. 348

Z.

Zanotti Euſtach. acad. reg. ſcient. Berol. ſocius 172
Zanotti, Franciſc. acad. reg. ſcient. Berol. ſocius 172
Zeidler, Chriſt. Sigiſm. obitus 174
Zimmermann, Io. Geo. acad. reg. ſcient. Berol. ſocius 173
Zinnia Linnaei 603
Zoophytorum definitio et ordines 587 ſeq.

Emen-

Emendenda.

Pag. 31. lin. 30. Tubernaemontanam lege Tabernaemontanam. p. 57. poſt lineam 22. adde VII. p. 84. l. 14. vrthrae l. vrethrae. p. 90. l. 6. perieordium l. pericardium. l. 7. ſanguini. l. ſanguinis. p. 95. l. 26. ſepius l. ſaepius. p. 153. l. 19. FONTANELLE l. FONTENELLE. p. 208. l. 32. inerementa. l. incrementa. ibid. ſtuidorum l. fluidorum. p. 225. l. 15. ouium l. ouorum. p. 258. l. 4. ſenſatonem l. ſenſationem l. 5. ſequntur l. ſequuntur. p. 291. l. 3. ipſum l. ipſam. p. 300. l. vlt. prodeuns l. prodiens. p. 324. l. 31. variusque l. variasque. p. 366. l. 6. Royer l. Roger. p. 367. l. 17. ortos l. orti. p. 389. l. 18. cornus l. cornu. p. 396. l. 5. eandem l. eundem. p. 423. l. 25. euidenter l. euadant. p. 424. l. 2. Atrietis l. Abietis. p. 448. l. 17. inſinuaſſi l. inſinuaſſe. p. 452. l. 26 DELATUR l. DE LA TOUR. p. 497. l. vlt. moo l. modo. p. 49[illegible] [illegible]32. duobus l. duabus. p. 501. l. 26. orbam l. oram. p. 504[illegible] 5. repetemus. l. repetamus. l. 16. ante *adducimus* adde *inde*. l. 33. igiter l. igitur. p. 505. l. 16. ſapius. l. ſaepius. l. 24. ſapius l. ſaepius. p. 543. l. 30. annum. l. annuum. p. 544. l. 17. bareuthinum. l. baruthinum. p. 452. l. 7. poſt *tempore* adde *puerum et*. p. 600. l. 16. peſtillis l. piſtillis. p. 663. l. 34. ipſum. l. ipſam. p. 695. l. 13. taxicodendri l. toxicodendri.